





SPECULUM
APOLOGETICUM
2.3.230










XXXVII

GALIT. de

H: Capuanis. BOV.



DILVCIDATIO SPECULI APOLOGETICI,

SIVE

PROPVGNACVLVM HISTORIÆ ANNALIVM P. ZACHARIÆ BOVERII,

Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum.

AUTHORE

F. ANTONIO MARIA GALITIO, *Theologo Capuccino, Brixiano.*





ANTUERPIÆ,

Typis FRANCISCI FICKAERT, Sub Turri D. Virginis, ad Insigne Angeli aurei. 1653.

Cum Gratia & Privilegio.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI BERNARDINO SPADÆ,

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

Ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. FRANCISCI *Capuccinorum Protectori vigilantiſſimo.*

NEminem planè, Emin.me Princeps, protectionis munus, ac nomen convenientiùs decet, quàm eum, quem Deus Opt. Max. triplici inſignivit gladio: ſcientiæ, bonitatis, & potentiæ: ſcientiæ, quâ clarè noſcat: bonitatis, quâ efficaciter velit: potentiæ, denique, quâ potẽter valeat; à quo nobiliſsimo ternario, juxtà celeberrimum Iureconſulti proloquium, omnis cuiuſque actio & perfectio ſubſiſtit. Circumſpectanti itaq; mihi undique, ut invenirem, cuius patrocinio, ac prote-

* 2 ctioni

ctioni parvulum hocce ingenioli mei opus cõmendarem, occurrit illicò Eminentia Celsitudinis Tuæ, quam non unius, aut alterius, sed triplicis Spadæ, ad munus protectoris perfectiùs indigitandũ, insignibus illustratam video: Vnde, & meritò, ex singulari Dei, ac S.D.N. Innocentij X. ordinatione, quæ in alijs major. Minorum tamen Patris, ac Protectoris nomine, ac munere potita es. Eia ergo, Emin.^{me} Princeps, ac Protector invictissime, ego humillimus servus ad pedes Emin^{tiæ} Tuæ provolutus, hasce meas lucubratiunculas, tot, tantisq; titulis Tibi deditas nuncupo, dono, & consecro; ut veritatem in eis sincerè repræsentatam, si fortè à quopiam, ut non raro accidit, oppugnari contigerit, tergemino quo decoratus es sapientiæ, bonitatis, ac potentiæ gladio, tueri digneris.

AD

A D.

LECTOREM BENEVOLVM.

HAbuit Admodum R. P. Iacobus de Riddere, ex Sacro RR. PP. Obſervantium Ordine, à R.^mo ejuſdē Ordinis Generali Miniſtro, in mandatis, pervolvere hiſtoriam, ſive Annales P. Zachariæ Boverij Capuccini, ut ſi quæ in eis manifeſtè deprehenderētur calumniç, ac cōtra bonā Religionis famā, &c. verâ, & modeſtâ retunderentur cenſurâ. Quod quidē mandatum non eſſe à ratione, aut æquitate alienum, illud facilè declarat; quod cuilibet à jure, tam naturali, quàm Divino, & humano, ſeipſum, multoq; magis totum ſuæ Religionis cœtum tueri ab impoſturis, ſive calumnijs vendicare nedùm permiſsū, verùm etiam licitè conceſſum eſſe certò certius eſt. Sicut autē licitum eſt ſe, ſuoſq; per ſeipſum tueri; ita pariter integrū alteri, maximè ſubdito, ut defenſionis munus ſuſcipiat, mandare, ſive iubere. Subditus porrò, & mandatum ſuſcipiens, & ejuſdē executioni fideliter incumbens; præter obedientiæ meritum apud Deū, dignus eſt etiā laude, & honore apud homines: Dixi, fideliter incumbens, ſi enim mandati ſui limites fortaſsè præterire auſus fuerit, pœnâ potiùs, quàm præmio afficiendum ipſo quoque humano jure cautum reperitur. Quare inprimis mandati formam, ſive tenorem diligenter conſiderare debet, ut intra ejuſdem mandati terminos ſe continere valeat.

Quod autē prædictus Pater ſuæ limites cōceſſionis tranſgreſſus fuerit, licet fortaſsè prudentiores, ac ſapientiores ex ipſa ſui libelli, quē Speculi Apologetici titulo prænotavit, lectione percipere poterūt; nō tamē, haud dubiè, minus prudētes, aut docti:

Si quidē Speculū huiuſmodi nō tam lucidū, quin ampliore ad hoc, ut in eo veritas clarè, ſicuti neceſſarium erat, relucere valeret, luminis colluſtratione egeat, exhibuit: Eſt autem lumen in propoſito argumentum, quo veritas occulta manifeſtatur, juxta illud Apoſtoli: omnia, quæ arguuntur, in lumine manifeſtantur. Proindeq́ue quanto aliquid minus ejuſmodi luminis argumentorum, ſive rationum particeps erit, tanto minus lucidum eſſe invenietur. Cumq́ue teſte Philoſopho, nihil videatur, niſi in lumine, quânam tandem ratione fieri poſſet, ut quis in ſpeculo minùs planè, quàm par eſt, argumentorum lumine colluſtrato, veritatem intueatur? nullâ planè, niſi priùs ampliore lumine decoretur. Noſtri igitur in hoc libello inſtituti erit, ut prefato Speculo Apologetico lumen adijciamus, quo mediāte, veritas in ſpeculo adhuc latens clariùs apparebit: id autem non aliter præſtabimus, quàm rationes, ſive argumenta, ut plurimū à Speculatore in ſuo ſpeculo prætermiſſa, apponendo. Legas igitur velim, amantiſſime Lector, non tam verba, quàm rationes, & argumenta attendas; quò ſic clariùs, & faciliùs veritatem percipere poſſis: Interim vale, Deumq́ue pro me ſuppliciter deprecare.

PRO-

PROTESTATIO
AVCTORIS.

EGo Frater Antonius Maria Galitius, Capuccinus, Lectorem monitum esse velim, omnia, ac singula, quæ in præsenti Libello à me enarrantur, merita, siue sanctitatem, siue miraculorum, aut cæterorum quorumcumque operum supernaturalium insignia concernentia; ita in medium afferri, non quasi ab Apostolica Sede examinata, & approbata; verùm quatenùs eam merentur fidem, quæ alijs quibuscunque humanis rebus adhiberi solet. Quare eundem Lectorem efficaciter admoneo, ne quibuscumque siue per transennam, & perfunctoriè, siue etiam ex instituto adductis, prolatis, & enarratis; plus fidei, quàm par est, humanæ scilicet, habeat: Sicque tandem suscipiat, quatenùs S. Romanæ Ecclesiæ iudicio, ac Apostolico sacræ Congregationis, ac S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decreto minimè aduersa esse conijciet. Hæc tam sincerè protestor, ut si quæ fortassè (humanùm dico) eiusmodi Decreto aduersantia, aut ab Ecclesiæ Romanæ iudicio aberrantia aliquandò reperta fuerint; nunc, & semper retractata esse velim, & reapsè ex animo retractem.

FA-

FACVLTAS ADM. R.P. GENERALIS.

NOs Fr. Fortunatus à Cadubrio, FF. Capuccinorũ Generalis Minister (licet immeritus) facultatem impertimur, ut Liber inscriptus, *Dilucidatio Speculi*, &c. à R.P. ANTONIO MARIA GALITIO, Ordinis nostri Theologo compositus, & à quibusdam ex Nostris approbatus; servatis servandis, typis mandetur.

Datum Lugduni 5. *Iulij* 1651.

Fr. FORTUNATUS *qui suprà.*

FACVLTAS THEOLOGORVM,

Qui de mandato Adm. R. P. Generalis totius Ordinis FF. Capuccinorum Opus hoc examinârunt.

EX commissione Superiorum ad quos pertinet, studiosè evolvi Librum Adm. Reverendi Patris *Antonij Mariæ Galitij*, Theologi Capuccini, Brixiani; cui titulus, *Dilucidatio Speculi Apologetici*, sive *Propugnaculum Historiæ Annalium Adm. R. P. Zachariæ Boverij*, Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, quem cùm nullis errorum nævis, contra Catholicam, & sanam doctrinam, aut bonos mores infectum; nec ullâ fellis amaritudine, contra Christianam mansuetudinem insipidum; aut ullis aculeorum punctionibus, contra religiosam charitatem, & modestiam ingratum: sed firmissimis rationum & auctoritatum fundamentis, ex Philosophia, Jurisprudentia, ac sacra Theologia erutis, subnixum; & perutili sapientiâ lucidum, & fulgentem; ad nullius offensionem, sed nudè ad puræ veritatis ostensionem, & Seraphicæ Religionis, matris suæ, & Adm. R.P. Zachariæ Boverij, fratris sui defensionem, compositum; repererim: prælo & luce publicâ dignissimum censeo: quia Seraphicæ nostræ Religioni gloriosum, Auctori suo honorificũ, cunctis doctis jucundum; tandem omnibus legentibus perutilem, futurum spero & cõfido. In quorum fidem, his manu propriâ subscripsi. Datum Bruxellis, 20. Ianuarij 1653.

FR. LIVINUS ALDENARDENSIS, *primus Diffinitor, Guardianus, & sacræ Theologiæ quintò Exlector, Cap. Ind.*

AVctoritate illorum ad quos spectat, sedulus legi Opus intitulatum, *Dilucidatio Speculi Apologetici, sive Propugnaculum historiæ Annalium P. Zachariæ Boverij*, compositum *per* R. P. F. *Antonium Mariam Galitium, Theologum, Capuccinum, Brixianum.* In quo, tantum abfuit offendisse quidpiam sanæ fidei dogmatibus obvium, bonisve moribus adversum; quin potiùs inibi summam eruditionem & prudentiam gustare volupè fuerit; dum succinctè, peremptorijs tamen Argumentis, non solùm *Annales Adm.* R. P. *Boverij* quasi clypeis proteguntur; verùm & tela Antygonistarum incassum missa strenuissimè repelluntur; quorundamque acrimonia verè seraphicâ charitate & modestiâ evincitur; ea propter prelo dignissimum iudico, quatenus seraphica Proles inde hauriat suæ vocationis solatium, in testamento Patris sui veterascens; & orthodoxus quilibet discat, charitate potiùs obiectiones sopiendas, quam invectivis invectivas compensandas. Dabam in Conventu nostro Capuccinorum Antuerpiensi. 5. Octob. 1652.

Fr. Constantinus Bruxellensis, *Prædicator, & eiusdem Conventus Guardianus.*

CENSVRA.

HÆc *Apologia R. P. Antonij Galitij*, Theologi, Capuccini, pro Rev. Patre Zacharia Boverio; modesta est, & Christianis legibus consona, non continens aliquid quod fidei orthodoxæ adversetur. Vnde prælo mandari, & in lucem mitti potest, accedente legitimo Superiorum consensu. Datum Lovanij, die 28. Septembris 1652.

Iacobus Pontanus *S. Theologiæ Doctor, & Professor, ac Librorum Censor.*

** INDEX

INDEX PROPOSITIONVM,

Sive aliquorum Dictorum, hinc inde à R. P. Iacobo de Riddere, in suo Apologetico Speculo insertorum.

I. Propositio:  Mponit Boverio, quod vocet reformationem Capuccinorum opus Dei absque concursu causarum secundarum.

II. Propositio: Reformatio Capuccinorum est reformatio prætensa, & non vera.

III. Propositio: Reformatio Capuccinorum non est reformatio Ordinis Fratrum Minorum, sive S.P. Francisci; sed magis destructio.

IV. Propositio: Congregatio Capuccinorum non est Ordo S.P. Francisci aut FF. Minorum; nisi uno modo, & hoc improprio; ideò indebitè Boverius sibi, suæque Congregationi arrogat nomen, & titulum Fratrum Minorum alio etiam modo, id est proprio, seu ex proprietate verbi.

V. Propositio: Congregatio, sive Ordo Capuccinorum non succedit ordini FF. Minorum, aut S. P. Francisci, seu non est idem Ordo cum Ordine antiquo FF. Minorum, per legitimam ejusdem Ordinis successionem.

VI. Propositio: Generalis Capuccinorum non est legitimus S.P. Francisci successor.

VII. Propositio: Boverius falsò ait Prælatorum, ac ordinis successionem, ex pura præsertim regulæ observantia censeri.

VIII. Propositio: Boverius ex audacia, instar Pictoris, & Poëtæ, multa in suis Annalibus falsa cōtra veritatem, imò etiam contra justitiam, & charitatē inseruit; lapsum præsertim Ordinis, sive deformationem exaggerando, oppositionesq; factas exorienti Capuccinorum reformationi à superioribus ordinis narrando, easque iniustas persecutiones vocando.

IX. Propositio: Boverius aliqua ponit inverisimilia in sua historia, in præiudicium superiorum Ordinis RR. Patrum de Observantia.

X. Propositio: Reformatio Capuccinorum facta extra Ordinem RR. Patrum de Observantia, fuit valde præiudicialis Ordini.

XI. Propositio: Reformatio Capuccinorum, extra Ordinem Patrum de Observantia facta, fuit contra Bullam Leonis X.

XII. Propositio: Capuccini viventes extra obedientiam Prælatorū Ordinis Observantiū, & sub obedientia Prēlatorū Capuccinorum, non servant regulam S.P. Francisci ad litterā, quantū ad duo præcepta, capitis primi, & octavi, quibus cavetur, omnes Fratres teneri habere unum Generalem Ministrum, qui sit S.P. Francisci successor, sed solùm ex permissione, aut dispensatione Pontificis, qui est supra Regulam.

XIII. Propositio: Boverius falsò asserit RR. PP. de Observantia separationem ab Ordine quæsiisse, quam tamen non nisi post multa temporum intervalla consequi potuerunt.

XIV. Propositio: Capuccini falsò R.R. Patribus de Observantia abusus contra puram regulæ puritatem, ut iustam suæ reformationis causam pretenderent, obiecerunt, & proptereà prædictos Capuccinos, oblocutores vocat. Item falsò dixerunt, nunquam in Ordine diu incolumem potuisse stare reformationem.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM.

QUÆSTIO VIII.

QUÆSTIO IX.

QUÆSTIO X.

QUÆSTIO XI.

QUÆSTIO XII.

QUÆSTIO XIII.

QUÆSTIO XIV.

QUÆSTIO XV. & ULTIMA.

 Intentio

Intentio Auctoris, atque eiusdem protestatio.



Licet ipsa propositionum qualitas nobis suaptè natura ansam præbeat, non solùm eas examinandi, verùmetiam impugnandi, si & in quantum à recto veritatis tramite deviant. Ac propterea nullo opus sit verborum tenore ad nostram intentionem manifestandam, quę utique alia non est, quàm efficacibus, aut saltem probabilibus argumentis earumdem propositionum falsitatem respectivè in palàm proponere, aut exponere. Ad quod faciendum, non nos voluntate, sive motu proprio, sed alieno impulsu inducti, & adducti sumus. Eiusdem nimirùm speculatoris, qui suo apologetico speculo, non solùm occasionem præbuit occurrendi propositis, verùm etiam utique ad hoc nos traxit invitos: Item Superiorum Ordinis RR. Patrum de Observantia, qui videntes dictum Patrem Iacobum sui limites mandati excedere, ipsius dicta potiùs retundere, quàm approbare debebant: Præsertim, cùm idem R. Pater (ut ipsemet fatetur in Epistola Dedicatoria) habuerit in mandatis à R.mo P. Generali ea tantùm verâ, & modestâ censurâ retundere, quæ manifestè calumniæ & imposturæ contrà veritatem, honorem, Religionis famam, prærogativam officij Ministri Generalis, & habitus formam, in Annalibus P. Boverij deprehendisset: & tamen ferè semper ipsam veritatem potiùs impugnare, quàm propugnare aggressus est; Nam nullibi, sive ubi est quæstio Iuris, sive ubi occur-

rit quæstio facti, non modò non probat esse manifestè falsa, verùm neque probabiliter, quæ tamquam falsa Boverio & Capuccinis imponit, ut ex nostris quęstionibus cuilibet oculos purgatos habenti, ac puram veritatem diligenti clarissimè constituturum non dubitamus. Ex quo clarè sequitur, ipsum sui fines mandati excessisse. Vnde potiùs ab ipsis Superioribus corrigendus, quàm approbandus erat: Cùm autem, ut dixi, non correxerint, sed approbarint, Nos utique coëgerunt, & cogunt, ut eiusdem correctioni mentem, manum, & calamum admoveamus. Hæc igitur est nostra intentio, sive causa finalis. Hæc item operis nostri ratio motiva, quam utique sacræ Indicis Congregationis decreto, & intentioni minimè adversam esse arbitramur: Neque enim eam fuisse, aut esse sacræ Congregationis intentionem credere possumus, ut fas esse velit R. P. Iacobo tamquam falsa proponere, opponere, & obijcere Boverio, & Capuccinis; & vice porrò versa nobis nefas; ostēdere, imò falsò à prædicto P. Iacobo Boverio, ac Capuccinis talia multa esse imposita. Quod si sacra Congregatio decrevit, Annales P. Boverij esse corrigendos, non tamen putamus eiusdem intentionis esse; ut corrigantur tamquam falsa, aut contrà charitatem, & justitiam pugnantia aliqua, quia talia esse P. Iacobus de Riddere, aut fortasse totus quoque RR. Patrum de Observantia Ordo judicat, & asseverat; si præsertim alias verè talia non sunt: neque enim ideò falsa, sive à veritate, justitia, & charitate aberrantia, quia à prædictis dicuntur, cum Aristotele teste, ab eo, quod res est, aut non est, oratio dicatur vera, vel falsa, non autem falsa est oratio, quia falsa res dicitur; ut optimè S. Hilarius. Et ego quidem nil aliud intendo, quàm vivis ac veris ratio-

rationibus,ſeu argumentis Capuccinos,ac Boverium vendicare ab his, quæ ſpeculator eis imponit, qui ſicut non fuit à ſacra Congregatione muneri corrigendorum Annalium deputatus, ita non poteſt, nec debet corrigi Boverius, quaſi falſa contrà veritatem aſſeruerit: quia id aut ſpeculator, aut alius quicumque partis præſertim aſſeverat. Et nos omnes Capuccini, quemadmodum correctionem, & cenſuram ab eo, ſive ijs, quibus ſacra Congregatio tales partes commiſerit, faciendam cum omni reverentia acceptabimus: ita cum pace ad nullam aliam; minùs verò factam, aut prætenſam à parte recipere cogimur. Iudicent ergo alij, ad quos ſpectat, utrùm vera ſint, an falſa, contra charitatem, & iuſtitiam, an non, quæ à prædicto P. Iacobo in ſuo ſpeculo Boverio,& Capuccinis obijciuntur. Quod ſi talia eſſe inveniuntur, corrigantur, expurgentur: ſin verò non ſunt eiuſmodi, ut nos in noſtro libello reſpectivè minimè eſſe ſufficienter probaſſe putamus, non eſt cur deleantur. Quæcumque autem in hoc opere à nobis ſcribuntur, ita accipi debere monemus, ac proteſtamur, ut non ampliùs quàm humanam,& nullatenùs legitimam, & ut aiunt, ab Eccleſia approbatam, fidem efficiant. Atque ita intendimus, proteſtamur.

COmparet ſub titulo Speculi Apologetici Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci, qui Obſervantes ſunt,& vocantur, liber hoc anno 1651. dum ipſa eorumdem RR. Patrum generalia comitia Romæ celebrantur. Auctore adm. R.P. Fratre de Riddere. Quod Speculum tum in Epiſtola Dedicatoria ad Rev.mos ac Rev.dos Patres in ipſo Capitulo generali congregatos dicata, tum in præfatione ſe eo ſcopo eiſdem Rev.mis & cæteris Patribus dirigere aſſeverat, ut in eo nævos, quibus P.

 Zacha-

Zacharias Boverius Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Annalista, in suis Annalibus ordinem eorumdem Patrum aspergit, videre, ac speculari valeant: Eiusmodi porrò Speculum à se ex obedientia editum esse testatur: Ait enim manasse Decretum Patrum Diffinitorum, & totius Discretorij in generali eorumdem Patrum Congregatione Victorię anno 1648. sub die 27. Iunij, de Annalibus P. Boverij attentè legendis, *ut si quæ in illis manifestè deprehenderentur calumniæ, ac imposturæ contrà honorem, & famam Religionis, contrà bonos mores, & veritatem historiæ, ac contrà prærogativam officij Ministri Generalis nostræ Religionis, & contrà formam habitus; verâ & modestâ censurâ retunderentur.* Ad hoc munus se præ alijs ab ipso Rev.mo Patre Generali electum esse affirmat: unde ex iniuncto munere, Annales prædictos examinans, ac pervolvens, multa certè eiusmodi se reperijsse testatur. Ex quibus quasi infinitis aliquot tantùm se elegisse adiungit, quæ in eo Speculo eâ ratione à se depicta, aut repræsentata, ut in eo veritas reluceat, esse gestit. Protestatur autem, tum in ipsa Epistola Dedicatoria, tum maximè in præfatione, se non alio fine eiusmodi Speculum composuisse, quam defensionis gratia: quod ut magis legentibus imprimeret, librum etiam non alio titulo, quàm Speculi Apologetici, prænotandum duxit: Est enim apologia idem, ac defensio; Quinimò se adeò in sui, ac suorum defensione restrictum fuisse, ac esse affirmat, ut licet fortè læsus, lædere tamen authorem, vel in persona, vel in sacro instituto (quod se ex animo venerari profitetur) minimè intendat: verba sunt ipsius pag. 3. *Ex obedientia Superioribus debita, coactus sum scripta Boverij masticare, omnibusque maturè examinatis ac discussis, aliquid pro Religionis defensione scribere:* Id

tamen

tamen ita facere statui, ut licèt fortè læsus, lædere tamen minimè intendam; Atqui veridicum aliquod eiusdem Patris scriptis speculum opponere, quod nemini blandiendo puram, puram omnibus, & in omnibus quantum possibile erit, exhibeat veritatem, ne fortè taciturnitas reputetur in consensum.

Ex his causæ præfati libri omnibus innotescere valent: sunt autem quatuor, sicut quatuor cęterorum librorum enumerari solent; ut patet ex D. Bonaventura in prologo super primo sententiarum. Et primò habemus jam apertè causam efficientem, nempe Authorem, qui est P. Iacobus de Riddere, ad quã causam efficientem alia, quæ nuncupari solet impellens, sive movens, reducitur, & hæc est imprimis universus Diffinitorum & Discretorij cætus, in quantum unanimi consensu decreverunt, deputandos esse aliquos à Rev.^mo^ Patre Generali, qui Annales Patris Zachariæ pervolverent. Immediata tamen causa impellens fuit Rev.^mus^ P. Generalis litteris obedientialibus ad eumdem P. Iacobum datis; unde non tam motu proprio, quàm alieno impulsu, impellente nimirum, & cogente ipsâ obedientiâ præfatum opus se contexuisse fatetur.

2. Habemus causam finalem, quæ licet videatur multiplex, ad unam tamen ultimatò redigitur: Est autem defensio honoris Religionis, ad quam tandem ordinatur detectio veritatis in speculo, & retunsio multarum falsitatum in Annalibus P. Zachariæ Boverij: ad quod item faciendum concurrit alia quędam veluti causa motiva, quam his ferè verbis attingit: *Ne fortè*, inquit, *tacendo ijdemmet Patres consentire, ac consentiendo approbare viderentur, quæ contra iustitiam, veritatem, ac charitatem in iniuriam totius suæ Religionis à Patre Boverio in suis Annalibus conscripta sunt.*

3. Habemus causam formalem, nempe modum proceden-

di, qui partim est historicus, partim inquisitivus, ut verbis Seraphici utar: [a] Nam Author partim procedit per quæstiones, quod spectat ad modum inquisitivum; partim procedit per simplicem facti narrationem, quod pertinet ad modum historicum: qui modus, nempe historicus, potissimùm ab Auctore servatur in tribus paragraphis, quibus conveniens titulus sub his verbis præponitur: *Brevis elucidatio historica rerum in hoc Speculo repræsentandarum.* Reliquum totius libri usque ad finem continet modum inquisitivum.

4. Denique habemus causam materialem, sive subiectum libri, quod non est aliud, quàm dicta quædam Boverij quatenùs examinanda, ut appareat, an sint vera, vel potiùs falsa, honori Religionis Minoritanæ præiudicialia, ac totum Seraphicum Ordinem RR. Patrum de Observantia denigrantia.

Notanda circà titulum præfatum, *Speculum Apologeticum.*

DVo titulus eiusmodi continet, neque enim est instar aliorum titulorum quibus quidam libri, aut tractatus apologetici prænotari solent, simplici nempe apologiæ inscriptione, ut patet ex titulo S. Bonaventuræ ad suum opusculum, pro pauperum defensione editum, qui sic habet. *Apologia Pauperum*: addidit congruè *Pauperum*, quia omnis defensio est alicuius, ut constat. Iam suprà terminum, *Apologia*, sive *apologeticum*, additus est alius terminus, nempe *Speculum.* quo simplici termino multi Auctores pro titulo suorum librorum usi sunt, unde & speculatores appellantur: In his celeberrimi sunt Durandus, qui per antonomasiam speculator nomenclari solet; Maranta, qui pariter

a S. Bonavent. in 3. quæst. 2. prolog.

riter ſub titulo ſpeculi celebre opus compoſuit: nec inferior eſt inter Regulares ille, qui ſpeculum coniugatorum contexuit: ſed ut alios ſileam, unus occurrit S. Bonaventura, qui ſuum illum libellum de inſtructione Novitiorum, numquàm ſatis commendatum titulo, *Speculum diſciplinæ* prænotavit.

Hic itaque liber non ſimpliciter Speculum, aut ſimpliciter Apologia, ſed *Speculum Apologeticum* inſcribitur; quod perinde eſt ac ſi diceretur Speculum Apologiæ, hoc eſt, in quo relucent, ac proinde clarè videri poſſunt, quæ ad defendendam, ſive tuendam famam Religionis Patrum Minorum de Obſervantia, quam ſuis calumnijs, impoſturis, ac mendacijs denigraſſe Patrem Zachariam Boverium in ſuis Annalibus Speculator prætendit, conferre valent.

Sanè quidem licitam eſſe defenſionem quocumque Iure, humano, divino, ac naturali, adeò perſpectum eſt, ut probatione non egeat, decereque etiam viros Religioſos inde clarè deducitur, quod viri ſanctiſſimi ac pijſſimi Apologias, aut pro Religione Catholica in communi, aut pro Religione ſtrictiùs dicta edidêre, in quorũ numero fuiſſe feruntur, præſertim Gregorius Nazianzenus, Athanaſius, Chryſoſtomus, Cyprianus, Baſilius, Hieronymus, Bernardus, Bonaventura, & Thomas: nõ enim agit perperàm, qui facit ad defenſionẽ, dicit Bartolus, imò & licitum eſſe ſeipſum, ſuáque defendere, etiam alios offendendo, intra tamen terminos, ſive moderamen inculpatæ tutelæ, ut communi Iuriſtarum utar proloquio, conſtans omnium Doctorum, ac Iuris utriuſque interpretatum ſententia eſt. Quo tamen defenſioni locus eſſe valeat, præſupponenda eſt offenſa, quod ſcilicet aut jam quis fuerit offenſus, aut ſaltem

tem

tem in promptu ſit ipſum offendere volens: unde qui prætendit ſe velle defendere, ubi neque offenſus eſt, neque de præſenti, aut imminenti offenditur, non tam ſe, & ſuos defendere, quàm alios offendere velle, reipſa dignoſcitur, quem propterea non relevat quæcumque proteſtatio, aut ſuæ voluntatis & intentionis declaratio, quod ſcilicet non intendat offendere, atqui ſolùm ſe, ſuoſque defendere; cui propterea illud jure obijci poteſt: Proteſtatio non relevat, ubi factum contrariatur proteſtationi.

Adijciendum prætereà, non eſſe fortaſsè ſufficiens ad intentandam defenſionem, ſi ſolùm ſit dubium, aut etiam probabile judicium, ſive opinio de prævia offenſa. unde prudentiſſimè factum puto Decretum à Patribus prædictis eius naturæ & conditionis; ut ſi quæ in Annalibus Patris Zachariæ Boverij manifeſtè dępræhenderentur calumniæ, & impoſturæ contra honorem, & famam Religionis retunderentur; quæ enim manifeſtè talia non ſunt, cùm non contineant manifeſtam offenſam, defenſionem non exigunt, aut ex natura ſua, aut ſaltem ex ſpeciali mandato: quod notandum valdè eſt, quia nulli licet ſuæ commiſſionis, aut mandati terminos præterire. Et hæc quantum ad terminum, *Apologeticum*.

Quod verò attinet ad terminum, *Speculum*, notandum etiam eſt, Speculum ad id deſervire, ut in eo quis ſpeculari, ſive intueri poſſit, non ſolùm, quæ antè, ſed etiam quæ poſt ipſum exiſtunt, undè quis in ſpeculo intuetur faciem propriam, & ea quæ retrò ipſum ſunt, per ſpecies in ſpeculo receptas, & inde ad oculum, quadam quaſi reflexione tranſmiſſas: Ad rem autem noſtram latiùs Speculum dicitur liber, ſive ſcriptura, in

qua

qua veritas ita patenter exprimitur, ut facilè quilibet librum perlegens, quaſi qui reſpicit in ſpeculo, veritatem percipere valeat: eiuſmodi eſt Regula Seraphica, de qua quidam ita ad rem præclarè ſanè teſtatus eſt: *Cumque Regula S. Patris Franciſci ſit veluti purum ſpeculum, in quo evangelica relucet perfectio.* Vnde inepté Speculi titulus ei ſcripturæ attribueretur, quæ licet vera contineret, adeò tamen obſcura, & abſtruſa, ut non facilè legentium facultati, ſive intellectui apparerent. An verò Auctor libelli ita ſe gerat, ut nempe intra defenſionis terminos ſe contineat? An potiùs ad offenſionem ſe extendat, & an non ſolùm veritatem in ſuo ſpeculo, verùmetiam eandem eâ claritate, quâ ſpeculum, & ſpeculatorem decet, ob oculos legentium opponat, ex dicendis conſtabit. Interim duo circà modum procedendi, quæ pariter veritatem concernunt, adijcienda exiſtimo.

Primum eſt, alia ſpectare ad quæſtionem facti, circà quod potiſſimùm verſatur hiſtoria: Nam Hiſtoriographi eſt referre facta, vel geſta: Alia verò ad iuris quæſtionem pertinere, circà quæ verſatur ſcientia: ad ſcientiam enim, ſive ſcientificum ſpectant ea, quæ ſunt iuris, diffinire; hinc diffinitio ſcientifica dicta, quæ rei eſſentiam explicat: uterque verò, id eſt, Hiſtoriographus, & ſcientificus veritatem ſuo modo tueri, ſive ſequi tenetur.

Secundum eſt, veritatem nihil aliud eſſe, quàm repræſentationem, ſive expreſſionem rei, ſicuti eſt: unde licèt alia ſit veritas hiſtoriæ, alia veritas ſcientiæ; Attamen omnis veritas eſt conformitas, & adæquatio, aut intellectus cognoſcentis ad rem cognitam, aut linguæ referentis ad rem relatam: Quia verò, ut dictum eſt, veritas hiſtoriæ circà factum verſatur: Ideò Hiſto-

 riogra-

riographus, ut vera referat, debet deponere, aut prout ipſe ſuis oculis vidit, aut prout ab alijs fide dignis audivit: De quo ita ſcribit S.Hieron.de Script.Eccl. *S. Lucas Euãgelium, ſicut ab alijs audierat, ſcripſit: Acta verò Apoſtolorum, ſicut viderat, ipſe compoſuit.* Si primo modo, dicitur referre veritatem ex propria ſcientia: Si ſecundo, ex aliena fide. Vnde rectè Hiſtoriographus à quibuſdam comparatur teſti, qui aut deponit de rebus à ſeipſo viſis, aut ab alijs auditis, vel etiam in aliorum libris, aut ſcriptis repertis.

Iterùm, quia veritas ſcientiæ eſt cognitio intellectus alicuius rei, ſicuti eſt: Ideò eiuſmodi veritas occurrit menti, aut ex intuitu, aut ex diſcurſu per rationes; aut denique etiam ex aliqua auctoritate (licèt hæc potiùs fundet veritatem fidei, quàm ſcientiæ propriè dictæ.) Vnde ſcientificus quidquid dicit ad ſcientiam pertinens, aut per ſolidas auctoritates, aut per firmas rationes, probare debet: Erubeſcit enim ſcientificus, ſicut & Iureconſultus ſine ratione, aut auctoritate loqui.

Adijciendum poſtremò, quid ſit illud, in quo Speculator ſe, ſuumque ordinem à P. Zacharia offenſum vocat: Et quantum quidem conijcere potui, duo principaliter ſunt, honor videlicet & fama, in quibus bifariè ſe offenſos indigitat: Aut nimirùm, quia falſa eius imponit: Aut quia contrà juſtitiam, & charitatem haud detegenda detegit. Conqueritur præterea, quod titulum illum celebrem, quo RR. PP. de Obſervantia à pluribus ſummis Pontificibus ſunt ditati, nempe Ordinis Fratrum Minorum, eiſdem præripere, ſibique, ac ſuæ Capuccinorum Congregationi Boverius arrogare voluerit. An

verò

verò Pater Zacharias in horum aliquo verè ſacrum RR. Patrum de Obſervantia Ordinem offenderit, ex dicendis conſtabit.

Hæc neceſſariò prælibanda, aut præfanda fuere, quò clariùs, & faciliùs percipi queat: Num vera ſint, ſive quæ ſpectant ad hiſtoriam, ſive quæ ad ſcientiam, quæ Speculator in ſuo Speculo intuenda proponit.

Supponamus autem tamquam vera, quæ tribus paragraphis modo hiſtorico de diverſis Ordinis reformationibus, diviſionibus, unione, ac demùm Capuccinorum origine deſcribit: ſi quæ enim etiam circà factum conſideranda erunt, faciliùs, & congruentiùs in ipſo quæſtionum examine præſtabimus: Ex facto enim jus pendet. His prælibatis, ad quæſtionum exæquationem convertamus ſermonem. Auſpicabimur autem, juxtà Philoſophi monitum, à quibuſdam notioribus, ut ad alia minùs nota, ac difficiliora pergamus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Pater Zacharias Boverius RR. Patres, qui ſunt, & vocantur de Obſervantiâ, verè offenderit in honore, dicendo magis laudabile eſſe, ac maioris perfectionis, barbam alere ad Chriſti imitationem, quàm eam radere.

SPeculator id ſanè prætendit, ut patet ex tota quæſtione 30. cujus titulus eſt, *an barbam alere ſit perfectiùs Chriſtum imitari, quàm eam radere, vel tondere*: vnde allatis, quæ de barba ad Chriſti Dñi, & Apoſtolorũ exemplũ deferenda Boverius ad annũ 1528

ſcripta reliquit, eumdē ita impugnare aggreditur, ut nō ſemel, ſed iterùm, ac tertiò in eundē verbis irriſorijs inclamet, ut cùm ait: *Quàm plena rebus mirabilibus cenſenda reformatio, ubi in ſola barba tot latent myſteria: &, infelices ergo mulieres, & eunuchi qui non poſſunt perfectè Chriſtum imitari, ad quorū tamē, & noſtrum ſolatium facit, quod Chriſtus Matth. 11. dixerit: Diſcite à me non mundum fabricare, inquit D. Aug. unde liceat & mihi addere, nō barbam deferre, ſed quia mitis ſum, & humilis corde. Et denique hanc profeßionem cum Eccleſia Romana acceptamus, tam in barbæ, quàm in ſuperfluitatis caputij decurtatione, relinquentes Patribus Capuccinis, tamquàm Eremitis, prout inſtituti ſunt, barbæ, & caputij prolixitatem, cum omnibus myſterijs in eis contentis, ſine ulla æmulatione.*

Hæc ille quæ licet ſacræ indicis Congregationis decreto reſecari debere ſancitus fuerit: Quia tamen in pleriſque adhuc codicibus integra reperiuntur, verbatim adducenda eſſe neceſſarium duximus. An verò ejuſmodi tantùm defenſionis gratiâ dicta, ac conſcripta, cenſeri valeant, ut ſpeculator ſpeculum ſuum, defenſionis gratiâ tantùm, &, ut in eo veritas reluceat, à ſe compoſitus eſſe, ſemel, atque iterùm proteſtatur, omnibus legentibus iudicandum relinquo. Certè, ut alio loco adverti, defenſio ſupponit offenſam: neceſſariò ergo fatendum eſt ſpeculatorem ad offenſam adſcribere, quod Boverius dixit eſſe perfectius Chriſtum imitari, barbam alere, quàm eam radere. Quod ſi quiſpiam admittat, fateri etiam cogetur, ſemper offenſum iri unum Ordinem Religioſorum ab altero, vbi is ſe in aliquibus perfectiùs Chriſtum imitari, quàm alterum contendet: Atque adeò Divum Thomam offendiſſe Religiones illas, quas cæteris imperfectiores eſſe tam conſtanter aſſeveravit:

Quod

Quod nullus sanæ mentis dicet. Quam ergo offensam in honorem suæ Religionis prætendere potest Speculator ex eo, quod dixerit Boverius, bonum quidem esse, & non carere mysterio radere barbam; at verò melius esse eandem Christi exemplo, ad eundem perfectiùs imitandum deferre? Iudicet ipse, utrùm, nec ne, hîc quoque sui mandati limites excesserit.

Sed esto, ex indirecto ad offensam spectare valeat; ejusmodi comparationem facere inter Capuccinos, barbã ad Christi Domini exemplum perfectiùs imitandum, portantes, & inter RR. Patres barbam radentes, cùm tritum sit, omnem comparationem esse odiosam, cautumque reperiatur in Iure, minorem favorem, respectu maioris, odium posse censeri. Videamus, an verè sit perfectius Christum imitari, barbam deferre, quàm barbam radere; si porrò de imitatione purè materiali sermo esset, supposito, Christus barbam detulisse, quod negari minimè posse videtur, res foret certo certior: quemadmodùm, qui corporaliter circumcisionem acciperet, ad Christum, qui circumcisus fuit, imitandum, non dubium, quin perfectiùs Christum materialiter imitaretur. Dixi, ad Christum imitandum: ut excludam Hebræos, qui circumciduntur, ut legem Moysis servent, non ut Christum imitentur: Ideò neque materialiter perfectiùs Christum imitantur. Tota ergo quæstio est de imitatione formali, in qua virtus aliqua consistit: vnde formaliter perfectiùs Christum imitari, est Christum ita imitari in re, in qua est imitandus, ut ipsum, imitando, perfectiùs veneremur: Et sub hoc sensu proponitur quæstio à speculatore; qui adeò certam partem negativam esse prætendit, ut nulla omninò probatione egere putarit, quasi sit res per se manifesta. Velim

tamen dictus Rev.[dus] Pater, tanquam sacræ Theologiæ Lector, ad sui memoriam revocasset, quæ [a] S. Bonav.[ra] in 3. dist. 35. a. 1. q. 5. scripta reliquit, Bifariè nimirùm posse aliquem agere, vel pati; aut scilicet propter justitiæ, & honestatis conservationem, quod ex eodem sancto Doctore ibidem ad dictamen Iuris naturalis, & honestatis moralis spectat: Aut propter perfectam Christi imitationem, quod ad consilij donum pertinet: Inde enim facilè intellexisset, actiones quascumque, & pasiones, hoc fine præciso, ad Christum scilicet perfectè imitandum, ordinatas (licet non omnes sint necessitatis) esse tamen semper consilij, & supererogationis. Quod si doctrina tanti Doctoris ad veritatem clarè percipiendam minimè suffecisset, sive pro eo, quod nimis communis sit, & ideò minùs utilis, ut loquitur Sanctus Thomas [b] 2. 2. prologo; sive pro eo, quod Sanctus Bonaventura loquitur de actione, aut pasione, in quibus Christus est laudabiliter imitandus, qualis non est utique barbæ delatio, quæ est actio in se indifferens, voluissem pro pleniori huiusce rei intelligentia eruditisimum [c] Caietanum consuluisset ad a. 1. q. 37. 3. p. vbi de more, sumptâ occasione ex verbis Sancti Thomæ in resp. ad 2. talem instituit quæstionem: utrùm scilicet nunc in statu Euangelij licitum sit se corporaliter circumcidere ad se Christo confirmandum, sive ad Christum imitandum: ad quam quæstionem dirimendam quædam scitu sanè digna præmittit, quæ cavendæ prolixitatis gratiâ missa facio, & eò libentiùs, quo Caie-

a *S. Bonav.* b *S. Thom.* c *Caiet.*

Caietani textus, & doctrina est in omnibus scholis satis trita: solùm verò hæc pauca, in quibus summa resolutionis continetur, adijcio.

Conformitas ad Christum, inquit ille, *de genere bonorum est secundùm se: bonum autem adiunctum actui non malo non reddit illum malum, sed potiùs bonum.* hæc ille. Ex quibus ad rem nostram satis clarè infertur, cùm non sit malum secundùm se barbam alere, sed ad summum indifferens, eo ipso, quo fit ad Christum imitandum, effici bonum. Paulò verò post idem. Caietanus subdit talem obiectionem; *Circumcidere se corporaliter, etiam ad Christum imitandum corporaliter, videtur saltem otiosum, atque adeò vanum, caret enim necessitate, & piâ utilitate, ac proindè videtur malum, aut saltem non bonum.* Quam obiectionem etiam soluit his ferè verbis: *Assumere circumcisionem corporalem ad se assimilandum Christo, corporaliter solùm, vanum quidem esset: at ordinare eiusmodi assimilationem, & imitationem corporalem ad ejusdem Christi venerationem, non solùm non est superstitiosum, aut actus superstitionis, quinimmò religionis; nonnulla enim veneratio est vacare assimilationi ad Principem; in honorem siquidem Principum vocamus filios nostros ipsorum principum nominibus, ut Iulios à Iulio, Leones à Leone: Nec superstitiosè similis honor in sanctos transfertur, sed ad venerationem sanctorum spectare credimus, quod filios nostros sanctorum nominibus appellemus: Et propterea, sicut assimilari velle sanctis in nominibus extra religionem non est, sed ad venerationem quandam spectat, ita honorem hunc exhibere Christo, ut etiam corporaliter assimilitur sibi circumciso homo, non superstitionis vanitas, sed veneratio quædam est ab hominibus humano*

more

more exhibita. Hactenùs in proprijs fere terminis Caietanus ex quibus clarissimè patet, omne, quodcumque sit, dummodò non sit malum ex genere suo, ad Christum imitandum, spectare ad ipsius Christi honorem: atque adeò esse actum virtutis religionis, quæ post Theologicas primum locum obtinet: At licet non sit necessarius ad salutem imitari Christũ in omnibus: spectat tamen ad perfectionem, unde velle imitari Christum procedit ex dono Spiritus Sancti, ut aptissimè S. Bonaventura loco superiùs citato.

Ex his arguo pro veritate adversùs speculatorem: nil minus Christus egit, in quo voluit imitari, quam circumcisionem accipere; hoc clarum est; quia licet ipse fuerit circumcisus, nobis tamen prohibuit circumcidi, non sic barbam deferre: At se circumcidere ad Christum imitandum, est Christum perfectiùs imitari, & proindè actus religionis Deo placitus: ergo & barbam deferre ad ipsum Christum imitandum, est perfectius ipsum imitari. Prætereà aut barbam deferre dicit aliquam perfectionem, aut non: si sic, aut maiorem, quàm barbam radere, aut minorem: si maiorem, habetur intentum, si minorem, ergo Christus minùs perfectè egit deferendo barbam, & perfectiùs utique egisset eam radendo; quod an salvâ in Christum reverentiâ dici queat, alijs iudicandum committo: si non dicit perfectionem; aut ideò, quia malum est; aut quia nec bonum, nec malum: non quia malum, ergo ut summum, quia indifferens: At indifferens ex genere, efficitur bonum, aut malum ex circumstantia finis boni, aut mali: ergo. Quæcum ita sint, non modò vera non est speculatoris in hac parte sententia, verùm etiam valdè periculosa: negat enim bonum esse secundùm se

in

in aliquibus, id eſt,indifferentibus,Chriſtum imitari,ac proindè retrahit ex parte à Chriſti imitatione, in his nempè,quæ ex ſe indifferentia ſunt; cujus contrarium apertiſſimè à Doctoribus claſſicis edocetur: Multò verò magis periculoſum eſt arguere, prout ipſe ad hanc ſuam ſententiam,pro qua nullũ omninò citat auctorem,probandam arguit;Ex loco ſcil. Matt. xi vbi Chriſtus,*Diſcite*,inquit,*à me quia mitis ſum,& humilis corde*: ſi enim valet ipſius argumentum,probat utiq; nil aliud à Chriſto Domino in Euangelio nobis ad imitandum eſſe traditũ, quàm humilitatem, & manſuetudinem. Videat ergò, qui oculos habet,quàm benè argueret,qui diceret : non eſt iejunandum ad Chriſti exemplum ; Aut non eſt perfectiùs Chriſtum imitari, ieiunare: quia Chriſtus Matth. 11.non docuit niſi humilitatẽ, & manſuetudinem:nam iejunare non eſt actus humilitatis, aut manſuetudinis;ſed temperantiæ,ut certiſſimũ eſt. Si ergò ejus vis argumenti ritè,ac fideliter perpendatur, illud ſuum antecedens hanc neceſſariò infert concluſionem: Non eſſe nimirum bonum ſecundùm ſe Chriſtum imitari in alijs ; præterquam in humilitate,& manſuetudine, quia nil aliud, in quo ipſũ imitaremur, nos docuit,ſive nil aliud ab eo nos diſcere voluit:Quod quàm ſit periculoſum in fide, nemo eſt, qui videre non poſſit.

Ad argumentum ergo in forma reſpondetur,Chriſtum quidem Matth. 11.docuiſſe tantùm humilitatem , & manſuetudinem, non inde tamen ſequi,nulla alia alibi docuiſſe [a] (hoc quis ignorat) Audiat ille Divum Ambroſium ſerm. 22. ita in propoſito loquentem: *Notas mihi fecit vias vitæ,cùm me docuit (id eſt Chiſtus) Iidem,miſericordiam,iuſtitiam, & caſtitatem.* Quid plura! alia

a *S. Ambroſ.*

nos docuit Christus verbo, alia facto, & exẽplo. Vnde ipse postquam lavit pedes discipulorum suorũ: [a] *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos ita faciatis*. Quod de omni, & quocumque opere intelligi posse, certa est, & indubitata omnium interpretum sententia. Quoniam verò nullum prorsùs effugiũ ad hanc veritatem cavendam imaginari posse video, nisi dicendo deferre barbam, utpote rem purè materialem, & indifferentem, non esse de his, in quibus se Christus imitandum præbuit: Repeto doctrinam Caietani, qui loquitur de re omninò aliàs otiosa, quæ tamẽ ex hoc fine efficitur laudabilis, & meritoria: Et ratio à priori esse potest. Si enim quilibet finis bonus trahit actũ indifferentem ad rationem boni, cur non finis iste, qui est nobilissimus, nempè imitari Christum, sive operari causâ imitationis Christi, id non efficiet! Ob hanc causam in prima Chronicorum parte commendatur simplicitas illius Fratris Ioannis, qui se in omnibus, etiam alioqui frivolis, suo Seraphico Patri, quem sibi à Deo, tanquam exemplar imitandũ, propositum fuisse putabat, imitari satagebat. Et ob eandem causã ipsemet Seraphicus Pater, cùm una dierum inter Missarum solemnia Euangelium audijsset, tanta Spiritus sancti virtute perunctus, & imbutus fuit, ut in formam ibidem præscriptam non solùm notitiâ, & affectu, sed & vitâ, & habitu se transformârit: Verba sunt ex S. Bonaventura in lectionibus officij Seraphici Patris apposita. Quod si non est laudabile se Christo conformare in habitu, ut quid commendatur in Seraphico Patre? sin autem est laudabile, cur non est laudabile deferre barbam, quam (si Dialecticam consulas) ad habitum reduci reperies: Sed de habitu

a *Ioan.* 13.

habitu infrà. Eidem ferè periculo obnoxium puto, quod de mulieribus,& eunuchis iactat: si nimirùm barbam deferre est Christum perfectiùs imitari,inde sequi, eos esse infælices, quia Christum in barbæ delatione imitari nequeunt: Quasi Christi imitatio in Euangelio omnibus eodem modo commendetur. Certè laudabile est Christum prędicando,aut docendo imitari, & tamen Apostolus [a] Paulus mulieribus id vult esse prohibitū: ergò malè Speculator,& indebitè inde vocat mulieres,& eunuchos infęlices,quia ad Christi imitationem barbam deferre non valent. Alias infælices pariformiter essent mulieres, quibus ex apostolico præcepto docere non permittitur: docere enim ad Christum imitandum,est ipsum perfectiùs imitari:atque ut stemus in proposito casu Caietani,liceret adversùs eundem exclamare , si se circumcidere ad Christum imitandum est ipsum perfectiùs imitari, infælices ergo mulieres , quæ sicut non possunt barbam deferre , ita neque circumcisionem accipere.

Tandem ut huic quæstioni finem faciamus,scire vehementer concupiscimus, quid sit,quod ait Speculator de acceptanda professione,cum Ecclesia Romana, tam in barbæ,quàm in superfluitatis caputij decurtatione : ubi quæso ista Romanæ Ecclesiæ professio circa decurtationem caputij ? Quam ob causam duo hæc iungere voluit in professione Romanę Ecclesiæ: nisi fortè, ut eidem verius obijci posset illud Proverbiorum, quod ipse opponit Boverio: In multiloquio non deerit peccatum. Attendat itaque unusquisque utrùm hic Auctor in suo speculo puram,puram veritatem repræsentet.Certè nullibi reperio , vbi Ecclesia Romana sive secularium, sive Clericorum

a 1. *Tim.* 2.

circà caputij aut oblongi, aut obcurti delationem verbo, aut exemplo, professionem faciat, ut ipse in hæc verba prorumpere possit, & debeat; *Hanc professionem cum Ecclesia Romana acceptamus, tam in barbæ, quàm in superfluitatis caputij decurtatione.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm reformatio Capuccinorum quoad sui ortum, & promotionem, salvâ veritate, non obstantibus medijs humanis adhibitis, speciali aliquâ ratione censeri valeat divinitùs exorta, & an Boverius eamdem reformationem opus Dei absque concursu causarum secundarum vocet.

CArpit multoties Speculator nostrum Annalistam in eo, quod sæpiùs reformationem Capuccinorum divinitùs magis, quàm humanitùs exortam insinuat absque Patre, instar illius quondam Melchisedech celeberrimi inter antiquos Sacerdotis, seu illius lapidis, de quo Daniel Propheta, à monte àbsque manibus hnmanis dissecti, quasi in hac re à veritatis tramite (suæ reformationis plus debito extollendæ gratia) aberrarit. Quod an verum sit, sive viritim ab Annalista dictum in præsenti quæstione solicitùs nobis est examinandum. In primis tamen illud pariter hoc loco monendum occurrit, quod defensionem respicit; Quid nempe hoc speculatori, ac toti RR. Patrum de Observantia Ordini ad offensam? Quis ipsos pungit, ut tantoperè doleant? Quis in hac parte eorum aliquem, vel in modico offendit, ut tantoperè contrà Annalistam, & eius dicta (quæcunque illa sint) inclament? nisi fortasè sibi ad offen-

offensam imputent,quod alijs prodesse potest ad gloriam,contra dictamen iuris naturalis, ac regulam iuris humani, caventem, nulli displicere debere,quod sibi non nocet, & alteri prodest.

Iam verò,quod ad veritatem attinet, videamus: Vtrùm saltem, salvâ ipsâ veritate, sustineri queat, quod de reformatione divinitùs exorta noster Annalista iterùm, atque iterùm asseverat. Speculator quidem de more sibi in animum inducens, rem fortaſsè esse per se notam, nullâ aliâ ratione credit esse probandum, quàm in medium proferre media quædam humana ex ipsomet Boverio, à primis suæ prætensæ reformationis auctoribus adhibita. Legatur idem speculator quæst. 10. pag. 83. ubi ex Boverio plurima humanitùs ad reformationem fundandam, nutriendam & propagandam adhibita esse enarrat: Verùm quantum illa dictis à Boverio præjudicare valeant,ipsemet Speculator facillimè dignoscere valuisset, si saltem veluti Scotista eius celeberrimę doctrinæ memor esse voluisset, quam habent communiter Scotistæ cum Scoto,ubi de productione animarum, litterarum monimentis consignare assueverunt: Quam nos in præsentiarum laconicè in medium afferre non gravabimur.

Scribit ergo Scotus, productionem animæ esse opus divinum potiùs, quàm humanum, aut naturale (nec loquitur de intellectiva tantùm, verùmetiam de sensitiva)quippe cùm natura suis viribus earum formarum productionem immediatè attingere nequeat, ad divinam propterea, inquit subtiliter Doctor subtilis, recurrendum esse virtutem. videatur si lubet [a] Faventinus.Quid quod ergo, dices,naturæ ad eiusmodi opera pa-

a *Faventinus theoremate 69.*

 tran-

tranda induſtria à Deo exigitur? exigi planè non poteſt quis ire inficias,cùm natura ſemen adminiſtret,ipſum ſemen debitè diſponat.Reſpondebit Scotiſta, non omnem hîc naturæ induſtriam prorsùs arcet: fatebitur abſque difficultate, naturæ remedia in omni eiuſmodi generatione ſemper adhiberi: At non inde ſequi, opera eiuſmodi eſſe à natura, quoniam natura immediatè eiuſmodi productioné minimè attingit, atqui ſolùm materiam proximè diſponit: natura ergo diſponit materiam: at Deus immediatè producit formam: ac pro tanto eiuſmodi opera Dei potiùs, quàm naturæ eſſe cenſentur.Non propterea tamen putes à Scoto, aut Scotiſtis, inter vera, ac propria miracula computari.

[a] Adverte itaque, Deum trifariè ſe habere ad opera patranda: primò enim operatur aliquando totum opus ſe ſolo,abſq; conſortio alterius cuiuſcumque cauſæ; ſic ab initio creavit mundum.2.operatur omninò cum cauſa ſecunda, ita tamen,ut etiã cauſa ſecunda immediatè ſuo modo effectus productionem attingat.3. denique operatur medio modo,exigendo quidem, ex ſuavi ſuæ ineffabilis providentię diſpoſitione,conſortium cauſæ ſecundæ ad materiam diſponendam,ita tamen ut ipſe Deus ſolus in materia jam diſpoſita formam inducat,aut etiam educat:cujus rei cauſam aſſignant Scotiſtæ cum Scoto, quia nimirum eiuſmodi forma,id eſt,anima tantę eſt excellentię,ut,quãtum ad eius productionem,naturæ facultatem, ſive vires tranſcendat: non autem quantum ad materiæ diſpoſitionem: Deus itaque ſupplendo defectui naturæ,ea per ſe producit, quorum productionem natura ſuis viribus attingere immediatè nequit

a *Geneſ.* 1.

quit. Primi generis opera, quæ ſcilicet Deus ſe ſolo operatur, ſimpliciter ſupernaturalia, ſive divina nuncupari ſolent: Quod ſi ſint opera gratiæ gratis datæ ad fidei veritatem, aut alicujus ſervi Dei ſanctitatem confirmandam, verè, & propriè miracula ſunt, & dicuntur. Opera verò ſecundi generis, vice versâ, ſimpliciter opera naturæ reputantur, quia naturæ vires non excedunt. Opera denique tertij generis, cùm partim ſint à Deo, partim à natura, diversâ ratione & reſpectu, interdum à Doctoribus naturalia, ſive opera naturæ, interdum etiam divina, ſive Dei opera nuncupantur; & ſiquidem denominatio à principaliori, & nobiliori foret, & eſt facienda, cùm longè dubio procul, nobilior, & principalior ſit productio formæ ſubſtantialis diſpoſitione materiæ, ſive productione formæ accidentalis, eiuſmodi opera ſimpliciter appellanda erunt ſupernaturalia potiùs, & Dei, quàm naturalia, ſive hominum, & naturæ.

Non ergo falsò, aut abſque ullo prorsùs fundamento, ut ſpeculator aſſeverat, Pater Boverius toties inculcavit, reformationem Capuccinorum eſſe opus potiùs divinum, quàm humanum, ſive Dei magis, quàm hominum, & naturæ. Aut ſaltem non valet: Non ſunt neglecta, imò etiã adhibita humana conſilia, & ſtratagemata militaria, ex eodem Boverio, ad Reformationem fundandam: ergo falsò aſſeritur ex aliqua ſingulari, & extraordinaria Dei providentia fuiſſe exortam. Si ergo ſpeculator Boverio imponere velit, quod vocet reformationẽ verè, ac propriè miraculum, ut videtur innuere pag. 24. & clariùs 84. ubi hęc formalia verba habet: *non exiſtimo, quod aliquis, omnibus benè conſideratis, & maturè perpenſis, iudicare poterit interveniſſe ſingularem, &*

extra-

extraordinariam in ortu, vel promotione prætensæ reformationis Dei operationem sine causarum secundarum concursu. Si, inquam, Boverio tale quid imponere velit, quod existimarit reformationem Capuccinorum verè, ac propriè miraculum, sive præcisè opus Dei supernaturale absque concursu causarum secundarum, rem planè falsissimam Boverio imponit: numquam enim Boverius dixit, aut existimavit Capuccinorum reformationes tale opus Dei extitisse, aut existere, ut omnem secundarum causarum concursum prorsus excludat: sin verò intendit Boverio inurere, quod reformationem Capuccinorum miraculum latè appellet, hoc quidem verum est: at non video, quâ ratione Boverium in eo carpere possit, ac debeat; cùm ipsemet pag. 35. reformationem Capuccinorum opus tanto mirabilius esse fateatur, quanto primi Reformatores, Matthæus videlicet de Bassio, & Ludovicus Iorosempronianus ad tantum opus inhabiles inveniebantur. Vnde ille ob instabilitatem, hic ob superbiam, & ambitionem, à se inchoatam, & propagatã reformationem deseruerunt (verba sunt formalia speculatoris loco citato.) Cùm autem miraculum dictum sit quasi mirè factum, ut per [a] S. Thomam cõmuniter receptum, non fuit ægrè ferendum censeri miraculum à Boverio, quod à speculatore opus mirabile nuncupatur.

Quid plura! ego planè existimo, non solùm de reformatione Capuccinorum, verùm etiam de quacumque alia necessariò fatendum esse, ex singulari quadam & extraordinaria Dei operatione, & providentia prodire: Cùm enim omnis reformatio, de qua est sermo, eò sit ordinata, ut religiosos homines ad meliorem, aut etiam optimam vitam ordinet, per statuta, & alia ad id

a. *S. Thom. 1. p. q. 105. ar. 7.*

id necessaria; Vnde ipsa actualis reformatio non est, quàm conversio ab uno statu malo, aut saltem minùs bono, ad meliorem, vel etiam optimum, contradicentibus sæpè, & ex adverso repugnantibus ipsis hominibus. Quis non videt, opus esse singulari aliquâ, & extraordinariâ Dei operatione, ut tantum, & tale opus promoveri valeat. Nec tamen sunt etiam vanæ humanæ industriæ, humana consilia, imò ea ex ipsa Dei providentia sunt adhibenda: Quia tamen ejusmodi vires humanæ, & humana consilia (quæcumque illa sint) tanti operis promotionem, sive institutionem attingere nequeunt: ideò rectè, ac rectissimè omnis reformatio divinum opus nomenclatur, non quia sit à Deo solo, prout sunt miracula propriè dicta, hoc enim quis ignorat? nec Boverius vnquàm Reformationis opus ita Deo adscribit, sive inter Dei opera connumerat, quasi sit verè, ac propriè miraculum, sed sub eo sensu opus divinum, & ex Dei singulari, & non ordinaria providentia proditum affirmat, quod licet exigat humana media, & consilia, verè tamen omnium hujusmodi humanorum consiliorum, industriarum, cautelarũ, stratagematum, vires, ac facultatem transcendat. Nec Speculator unum tantùm locum reperiet, in quo Boverius Reformationem miraculum propriè dictum esse affirmet: vbicumque verò eam, aut opus divinum, aut etiam miraculosum esse insinuat, aut alio quovis simili nomine eandem nominat, cùm sano modo, salvâ veritate, interpretari valeat, imò secundùm omnia Iura, insuper etiam debeat; Nescio quo spiritu ductus Speculator in ejusmodi dictis, quæ tantâ facilitate ad bonam frugem, & sensum, non solùm trahi valent, verùm etiam ex ipsis regulis Iurium interpretari

debent, Boverium carpere voluerit. Vt autem tandem discat unusquisque non tam ab hominibus, quàm ab ipso Deo, veritatem, audiat, quid de huiusmodi operibus scriptum nobis reliquerit S. Lucas Actor. 5. *Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus illis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini.* En claré quomodo opus, ad quod patrandum Deus hominibus utebatur, non hominum, aut ex humano consilio, sed Dei, sive ex Dei consilio gestum asseritur. hoc itaque sensu Boverius Reformationem opus non ex hominibus, sed ex Deo esse verissimè asseruit.

Dices Boverium Reformationis promotionem, sive genealogiam lapidi sine manibus de monte abscisso, ac Sacerdoti Melchisedech sine patre, & genealogia, ut scribit Apostolus, existenti conferre: fateor: sed quid inde? neque enim similitudo necessariò utroque, ut dicitur, pede currere debet: Vult ergo Boverius ex aliqua parte reformationem Capuccinorum assimilem esse, tum abscisioni lapidis, tum genealogiæ Melchisedech: non tamen omniquaque: Nam tam clarè admittit aliquam humanam industriam, ut nullâ ratione tale de eo judicium fieri queat; Addit verò, & benè, non obstantibus eiusmodi humanis consilijs, quæ ex se ipsis ad Reformationem proximè attingendam sufficere minimè poterant, Reformationem censeri potiùs divinitùs, quàm humanitùs exortam. Vnde si quis in duabus quæstionibus adducta ex Speculatore attentiùs considerârit, facilè reperiet ipsi esse pro ratione voluntatem, quærereque prætextus, ut Capuccinorum Congregationem deprimat, unde eidem magis quadrare perspiciet,

quod

quod ſemel fol.ſcilicet 34.de Boverio, nempe eſſe ei pro ratione voluntatem, affirmat.

QVÆSTIO III.

Quęnam ſit cauſa efficiens, motiva, & finalis Reformationis Capuccinorum.

OMnis effectus neceſſariò poſtulat ſuas cauſas. Quare cùm Reformatio ſit quædam reproductio, & reproductio neceſſariò terminet ad reproductum, omninò opus eſt etiam Capuccinorum Reformationem ſuum habere Auctorem.

Supponimus autem principalem auctorem eſſe ipſum Deũ: ſicut enim Deus eſt principalis auctor formationis cuiuſcumque Religionis: ita etiam cuiuſcumque reformationis: Pontificem verò eſſe confirmatorem, qui nempe ſuâ auctoritate approbat, & confirmat, tam formationes, quàm reformationes: Item Seraphicum Patrem eſſe veluti cauſam moralem, ac meritoriam, ſive impetratoriam, quatenùs ſuis precibus, & meritis obtinet à Deo pro tempore & loco neceſſarias, aut conveniẽtes in ſua Religione reformationes: non ita tamen quin principalis cauſa meritoria ſit Dominus noſter IESUS Chriſtus. Tota ergo difficultas eſt de cauſa proxima, & immediata, quæ neceſſariò eſſe debet creatura humana: ſicut enim omnis Religio formata eſt per homines, ita per homines omnis pariter reformata.

Conatur Boverius oſtendere, Reformationem Capuccinorũ ortam eſſe ſine patre, ac ſine humanis manibus eſſe compactã: Nam neque Mattheus, neq; duo fratres Ludovicus, & Raphaël, propriè huic Reformationi vitam, ſive eſſentiam tribuerunt.

Cõtra hunc loquẽdi modũ Boverij cõſurgit Speculator ęgrè ferens

rens, Capuccinorũ Reformationem non ab hominibus, aut ex hominum induſtria,atqui ex aliqua ſingulari,& extraordinaria Dei operatione cenſeri exortam; ut videre eſt potiſſimùm tota quæſt 2. vbi inter alia hæc habet. *Faceſſant itaque miracula Religionis ſine parente, ſine propagatore genitæ; talibus miraculis Deus non indiget.*

Verùm, ut quæſtione antecedenti advertimus, ſimul & oſtendimus, Boverius nunquam vocavit Reformationem verè, ac propriè miraculum; imò in re nil aliud dicit, aut intendit, quàm idipſum, quod Speculator, attentâ ſcilicet Matthæi inſtabilitate, ſive inhabilitate, ac Ludovici affectione, attentiſque alijs,quæ circa initium Reformationis occurrerunt,negari non poſſe, quin Reformatio opus mirabile fuerit; atque hinc patet, quænam ſit cauſa efficiens Reformationis Capuccinorum.

Cauſa verò impellens nulla alia fuit, quàm Deus intus movens,& impellens Fratrem Matthæum, & Ludovicum ad Reformationem intentandam; nec reperimus, vbi aliquis homo eoſdem ad hoc opus impulerit; benè invenimus, quis eos, & verbis,& factis retrahere enixus fuerit.

Cauſa denique finalis, præſertim Dei primi hujus Congregationis motoris, nulla alia fuit,quàm ipſius Dei gloria, & ſalus animarum, ſive bonum ſpirituale, tam ipſius Congregationis Capuccinorum,quàm totius Eccleſiæ: ſicut Dei gloria, & ſalus Mundi fuit finis Chriſti crucifixionis, ac mortis; quo exemplo, aut ſimilitudine,eo libentius utor, quo Speculator pag. 109, ut Boverio contradicat, aienti opus Dei fuiſſe, & à Deo profectum, ut Capuccinorum reformationi viam ſterneret,

ret, quod Ludovicus cum fratre ſuo Raphaële, abſque Superiorum licentia, Matthæum de Baſſio adiret, hæc ſcribit. *Non inficior, ſi eo modo intelligat Dei opus, ſicut negatio, & interfectio Chriſti dicitur Dei opus, & medium, quo redemptionem implevit.* hinc enim in primis, etiam ad hominem, colligo, Reformationem Capuccinorum fuiſſe per ſe à Deo intentam, tanquàm quid optimum ad ſui gloriam, ſicut fuit per ſe intenta Mundi Redemptio: cùm tamen Speculator alibi non erubeſcat aſſerere, reformationem Capuccinorum non fuiſſe Ordini proficuam, ſed potiùs nocuam, 2. colligo, illum fratris Ludovici diſceſſum ab ordine fuiſſe etiam à Deo intentum, ſicut intenduntur media ad finem neceſſaria. Vtrùm verò vlteriùs fuerit intentus ſolùm permiſſivè, ut peccata, licet hoc loco abſolutè Speculator videatur aſſerere: ſupra tamen non fuit auſus coram Deo prædictos Patres alicujus culpæ reos facere: ait enim: *Neſcio tamen, Quomodò ſaltem in foro externo.* Nos ergo certum accipimus, & dimittimus incertum. Certum eſt etiam ex ipſo Speculatoris teſtimonio, ipſam Reformationem, ut optimam, fuiſſe à Deo intentam. Certum item fuiſſe intentum diſceſſum duorum fratrum, tanquam medium reformationi neceſſarium: An verò ejuſmodi diſceſſus fuerit malus moraliter, ac proindè ſolùm permiſſivè intentus, an etiam poſitivè volitus, non definio, cùm nec ipſe Speculator, ſaltem quoad Dei forum, diffinire audeat: ſed ipſius Dei iudicio prudenter relinquitur.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Reformatio Capuccinorum sit vera Reformatio, prout ab ipsis prætenditur.

REformationem Capuccinorum non ſimpliciter reformationem, ſed prætenſam ſæpiùs Speculator appellat; quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Capuccinis incumbere probare ſuam eſſe veram reformationem: nam prætendenti aliquid, quod in iure, aut à iure non præſumitur, onus probationis incumbit: ut eſt tritum in iure. Dico prætendenti aliquid, quod in iure, aut à iure non præſumitur: qui enim habet iuris præſumptionem, ſuam in præſumptione fundatam habere dicitur intentionem. Si ergo Capuccini ſuam veram Reformationem eſſe prætendunt, hoc ipſis probare incumbit, quod neque Boverius, neq; alius ex eis hactenus præſtitit: licet autem eo ipſo, quo Capuccini non probarent, ſuam eſſe veram reformationem, ut prætendunt, aut in probationibus deficerent, abſq; alio omninò à ſua pretenſione excluſi forent, ut ex tritiſſima Iuriſtarum doctrina: Vnde ad excludendos Capuccinos à ſua prætenſione Speculator eo poterat eſſe contentus; nihilominùs ulterius ſe extendens, non ſolùm ipſorum reformationem prætenſam vocat, verùm etiam talem eſſe, & non veram probare conatur, præſertim pag. 118. ubi hæc habet formalia verba: *ea ſolùm vera reformatio dici poteſt, quæ fit in Ordine, nam reformatio extra Ordinẽ, quantum in ea eſt, potiùs eſt Ordinis deſtructio, & novi Ordinis inſtitutio, quàm antiqui reformatio.* At reformatio Capuccinorũ, ipſiſmet atteſtantibus, eſt extra Ordinem, non in Ordine; ergo tantum abeſt,

ut probent Capuccini, suam esse verã reformationem, ut prætendunt, quod imò contrarium ex eorum verbis infertur. Quare, quod dicunt Capuccini, nunquam hactenus diu in Ordine reformationem incolumem stare potuisse, & falsum, & insulsũ est, quia vera reformatio solùm in Ordine fieri potest. Hæc ferè Speculator ibidem. Ex quibus clarissimè liquet, ipsum asserere Cappuccinorum reformationem non esse, imò neque posse esse verã reformationẽ: Quod etiam ex proposito totâ q. 10. probare nisus est, ubi tria construit argumenta. Primum, & potissimum est nuper attinctum, quia nimirum per Capuccinos corpus antiquum Ordinis ad meliorem formam minimè redactum est, sed potiùs novum à priore omninò separatum, & distinctum formatum fuit: ergo potiùs dici debet novi Ordinis formatio, quam antiqui reformatio. Secundum est, quia per reformationem Capuccinorum potiùs antiquus Ordo destruitur, quàm idem reformetur; est autem de essentia reformationis, ut reformatum post reformationem sit idem, quod erat antè deformationem, nam reformatio est reductio ad meliorem formam. Tertium denique est, quia talis reformatio non profuit, nec prodesse potuit antiquo Ordini, imò potiùs, quantum in ipsa est, eidem obfuit. Hæc ferè ibi. Quæ quia nullam, quantum ad maiorem argumenti propositionem continent difficultatem (convenimus enim omnes de essentia reformationis esse, ut reformatum sit idem atq; adeò non novũ corpus, sive Ordo instituatur & formetur, sed antiquus reparetur) ideò Speculator ad minorẽ probandã, se totum convertit: supponit autẽ tria. Primum est, unum tantùm esse S. Francisci, aut Fratrũ Minorum Ordinem: De quo ita ille pag. 47. scribit:

Dum

Dum enim S. Franciscus unum tantùm Ordinem, eiusque unicum caput, seu Ministrum Generalem instituerit, ut ex Regula clarè patet. Secundum, quod supponit, est, hanc Ordinis unitatem non esse aliam, quàm successionis continuæ, & numquam interpolatæ, aut interruptæ: Nam Ordo est veluti corpus infantis, quod idem censetur, etiam post centum annos, si tamdiu vixerit, licèt humidum radicale, & membra partialiter mutentur, nutriantur, infirmentur. Ita ille apertissimè pag. 39. Itaque unitas Ordinis non est alia, quàm unitas successiva, in quantum Ordo à principio usque ad finem permanet, succedentibus sibi invicem Prælatis, ac etiam Ordine: neque enim primus Ordinis Prælatus manet in æternum, sed moritur, & propterea plures successivè Prælati fiunt in Ordine, qui omnes unus Prælatus censentur, quia scilicet unus alteri succedit: sic etiam est unus Ordo, non quia primus Ordo semper permaneat, sed quia, eo abeunte, alius succedit, sicut succedit adolescentia infantiæ. De qua successione idem Speculator ea pag. 47. ibi: *Ita Ordo Ordini, Generalis Generalibus succedit.* Tertium, & ultimum, quod supponit, est, quem alij succedere non posse, quamdiu is, cui succedendum est, superstes est, sive quamdiu non fuerit mortuus: ita clarissimè eâdem pag. 47. ibi: *Sicut succedere filij non possunt, nisi mortuo patre, vel matre, ita Ordo Ordini, Generalis Generalibus non potuerunt succedere, nisi Ministri antiqui Ordinis, atque ipsemet Ordo deficerent, & defungerentur.* Hæc ille, quæ repetit pag. 101. ibi: *Legitima institutio.*

His præsuppositis arguit hoc modo: Non potest esse vera reformatio, ubi unitas in reformato non conservatur, ita ut sit idem post reformationem, quod antè: nam reformatio non est alicuius novi omninò distincti formatio, sed antiqui reformatio,

matio,& reparatio; ſed Congregatio Capuccinorum non eſt idem Ordo cum ordine antiquo; ergo non eſt vera reformatio, ſive antiqui reparatio,ſed potiùs noviOrdinis inſtitutio,& formatio. Minor probatur: unus eſt tantùm Ordo S. Franciſci, & Fratrum Minorum,unus Generalis Miniſter,ut patet ex regula: Hæc unitas non eſt alia, quàm unitas ſucceſſionis, in quantum Ordo, aut pars Ordinis ſuccedit Ordini, & Generalis Generali, ut etiam eſt certiſſimum: At Ordo Capuccinorum,& Generalis ipſorum non ſuccedit Ordini antiquo,neque Generalibus Ordinis antiqui;ergo à primo ad ultimum,reformatio Capuccinorum non eſt vera reformatio,ſed potiùs novi Ordinis inſtitutio, & formatio. Minor poſtremi argumenti probatur ſic: Non poteſt unus ſuccedere alteri, quamdiu hic ſuperſtes eſt, ſive quamdiu non ceſsit è vita, & defunctus eſt, quoties res,cui ſuccedendum eſt, una tantùm ſit, & quam non niſi unus obtinere poteſt,ut in re noſtra, At Ordo antiquus cum ſuo Capite, quo tempore exorti ſunt Capuccini, non erat defunctus,imò ſuperſtes,& viuus,qui eſt Ordo Patrum deObſervantia; ergo non poterat ullo modo ſuccedere OrdoCapuccinorum, aut eorum Generalis: & in hoc potiſsimùm ſiſtit Speculator, cùm ut probet, Ordinem Capuccinorum non eſſe unum,& eundem cum Ordine antiquo per continuam,& nunquàm interruptam lineam, & ſucceſsionem; tum ut probet contrarium, Ordinem nempè RR. Patrum de Obſervantia unum ſemper, & eundem fuiſſe, & eſſe, per continuam, nunquamque interruptam lineam, & ſucceſsionem. Ex quibus omnibus tandem concludendo infert, Reformationem Capuccinorum veram minimè eſſe,atqui potiùs novi Ordinis in-

ſtitutionem. Videatur Speculator, præſertim pag. 47. & 101. vb tam clarè, ut tergiverſationi locus eſſe nequeat. Quia tamen vidit aliquis ſcandaloſum eſſe, aſſerere, inſtitutum Capuccinorum non eſſe veram Ordinis Fratrum Minorum, ſive S. Franciſci reformationem: Ideò, ut Speculatorem ſuſtineret, abſolutè negavit, auctorem ſpeculi tale in ſuo ſpeculo habere aſſertum: Atqui ſolùm non eſſe, aut fuiſſe reformationem antiqui Ordinis Obſervãtium: valdè enim diverſa ſunt (ait ille) dicere, Reformatio Capuccinorum non fuit reformatio Fratrum Minorum de Obſervantia, & dicere, non fuit reformatio Fratrum Minorum, ſive S. Franciſci abſolutè. Primum aſſeritur à Speculatore, & nullus inficiabitur. Secundum autem eſt propoſitio ſcandaloſa, & non aſſeritur à Speculatore. Cæterùm ab iſto ſic diſtinguente peterem libenter, utrùm ſecundùm Speculatorem Ordo Fratrum Minorum, & S. Franciſci, ac Ordo Fratrum Minorum de Obſervantia ſit unus, & idem, an alius, & diverſus? Si unus, & idem: ergo implicat contradictionem aſſerere, inſtitutum Capuccinorum eſſe veram reformationem Ordinis Minorum, & non eſſe reformationem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, ut per ſe patet. Si alius, & diverſus, nos utique libenter concedimus, reformationem Capuccinorum non eſſe reformationem Ordinis Patrum de Obſervantia, quia Capuccini non intenderunt reformare alium ordinem, quàm ordinem antiquum Fratrum Minorum, ſive S. P. Franciſci: Id tamen nullo modo placiturum exiſtimo Speculatori, aut alij cuicumque ordinis Patrum de Obſervantia, qui titulum Ordinis Fratrum Minorum, & Sancti Franciſci eſſe, aut ipſorum proprium, aut potiori iure, & ſenſu

ſenſu ſibi debitum, ordinemque ipſorum ipſiſſimum Fratrum Minorum, ac S. Franciſci eſſe contendunt: dolentque, maximè verò idem Speculator, quod Pater Boverius titulum Fratum Minorum, ſive S. Franciſci, ſibi, ſuoq; ordini arrogare, nec non ipſos Patres de Obſervantia ab eo excludere præſumpſerit. videatur Speculator, præcipuè totâ q. 1. & 4. non dolet Speculator, quod Boverius ſibi, & ſuis adſcribat titulum Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, ſed quod abſolutè titulum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci ſibi attribuat: Quod ſi inſtituto Capuccinorum non conveniret titulus Fratrum Minorum abſolutè, utique abſolutè reformatio ejuſdem Ordinis cenſeri minimè poſſet. Vt autem tandem veritas clariùs effulgeat, videndum eſt, quid ſit reformatio, & unde dicta.

Reformatio igitur dicta à verbo, *Reformo*, eſt terminus compoſitus ex *re*, & *formo*. Cujus notitia ex declaratione utriuſque termini facillimè percipi poterit. Porrò formo accipitur pro eodem, ac produco, hoc eſt, formam alicui rei induco, ſive tribuo: quo ſenſu accipitur etiam apud Philoſophos, qui plurima de formarum productione, ſive eductione ſapientiſsimè tradunt: Inde formator, hoc eſt, dator, ſive productor, & effector formarum. Qualis eſt in primis omnipotens Deus, qui in principio Mundi omnia formaſſe perhibetur Geneſ. 2. [a] *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Et ſtatim: *In quo poſuit hominem, quem formaverat.* Et rursùm *Formatis igitur Dominus Deus de humo.* Secundò formator, ſive dator formarum eſt etiam ipſa natura (ut omittamus illam Avicennæ Colchadæam, quam datricem

a *Geneſ.* 2.

 for-

formarum faciebat) Quàm verò ejuſmodi nomen ad explicandam rei cujuſpiam efficientiam, ſive productionem, aptum exiſtat, inde facilè deduci poteſt, quod rei eſſentia forma nuncupari ſolet (ſive ſit tota quidditas, ſive non, de quo non eſt valde curandum in præſenti) Ad totam tamen rem explicandam, ſicut duplex forma diſtingui ſolet , ut una ſit forma totius, alia partis : Ita gemina formatio conſtitui poteſt. Altera, qua tota eſſentia, ſive forma tribuitur : Altera, qua præcipua pars, quæ ad differentiam materiæ forma cenſeri ſolet, inducitur : Si ergo formare eſt formam inducere; ſive producere, efficere, & tribuere , formatio nil aliud erit, quàm ejuſdem formæ productio : Et ſi eam philoſophicè definire voluerimus, dicemus, formationem eſſe motum quemdam ad formam , qui motus idem eſt, ac generatio, eo excepto, quod generatio, ex vi nominis, eſt totius productio : formatio verò præcisè eſt productio formæ in materia : hodie tamen ex uſu apud Philoſophos hæc omnia pro eodem accipiuntur, formare, producere, generare, efficere. Hujus porrò verbi *formo*, compoſita ſunt, *conformo*, *deformo*, *informo* , *transformo*, *reformo*: [a] ut patet etiam ex Ambroſio, titulo, *formo*, qui pariter eorundem omnium ſignificata ſuis locis præclarè de more expendit : Et loquendo de verbo, *Reformo*, inquit ille, *latinè idem ſonat ac in aliam, ſeu meliorem formam redigo* ; Clariùs tamen, ut dixi, hujus verbi compoſiti, *Reformo*, vis explicabitur, ſi attendatur, quid ulteriùs importet dictio, *Re*, verbis, aut nominibus ſimplicibus addita, quod frequentiſſimè accidit. *Re* itaque additum verbo, aut nomini, ut plurimum rei , per nomen, aut verbum importatæ geminatio-

nem

a *Calep.*

nem significat: ut cùm dico, *Reproduco*, aut, *reproductio*, id est, iterùm produco, sive iterata productio: Item, *regenero*, & *regeneratio* hoc est, iterùm genero, seu iterata generatio: item, *ædifico*, & *reædifico*, hoc est, iterùm ædifico; & sic de alijs ferè innumeris. Itaque reformare propriè nil aliud est, quàm iterùm formare, sicut regenerare nil aliud, quàm iterùm generare. Quo sensu, & spiritu seipsum Christianorum regeneratorem Apostolus Paulus appellat ad a Galat. 4. sic fatus: *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis*. Et iterùm idem Apostolus ad Gal. 2. de natura, & essentia reformationis loquens, hæc habet: *Si enim, quæ destruxi, hæc iterùm ædifico, prævaricatorem me constituo*.

Hinc patet primò, Reformationem, Regenerationem, Reproductionem: non differre essentialiter ab ipsa formatione, generatione, imò eandem essentialiter includere: Nam omnis reformatio est formatio, & omnis regeneratio generatio, non contra. Quid ergo addit Reformatio, sive reproductio, formationi, & productioni? nil aliud planè, nisi iteratam ejusdem rei generationem. Itaque reformatio est alia quædam nova, & iterata formatio, & reproductio nova quædam, & iterata productio, de qua potissimùm ex instituto loquuntur Theologi, quærentes, utrùm semel productum possit iterùm idem numero produci, sive ante corruptionem ipsius, ut cùm quærunt, an corpus Christi iterùm verè producatur in Eucharistia: Aut post corruptionem, ut cùm quærunt, an res corrupta eadem numero reproduci sive reparari queat.

Patet 2. Reformationem, prout de ea loquimur in præsenti, non

a *Galat. 2. 4.*

non solùm præsupponere aliam præviam formationem (neque enim reformari, sive iterùm, & secundò formari, aut produci potest, quod non fuerit semel, ac primò formatum, & productum) verùm etiam deformationem, ut scilicet, quod primò formatum est deformetur: quod item clarissimè deducitur ex citanda Leonis Bulla, ubi loquendo de ordine reformato: duo hæc simul Pontifex nectit, ordinis nempe languorem, enervatamque disciplinæ censuram, & eiusdem ordinis vivificationem, enervatæque disciplinæ ad sua principia revocationem. Nam licèt, spectatâ naturâ Reformationis, prout præcisè dicit secundam formationem, fortasè non implicet reformari, quod non est deformatum, ut si eadem res adhuc existens in sua forma iterùm formetur. Quod de Corpore Christi admittunt aliqui Theologi, aientes, idem Christi Corpus existens, verè toties iterùm produci, quoties fit panis consecratio: Attamen accipiendo reformationem, prout in præsenti præsupponit deformationem; Vnde reformari dicitur aliquid, quod post primam formationem, & deformationem, iterùm cum eadem forma producitur. Quare, ut intelligamus, quid sit propriè Reformatio, oportet etiam adijcere quid sit Deformatio, sive Deformare, de quo idem Ambrosius verbo, *Deformo*, ubi sic ait; *Deformo*, Italicè difformare, alijs verbis, *destruo*, *pristinam bonam formam aufero, quasi de forma deijcio, ab integra forma ad corruptam traduco.* Res igitur in prima formatione recipit formam, in deformatione perdit formam, quam in formatione acceperat: ac proinde, sicut in formatione recipiendo formam, producitur, sive generatur, ita in deformatione, perdendo formam, destruitur, & corrumpitur:

tur: ac demum in reformatione iterùm formam perditam recuperat, & ſic per reformationem iterùm accipiendo formam, reproducitur.

Hinc patet 3. Quid ſit formaliter Reformatio: Nil enim aliud eſt, quàm motus à forma ſemel amiſſa ad eandem formam. Vnde illam formam, quàm receperat in prima formatione,&perdiderat in deformatione,iterùm accipit in reformatione: Et in propoſito, alicujus Ordinis ſive Religionis reformatio, nihil aliud eſt, quàm reductio ejuſdem Ordinis ad illam primam formam, quam à primo formatore, qui verbi gratia Seraphicæ Religionis S. Franciſcus extitit, acceperat, quamque poſteà ex deformatione amiſerat, & perdiderat: & reformare formaliter ordinem, nil aliud eſt, quàm primam formam, eam ſcilicet, quam ab inſtitutore primò acceperat, quamque ſubinde perdiderat, ordini reſtituere. Quæ definitio licet ex dictis ſatis, ſuperque pateat, comprobatur nihilominùs ex his, quæ habentur in ſacro hymno Dominicæ in Albis ad Matutinum, vbi ſic canitur: *Cùm livor, & fraus dæmonis fœdaſſet humanum genus, tu carne amictus perditam formam reformas artifex.* Quibus verbis Vrbanus VIII. pulcherrimè expreſsit primam ſpiritualem humani generis formationẽ ab exordio factam, quando Deus formavit hominem rectum cum forma juſtitiæ; ejuſdemque generis humani deformationem, Dæmonis livore inductam, quam perbellè fœdationem nominat: nam deformare eſt etiam fœdare, Italicè, *far bruto*, ut ex Ambroſio eo verbo, *Deformo*: ac denique ejuſdem generis humani reformationem à Chriſto factam, dum eidem generi humano eandem primam juſtitię formam reſtituit,

restituit, quam per deformationem perdiderat: Consimile est illud alterius hymni: *sed reformasti genitus peremptæ organa vocis.*

Hinc item liquidò patere potest, utrùm apta sit Reformationis definitio, quam habet Speculator ea quæst. 10. his verbis: *Reformatio, secundùm omnes, est alicuius ad meliorem formam reductio, sic, ut illud, quod reformari dicitur, substantialiter, & essentialiter idem numero permaneat, saltem in morali existimatione: dico, ad meliorem formam: nam alioquin deformatio, & non reformatio dici deberet: addo, sic, ut illud quod reformatur, idem permaneat: nam alioquin esset destructio, vel ad summum conversio, & in aliud transformatio.* Hæc ille. quæ quidem, si, ut sonant, intelligantur, non solùm non continent definitionem reformationis (quippe quæ essentiam ejusdem non explicant) verùm potiùs ipsius reformationis naturam destruunt; cumque definitio, ut sit apta, clara esse debeat, sic, ut clarè essentiam definiti explicet, verè præfata definitionis nomen non meretur: quia tamen candidum, & simplicem compositorem decet, quantum fieri potest, aliorum dicta tueri, lubet eam per partes explanare, ut in his, in quibus possibile est; sarta, & tecta habeatur. Cùm præcipuè Calepinus summæ vir eruditionis eandem ferè habeat. Dixi ferè: nam Calepinus addit hæc verba, *in aliam*, quæ cur à Speculatore omissa sint, ignoro: sicut planè non video, quâ ratione alia Speculator adijcere voluerit, quæ in definitione Ambrosij minimè reperiuntur, cùm præcipuè iactet, suam illam definitionem omnibus esse receptam, quamquam neminem citet, cùm nos præter Calepinum alios, in quibus Rev.mus P. Gabriel Faber fol. 56. sui libelli confutationis, aliter diffinientes habeamus in promptu: Sed enim jam verba diffinitionis examinemus.

Quod

Quod ait, Reformationem esse reductionem, benè cohæret, licet clariùs diceretur, iteratam formationem, sive productionem: quod ait, ad meliorem formam, est valde obscurum: cùm enim terminus, *melior*, sit comparativus, qui supponit suum positivum non solùm, verùm etiam superlativum; in primis non video, cur potiùs dictum sit, ad meliorem, quàm ad optimam. Præterea, cùm forma, ad quam reducit reformatio, comparari possit ratione bonitatis, aut ad formam, quam habuit ipsa res reformanda in prima formatione; aut ad formam, quã habuit in deformatione: si fiat comparatio ad primam formã, propriè reformatio non reducit ad meliorem, sed ad eandem, ut est evidentissimum. Vnde Reformatio debuit definiri, Reductio ad eandem, sive æquè bonam, non ad meliorem, aut optimam: si enim reduceretur ad meliorem, aut optimam, non esset pura reformatio, sed aliquid ampliùs supra reformationẽ adderet, quod ad essentiam reformationis non spectat, cùm reformationis essentia nil plus requirat, quàm quod deformatum ad suam pristinam formam redigatur. Quod doctissimè expresit P. Gabriel Faber in suo libello confutationis illis verbis: *Reformatio est reductio alicuius status ad illam pristinam formam, quæ priùs observabatur, & quæ consuetudine, relaxatione, aut indulto laxata, aut mutata est.* Imò in proposito nostræ Reformationis eandem diffinitionem insinuavit Leo X. in Bulla incipiente: *Ite & vos.* vbi de Reformatoribus hujus sacri Ordinis Minorum verba faciens hæc habet: *Enervatam disciplinæ censuram ad sua principia revocaverunt.* Est ergo reformatio, ex mente Leonis, revocatio disciplinę enervatę ad primam ejusdem disciplinæ censuram, sive ad prima religiosæ disciplinæ principia. Sin verò

conferatur cum alia forma, quam ſcilicet habet in deformatione, tunc reformatio requirit quidem, ut deformatum ab illa forma (ſi tamen forma vocari poſſit illa, quæ deformat, ut per Ambroſium eo verbo, *Deformo*, qui non ſimpliciter formam, ſed formam corruptam eam nominat) ad aliam, & meliorem formam tranſeat; At hoc non ſufficit, alias omnis, vel modica melioratio efficeret reformationem, ſicut omnis, vel modica deterioratio, foret deformatio: quod aut omninò falſum eſt, aut ſaltem non ſatis bene dictum: cujus rei gratiâ.

Notandum eſt, formam eſſe multiplicem, ut eſt tritum apud Philoſophos. Primò enim alia eſt forma ſubſtantialis, alia accidentalis: ac ſubinde duplex eſt formatio, ac duplex reformatio: alia, quæ eſt motus ad formam ſubſtantialem, & vocari ſolet generatio: alia ad formam accidentalem, & appellatur alteratio, aut etiam accretio; quibus correſpondet duplex deformatio, alia, quæ dicitur corruptio, alia, quæ appellatur diminutio, aut etiam corruptiva alteratio.

Rursùs forma alia eſt naturalis, alia artificialis, alia ſupernaturalis: ſecundùm quas accipi poteſt triplex alia formatio, ac reformatio: prima, cujus terminus eſt forma naturalis: ſecunda, cujus artificialis: tertia, cujus ſupernaturalis. Denique omnis forma, tam ſubſtantialis, quàm accidentalis naturalis: aut eſt omninò indiviſibilis, & carens partibus: aut eſt diviſibilis, ac conſtans partibus: In propoſito autem noſtro forma Ordinis, ſive Religionis eſt quid potiùs artificiale, & ſupernaturale, quàm naturale; diviſibile magis, quàm indiviſibile, nilque aliud eſt, quàm univerſa, quæ in Regula à Seraphico Patre, Deo inſpi-

rante,

rante, ſive etiam dictante, pro vivendi norma præſcripta, & tradita ſunt. Quæ cùm ſint varia, & diverſa, veluti unius exercitus partes, aut humani corporis membra (alia enim ſunt mandata, alia vota, alia conſilia) fit, ut ex omnibus una totalis, & integra hujus myſtici corporis organici, aut ſpiritualis exercitus forma, quaſi heterogenia coaleſcat. Itaque ſicut in corpore alia ſunt membra eſſentialia, ut in humano caput, & cor, alia potiùs integralia, ut in eodem manus, pes, oculus: alia denique eidem corpori accidentalia, ut humor, calor elementalis, animalis: ita in ordine alia ſunt prorsùs ſubſtantialia, ſine quibus ordo eſſentialiter non ſubſiſtit, ut vota, ac legitima Prælatorum coordinatio: alia integralia, ut præcepta v.g. non equitandi, vilibus veſtiendi, calceamenta non deferendi: alia denique ſunt veluti accidentalia; ut admonitiones, conſilia, libertates. Quo verò eiuſmodi vim formæ habere valeant, omninò neceſſarium eſt, ut aliquam ſui obligationem, in ordine ad perſonas, ex quibus ordo materialiter conſtituitur, reſpectivè inducant: ac proinde, ut ab eo ſint inſtituta, & ordinata, qui vim obligandi habeat. Quare, quamdiu non accedit ſummi Pontificis confirmatio, ſicut nullus ordo, aut Religio ſubſiſtit, ita pariter in ordine, aut pro ordine, à quocumque præſtituta, & ordinata vim formæ minimè obtinent: Quamdiu ergo in ordine viget obſervantia, ſive potiùs obligatio omnium, ita ut Fratres ſe ad eiuſmodi obligatos agnoſcant, & paſſim obſervent, Ordo in ſua forma primæva, ſecundùm quam ab Inſtitutore formatus fuit (etiamſi alioqui contingat ſæpiùs mandata, votaque ab uno, aut pluribus præteriri) permanere cenſendus eſt (actualis enim in obſervantia unius, aut etiam pluriũ,

propriè non deformat ordinem) ubi verò eò res in ordine perducuntur, ut fratres non solùm mandata, & alia pro vivendi forma præscripta passim non observent: verùm etiam ad ea observanda se obligatos esse minimè sentiant; unde sine scrupulo passim quasi ab omnibus negliguntur: Tunc Ordo à prima sua pulchritudine & forma, secundùm quam formatus est, dejectus esse, ac proinde deformatus censetur: Quod si iterùm res in ordine eò perducantur, ut passim Fratres omnes sive cōmunitas ipsius ordinis, ad ea servanda, quæ pro vivendi norma à primo Institutore ordinata sunt, obligatos se sentiant, ordo iterùm ex deformato reformatus esse perhibetur.

Ex his patere potest, qualiter Reformatio censeri possit Reductio in meliorem formam, prout eam definiebat Speculator: si enim sit sermo de reformatione qualicumque, sive in aliqua parte essentiali, aut integrali, facilè concedi potest, omnem reductionem ad meliorem formā esse reformationem. Nunquam tamen ista erit reformatio ex toto, & integra, ut est per se patentissimum; sicut non est totalis, & integra deformatio, ubi ordo in parte solùm deformaretur, licet, quia malum est ex quacumque causa, & bonum ex integra, aptiùs dicitur deformari, etiam si deformetur solùm in parte, quàm reformari. Cæterùm, ut dixi propriè, & strictè loquendo, sicut non est integra reformatio, cùm fit solùm in parte: ita non est totalis, & integra deformatio; Vnde Ambrosius eo verbo, *Deformo*, ait deformare esse destruere, & ab integra forma ad corruptam traducere: ut summum ergo definitio Speculatoris convenit reformationi ex parte, nulla autem ratione reformationi integræ, & ex toto, quod adhuc evidentiùs ostendo: Nam reformatio ad melio-

meliorem formam non eſt ſimpliciter motus à privatione ad habitum, ſive à forma corrupta ad productam ; ſed eſt motus ab habitu ad meliorem habitum, ſive à bona forma ad meliorem. Vnde non ſupponit integram deformationem, quia integra deformatio totam priorem formam deſtruit, ſive ut loquitur Ambroſius, ab integra forma ad corruptam traducit. Exemplis res poteſt fieri illuſtrior. Si humanum corpus ſemel productum totum corrumpatur, ac iterùm idem numero à Deo reparetur, prout fiet in Reſurrectione: hæc eſt vera, & integra corporis reformatio, quæ eſt à privatione, & corruptione ad habitum; ſin verò deformetur pars corporis, puta manus, aut brachium, ac iterùm eadem pars reparetur, erit quidem reformatio ex parte, & ſic quodammodo à bona corporis forma ad meliorem reductio. Idem proportionabiliter dico, cùm reformatio ſit ſolùm in accidentibus, ut cùm corpus jã per morbos, & ægritudines deformatum ad priſtinam formam revocatur. Hoc modo, & non aliter reformationis definitio à Speculatore allata, poteſt ſalua conſiſtere; Fortaſſe autem Speculator tali reformationis definitione vſus eſt, quia in ea fuit ſententia, ut in Ordine Seraphico totalis reformatio locum habere minimè poſſit, eo quia totali deformationi nullo vnquã tempore obnoxius eſſe queat, cùm Seraphico Patri promiſſum fuerit, Ordinem numquam à totali purę regulæ obſervantia defecturum, de quo idem Speculator pag. 26. ita ſcribit: *Nam totum corpus ordinis, ſicut regulam in ſua puritate fovit, ita nunquam in eodem defuerunt, qui ſuæ profeſſioni ſatisfacerent, ac regulam purè, & ad litteram obſervarent, ipſi præſertim Generales Miniſtri, quos pro vera obſervantia ſemper ſtetiſſe in elucidatione noſtra hiſtorica iam antè diximus*; pag. nem-

pe 8ᵃ. vbi hæc alia habet: *Nunquam enim totum corpus Ordinis abusus aliquos contra regulæ puritatem, vel privilegia contra Franciscanam paupertatem aut approbavit, aut admisit, neque Generales Ministri, duobus exceptis, unquam directè foverunt relaxationes.* hæc ille. Quæ an vera sint, non aliunde, quàm ex ipsis Bullæ Leonis verbis lectori iudicandum relinquo; ipsa autem verba Bullæ, quo faciliùs à quolibet legi, & lecta perpendi queant, in medium afferre contentus ero. *Horâ verò nonâ surgentibus indies malis, & scandalosis huius vineæ agricolis, suscitavit Dominus spiritum adolescentis, paucorum videlicet Fratrum, qui signifero nominis* IESU *Beato Bernardino ductore, & præside languentem, imò penè mortuum per orbem universum ordinem vivificarunt.* Notentur verba illa: *per orbem universum*; quibus clarè indicatur totalis ordinis, sive in universo ordine deformatio, quam etiam Deo non minus Ordinis, quàm ille paterfamilias, vineæ à se pastinatę curam agente totalis reformatio subsequuta est. quo fit, ut præfata Speculatoris definitio, sicuti nuper dixi, nullatenus subsistere valeat. Nisi velimus dicere (quod fortassè etiam magis erit ad mentem eorum, qui talem reformationis definitionem tradiderunt) aliam scilicet esse reformationem, minus tamen propriam, & ad rem nostram accommodatam; quando scilicet primò aliquid ita imperfectè formatur, ut adhuc potiùs censeatur informe, quàm formatum; formatur verò cùm perficitur, quę perfectio respectu prioris formationis reformatio censeri potest, quæ quidem nō aliud est, quàm reductio minus perfecti, aut minus boni, ad meliorem formam, & perfectionem. Itaque accipiendo reformationem hoc modo, verissimè definitur, ut sit reductio in aliam, seu meliorem formam, ut optimè Ambrosius: Atque sub
hoc

hoc ſenſu accepit reformationem Vrbanus in Bulla de reformatione hymnorum: quos enim hymnos alij quaſi imperfectè primâ vice formaverant, eoſdem idem Vrbanus perficiendo reformavit, & reformando perfecit; ſicut alias pariter feciſſe narratur [a] Leo II. ipſe enim ſacros hymnos in Eccleſia ad concentum meliorem reduxit. Dixi hancce reformationem minùs ad rem noſtram facere, non enim Seraphicus Pater ſuum Ordinem, aut Religionem quaſi informem, & imperfectam à principio formavit, ut ſubinde ab alio quopiam ad meliorem formam, & perfectionem reformando reduceretur, ut per ſe patet.

Examinantur aliæ partes Diffinitionis traditæ à Speculatore; & tandem oſtenditur reformationem Capuccinorum eſſe veram, & non tantùm prætenſam.

NVnc examinemus reliquas definitionis partes, quas in ſua definitione Speculator apponit, quâ verò ratione ignoro, cùm Calepinus eo verbo, *Reformo*, talia minimè adijciat: ſolùm enim ait, Reformare eſſe in aliam, ſive meliorem formam redigere; & quidem, ſi de hac reformatione ſit ſermo, verba à Speculatore addita, omninò ejuſdem reformationis naturam deſtruunt. Reformatio enim, quæ eſt ab una forma minùs bona, & imperfecta, ad meliorem, & magis perfectam, tantum abeſt, ut exigat, idem numero ſubſtantialiter, & eſſentialiter permanere, quod imò neceſſarium ſit in aliud tranſire, ſicut alia eſt forma melior; ut benè Ambroſius, inquiens, Reformationem eſſe in aliam, ſeu meliorem formam reductionem: non ita tamen differunt numero, ſicut differunt res,

a *Habetur in lectionibus Breviarij die 28. Iunij.*

res,& res,ſed ſicut differunt diſpoſitio, & habitus, ſicut differunt forma remiſſa,& intenſa, puta calor,ut duo, ab eodem calore intenſo, ut ſex; ſive ut forma imperfecta, qualis eſt embrionis,à ſe ipſa perfecta. Quod ſi loquamur de alia reformatione, quæ magis ad rem noſtram facit, fateor, neceſſarium eſſe, ut reformatum ſit idem numero, quod erat ante deformationem,in ſua prima forma conſtitutum; Imò addo,reformationem eò futuram exactiorem,quo reformatum in omnibus, non ſolùm ſubſtantialibus,ſed etiam integralibus, & accidentalibus idem erit, adeò ut per omnia poſsit viritim affirmari, Ordinem ad ſuam primævam formam, ſive normam eſſe reductum. Vnde ponamus, exempli gratia,Seraphicum Patrem obligaſſe ſuos Fratres ad deferendum caputium acuminatum, ac tunicæ conſutum(quod modò non affirmo,ad quæſtionem cavendam, ſed ſuppono) ponamuſque rurſum res in ordine eò eſſe deductas, ut Fratres paſsim ejuſmodi caputium non deferant, nec ad illum deferendum ſe vllo modo obligatos perſentiant: Quo caſu ordo quantum ad formam caputij in Regula præſcriptam, deformatus cenſeretur. Si quis ordinem non ſolùm quoad alia,in quibus deformatus præſupponitur; verùm etiam in eo, quod ad caputij formam ſpectat,ad priſtinam formam redigeret,utique perfectiùs ordinem reformare cenſeretur, quàm ſi formam caputij minimè reſtitueret. Fateor tamē, Reformationem locum habere, vbi Ordo ad ſuam priſtinam formam in omnibus quoad ſubſtantialia, & integralia dumtaxat redigeretur.

Hinc rurſum obiter monendum cenſeo, multùm planè conferre ad percipiendum,utrùm Reformatio, quæ talis eſſe præ-

prætenditur, verè ſit talis? attendere diligenter, qualis fuerit forma primitùs Ordini à Seraphico Patre præſcripta; nam impoſſibile eſt ſcire, an hæc, quæ nunc viget in Ordine forma, ſit eadem cum illa, ſub qua vigebat, cùm primò inſtitutus fuit, ſi ignoretur, quænam fuerit forma prima, ſive primitùs ab Inſtitutore præſcripta. Quare non eſt inutile diſputare de forma habitus, & ſimilibus à primo Inſtitutore pro norma vivendi Ordini præſcriptis, ac preſtitutis.

Ex his tandem redeundo ad caput, facillimum fore eſſe iudico, diffinire, utrùm fuerit, ſitque vera Reformatio Ordinis Seraphici, quæ per primos Capuccinos, & alios ſucceſſivè fuit inducta. Dixi, per alios ſucceſſivè, neque enim neceſſarium eſt, ut Reformatio in toto tota ſimul fiat, atq; ab uno, eodemq; Reformatore, ſicut non eſt neceſſarium, ut totus Ordo ſimul, & ſemel deformetur; imò ut plurimùm Deformationes pedetentim fiunt, non ſolùm intenſivè, ut ita dicam, verùm etiam extenſivè, quod eſt valde notandum: hodie enim, exempli gratiâ, deformatur ordo quo ad ſuſcipienda legata, ſive quoad recurſum ad pecunias: & paulò pòſt quoad proviſiones: & iterùm quoad ædificia ſumptuoſa; & ſic paulatim, donec deformatus eſt totus intenſivè. Extenſivè pariter ſic: hoc anno deformatur ordo in una Provincia, aut etiam in uno ſolo Conventu, poſteà in alia Provincia, & ſic deinceps, donec deformetur totus etiam extenſivè, in quo opus eſt maximâ ſuperiorũ ſolicitudine, quâ accedente, dum nondum totũ corpus, aut ordo eſt deformatus, faciliùs in ſuo eſſe detinetur, aut etiã ad priſtinũ eſſe (ſi jã ſolùm ex parte perijt) reducitur; quod non eſt tam facile, ubi jam totum corpus corruptũ, ſive totus ordo

deformatus est. Quod igitur vera fuerit, & sit reformatio Capuccinorum, suppositâ reformationis definitione superius explicatâ, probatur, sive potiùs declaratur sic: Reformatio in primis debet esse nova, sive iterata formatio, sive productio; sed hîc adest nova, sive iterata formatio; quod cùm nullus neget, non est, ut in eo probando tempus, & operã proteramus. Solùm posset obijci, quod sæpiùs in Boverio Speculator advertit, nimirùm nullum adesse Patrem, sive Formatoré (implicat auté aliquid formari, sive reformari, absque causa efficiente, & reformante) verùm neque Boverius, neque Speculator omnem omninò removent reformatoré, tantùm verò disputant, quisnã iste Reformator fuerit, de quo nos alibi. Secundò reformatio debet esse non cujuscumque formæ formatio, sed ejusdem omninò, saltem in substantialibus, & integralibus: Quod auté etiã per Capuccinos Reformatores eadé forma fuerit suo ordini præscripta, quã Seraphicus Pater suo ordini in prima institutione præscripserat, concedit apertissimè Speculator totâ q. 1. & 2. vbi inter alia hæc habet. *Fateor Capuccinos suam Regulam, non à Matthæo de Bassio, vel Ludovico Forosemproniano, sed à B. Francisco conscriptam, accepisse.*

Tota ergò difficultas, quantum ad hunc punctum, in eo est constituta, quod ad veram Reformationem haud utique satis est plures eandem Regulam profiteri, sed omninò requiri, ut ij, qui eandem Regulam accipiunt, unum cum ordine antiquo numero ordinem constituant; alias non erit antiqui ordinis reformatio: sed novi potiùs, omninò distincti institutio: ac proinde non erit idem ordo numero per continuam, & nunquam interruptam sui ipsius cùm primo, & antiquo successio-

ceſſionem;ſed ut ſummum erit idem ſpecie. Talis autem eſt apud Speculatorem Capuccinorum Congregatio, ac ſubinde non eſt vera antiqui ordinis Fratrum Minorum. reformatio. Videatur Speculator pag. 25.ibi: *Quia verò omnes iſtæ Congregationes conveniunt in eadem eiuſdem Regulæ ſubſtantiali profeſſione, vulgariter dicuntur unus ordo, videlicet ſpecie; & hoc ſenſu poſſent etiam inſtitui, & eſſe plures ordines Fratrum Minorum, ſive primæ Regulæ S.Franciſci, accedente præſertim Summi Pontificis beneplacito,& auctoritate, quâ iſtiuſmodi Congregationes approbarentur.* Similia habet pag. 40. *Ponamus,* inquit, *aliquem ordinis S.Franciſci omninò extraneum,nemine ſuperiorum agnito ſed permittente ſolo Pontifice, aſſumere habitum, & regulam S. Franciſci, ſocios congregare,corpus aliquod Religionis conſtituere: An talis Congregatio legitimam à B. Franciſco, eiuſque ordine habebit ſucceſſionem? tale corpus à B. Franciſco inſtitutum? tales Fratres veri, & indubitati Fratres ordinis S.Franciſci, ſine aliqua interruptione, & diviſione, ſemper fuiſſe cenſendi ſunt? Credo nec Boverium hoc admiſſurum.* Eadem ferè repetit pag. 47. *ſciebat,*inquit, *interim Boverius ad ſtabiliendam ſuam prætenſionem,quod ſcilicet ſua Congregatio,vel Reformatio poſſit appellari, & eſſe verus ordo S.Franciſci per legitimam, & numquam interruptam ſucceſſionem, ut antea explicuimus, non ſufficere veram, ac perfectam Regulæ obſervantiam.* Cùm igitur ſecundùm omnes, & ut ex noſtra pariter definitione conſtat, omninò neceſſarium ſit ad veram Reformationem,ut reformatum ſit unum, & idem numero; non tantum ſpecie unum,inquam, non quidem unitate permanente,ſed ſucceſſivâ,per quam novus ordo coniungatur antiquo,ut eſt conſiderare in ſucceſſivis, ex trita Philoſophorum doctrina. Vnde unus,non duo, aut plures ſunt, ordo formatus, & reformatus: unus, inquam, numero, non tantùm ſpecie,

unitate ſucceſſivâ morali, non permanente: ſupereſt propter-eà videndum, utrùm ordo Capuccinorum ſit unus, & idem cum ordine antiquo S. P. Franciſci per legitimam ſucceſſionem: Speculator enim prætendit, non eſſe eundem, niſi ſpecie, propter eandem Regulæ profeſſionem: At verò quantum ad corpus ordinis ſpectat, eſſe corpus omninò diſtinctum. Quod ulteriùs per quaſdam ſimilitudines declarare voluit. *Nemo*, ait q. 10. *puto, dixerit Adamum fuiſſe reformatum, quandò coſta ei ædificata eſt in mulierem; nemo domum antiquam, cuius ligna, lapides, cæteraque materialia extrahuntur ad alterius novæ domus à priori ſeparatæ, & omninò diſtinctæ ædificationem reformari dicet, aut reſtaurari.* Alibi item, nempè q. 2. aliâ ſimilitudine, corporis nimirùm quod ab infantia vſque ad ultimum in ſe ipſo permanere debet, ut idem numero cenſeatur, probare viſus eſt. *Nos*, inquit, *ſuſtinemus, quod à tempore inſtitutæ Regulæ per Beatum Franciſcũ idem ordo fuerit, & in Obſervantium reformatione conſervatus continuâ ſerie perduraverit, & vſque ad præſens perſeveret, ſicut corpus infantis geniti idem cenſetur, quamdiu vixerit, licet humidũ radicale, & membra partialiter mutentur, nutriantur, infirmentur: Non verò ſi de coſta, vel alia parte diſſecta Deus aliud corpus fabricaret: Quis enim Evam idem cum Adamo corpus hominis habere dixerit?* Ex his ergo ſimilitudinibus ſatis probatum putat Speculator, Corpus ordinis Capuccinorum, nec eſſe, nec poſſe cenſeri idem cum corpore ordinis S. P. Franciſci. Eſto eadem ſit forma, & anima, nempè Regulæ profeſſio, & obſervantia: id enim apertè, & liberè concedit Speculator ibidem. pag. 40. ſic fatus: *Fatemur ergo ſine Regulæ obſervantia, ſine qua corpus Religionis mortuum eſſet, non bene poſſe conſiſtere ſucceſſionem, & durationem Religionis, ſicut ſine anima*

idem

idem corpus hominis non potest durare ; sed sicut non satis esset pro eodem homine constituendo , quod eadem anima duo corpora à se invicem distincta , & separata , simul, vel successivè informaret : Ita & in corpore ordinis Religiosi philosophandum est. hæc ille. Ad unitatem ergo numericam non sufficit eadem numero forma , sed omninò requiritur etiam eadem numero materia , & si non physicè, saltem moraliter , prout est idem corpus infantis , quamdiu vivit : Nostrà jam igitur interest , ut ostendamus , Capuccinorum Congregationem esse omninò eandem cum ordine primitùs à Seraphico Patre instituto , cujus rei gratiâ.

Notandum est, Ordinem eodem modo eundem, aut diversum censeri posse,ac debere , quo res ipsæ physicè , prout v. g. est idem numero homo , ex eadem numero anima , & ex eodem numero corpore , ut ex Speculatore constat. Dixi ex eadem numero anima , si enim non potest esse idem numero homo, ubi eadẽ numero anima duo diversa corpora informaret:multo minus esset idem numero homo, vbi idem corpus à diversis animis simul, aut successivè informaretur, ut patet ex Philosophia:quia unumquodque est magis unum,& magis ens ex forma,quàm ex materia.

Notandum præterea,vel potiùs supponendũ, pariter ex Philophia,multo probabilius esse , unum numero posse saluari ex sola identitate formæ,quàm ex sola identitate materiæ : tum, quia sicut identitas materiæ non officit diversitati specificæ, ut patet ; nam eadem materia est sub ligno , ac posteà sub igne ex ligno producto ; cùm tamen lignum , & ignis specie invicem differant : ita diversitas materiæ non officit

unitati; tum, quia non desunt ex Philosophis, qui opinentur solam formam esse totam essentiam, sive rationem speciei, & individui: Cùm tamen nullus inveniatur, qui contra solam materiam totam, aut speciei, aut individui rationem esse asseveret.

Notandum denique adhuc bifariè posse idem numero corpus, aut ordinem esse. Primò moraliter, per iugem sui ipsius durationem, cum aliqua partium quasi accidentalium, aut etiam integralium, immutatione. Quo pacto est idem numero homo, aut corpus ipsius, à die conceptionis usque ad mortem. 2. physicè: quia nimirum idem omninò est, & perseverat absque ulla prorsùs partium, sive essentialium, sive etiam integralium, immutatione. Quo modo erit unum corpus, & unus homo à die Resurrectionis usque in æternas perpetuitates: sic pariter unum numero est corpus Cæli à die creationis usque nunc. Alio etiam tertio modo idem numero censetur, & est pariter physicè, quod cùm semel fuerit corruptum, sive deformatum, idem numero reparatur, & reformatur: ita erit idem numero homo, sive corpus post Resurrectionem, quod fuit mortuum, & etiam antea vivum. His notatis facillimum est ostendere, Congregationem Capuccinorum esse eandem numero cum ordine primitùs à Seraphico Patre instituto: non autem alium omninò distinctum, prout Speculator asserit, ac item se probasse existimat. Vt autem veritas clariùs appareat, eandem per partes explanare optimè consultum fore iudicavimus.

In primis ergò libenter confitemur, Congregationem Capuccinorum non esse eandem numero cum ordine primitùs à

Sera-

Seraphico Patre instituto per omnimodam ejusdem ordinis indeficientiam, absque ulla partium immutatione: hoc enim proprium est corporis cælestis, aut gloriosi, non autem corporis deformationibus, & infirmitatibus obnoxij, cujusmodi planè est corpus cujuscumque Religionis, & multò magis Seraphicæ, quæ quantò, in paupertate præsertim, perfectior, & delicatior est, tantò facilius ab illa perfecta valetudine deficit, & infirmatur. Et hæc est potissima causa, ob quam Religio Seraphica præ cæteris videtur eguisse reformationibus: Quia nimirum ob sui excellentiam, & perfectionem facilè dilabitur in deformationes, ut per eundem etiam Speculatoré, §. primo, sub tit. de diversis reformationibus & q. 6. *An Observantium ordo aliquâ indiguerit reformatione*. Quare nec Speculator ipse, neque alius quispiam, prætendit, aut prætendere potest, ordinem Fratrum Minorum, aut S. Francisci, à sui exordio usque nunc, ideò eundem numero esse, quia in seipso nunquam omninò defecerit. Vnde Speculator, qui cum suis tam ægrè tulit, quod Boverius ordinem Observantium defecisse asseruerit: adhuc tamen liberè concedit, ordinem aliquas passum fuisse defectiones, quales nimirùm pati solet humanum corpus, in quo humidum radicale, & membra partialiter mutantur, nutriuntur, infirmantur, sanantur. Vide, si præsto est, Speculatorem pag. 39. in fine, & totâ ferè q. 6.

2. Vice versâ asserimus indubitanter, Congregationem Capuccinorum esse eandem numero cum ordine à Seraphico Patre primitùs instituto ex identitate formæ; cùm enim forma ordinis, sive anima corporis Religiosi sit Regulæ professio, sive observantia, clarissimè inde sequitur, eos omnes censeri, & esse unum

unum ordinem, quorum una est Regulæ professio, sive Regulæ observantia. Vnde hoc ipsum apertissimè fatetur Speculator, sic fatus q. 1. *omnes Congregationes, vel Monasteria in eadem substantiali eiusdem Regulæ professione convenientia, vulgariter dicuntur unus ordo, propter eandem Regulam, seu vivendi formulam, quam profitentur; quo sensu possent etiam esse plures ordines FF. Minorum, sive primæ Regulæ S. Francisci: qui plures ordines eâdem ratione, id est propter eiusdem Regulæ professionem unus ordo Fratrum Minorum nominarentur*: hæc ille, qui q. 2. in calce hæc adijcit: *libentissimè, & ultrò côcedimus R.do P. Boverio, & PP. Capuccinis, quod ex sua Regula, eiusque observantia debeant, & possint vocari Fratres, & imitatores Seraphici Patris, eorumque ordinem in bono sensu, ordinem FF. Minorum S. Francisci posse nominari.* Et iterùm 3° pag. 37. idipsum his verbis confirmat: *Dicent fortè PP. Capuccini, Regulam suam, non à Matthæo de Bassio, vel Ludovico Forosemproniano, sed à B. Francisco conscriptam, & traditam esse. hoc fateor, & ex ea parte eos B. P. N. Francisci filios, ac fratres nostros agnosco, & diligo, prout à Paulo 5. Vrbano 8. & Concilio Tridentino fratres ordinis Minorum, filij S. Francisci agniti, & vocati sunt.* Itaque ex ipsa Speculatoris confessione, invincibili argumento subnixa, clarissimè liquet, Congregationem Capuccinorum esse eundem numero ordinem cum ordine primitùs à Seraphico Patre instituto, propter eandem numero formam, Regulæ videlicet professionem, & observantiam, quæ religiosi corporis vita esse censetur. Dixi eundem numero ordinem, non solùm specie, propter Speculatorê, qui omnes Congregationes, vel monasteria in eadem substantiali ejusdem Regulæ professione convenientia, vulgariter unum ordinem dici, videlicet specie, asseverat. Quod quidem dictum aliâ ratione defendi minimè potest, quàm supposito,

non

non ſufficere ad identitatem numericam identitatem formæ, niſi etiam concurrat identitas materiæ: quod ſuppoſitum apud eundem Speculatorem in propoſito eſt certiſſimũ, ut patet ex verbis ipſius pag. 40. nuper allatis, quæ maioris claritatis gratiâ reiterare ſupervacaneum minimè erit: *Veruntamen* (hæc ſunt formalia ipſius verba) *ſicut non ſatis eſſet pro eodem homine conſtituendo, quod eadem anima duo corpora à ſe invicem diſtincta, & ſeparata ſimul, vel ſucceſſivè informaret, ſed requiritur, &c. ita & in corpore ordinis religioſi philoſophandum eſt.* In tantum ergo ſupponit, Congregationẽ Capuccinorum non eſſe eandem numero, atqui ut ſummum ſpecie, cum ordine primitùs à S. Franciſco inſtituto: Quia licet conſtet eâdem formâ, & animâ, id eſt Regulæ profeſſione, & obſervantiâ: conſtat tamen aliâ materiâ, & corpore. Quare ad noſtram intentionem probandam tantummodò ſuperat, ut oſtendamus, Congregationem Capuccinorum eſſe eundem numero ordinem cum ordine, ſive corpore à Seraphico Patre inſtituto, etiam quantum ad ipſum corpus, ſive materiam. Antequam tamen hanc provinciam adversùs Speculatorem ſuſcipiamus, non abs re fore iudicavimus modicam ejuſdem Speculatoris in argumentis texendis conſtantiam ob oculos legentiũ ponere: Ex una enim parte arguit, Capuccinorum Congregationẽ non eſſe eandem numero cum ordine S. Franciſci: quia licet conſtet eâdem formâ, non tamen eâdẽ materiâ: Ex altera verò idem ſuadere nititur, ſumptâ ſimilitudine ex domo antiqua, ex cujus omninò materia, nova domus ædificatur, ſic fatus fol. 85. *Nemo domũ antiquã, cuius ligna, lapides, cæteraque materialia extrahuntur, ad alterius novæ domus, à priori ſeparatæ, & omninò diſtinctæ, ædificationẽ, reformari dicet, aut reſtaurari.* Hic utiq; ejuſ-

 dem

dẽ materiæ ſalvatur identitas,& tamẽ nõ ſalvatur identitas domus,non ob diverſitatẽ materiæ,ut ex ipſo patet:ſicut ergò idẽtitas materiæ non obſtat diverſitati entis,aut naturalis,aut artificialis: ita vice verſâ diverſitas materiæ identitati obſtare minimè poſſe videtur:aut ſaltem rationis diverſitas à prætendente afferri debet.Sed de hujus vi argumenti plura inferiùs : Iam ergò ad propoſitam principalem revertamur difficultatem.

Aſſerendum ergò tertiò,Congregationem Capuccinorum, etiam ſecundùm ſuam materiam , eſſe eandem numero cum ordine S.P.Franciſci,ſive FF.Minorũ,Item materialiter ſumpto,in quantum nimirùm nominat corpus quoddam,aut etiam Congregationem hierarchicã inſtar Eccleſiæ à S.Patre inſtitutam.Vt aſſertio probetur,recolendum eſt, bifariè poſſe identitatem numericam alicujus Congregationis,ſiveCorporisReligioſi ritè,ac rectè ſalvari.Primò moraliter,per continuam ejuſdem Corporis durationem,cum aliqua tamẽ partium integralium immutatione, ſicut idem numero cenſetur corpus infantis pro toto vitę ſuę tempore,licet humidum radicale,& membra partialiter mutentur, infirmentur,ſanentur,&c.Quo ſenſu idem numero corpus,atque eundem ordinem Obſervantium, quia per continuam ſucceſsionẽ,& lineam nunquam interruptam ab ipſo PatreS.Franciſco abſque ulla ſeparatione à corpore ordinis,& obedientia Prælatorum,verorum ejuſdem S.Franciſci ſucceſſorum deſcendit, Speculator ſæpiùs,præſertim verò q.1.& 2.inculcat(Quidquid ſit autem de ordine Obſervãtium, utrùm idem ſit numero, an non, & quomodò , de quo nullatenùs quidpiam aſſerere, aut diffinire in hacce opella intendo) loquendo de Congregatione Capuccinorũ adverſus Speculatorem

torem verè eandem numero esse probare aggredior, taliq; cùm primis ferè ad hominem utor argumento. Illud corpus, quod idem perseverat per sui ipsius durationem, & successionem, idem numero est cum se ipso primitùs producto, sive formato: sicut pariter idem numero corpus est, quod primò fuit formatum, ac subinde reformatũ; sed Congregatio Capuccinorũ eadẽ est, & perseverat cum ordine primitùs à S. P. Francisco instituto, per verã, & legitimam successionẽ: ergò Congregatio Capuccinorũ etiam materialiter sumpta est eadẽ numero, &c. Minor, in qua tota difficultatis ratio est constituta, quod scilicet in Congregatione Capuccinorũ vera Seraphici Patris, ac totius ordinis successio legitima reperiatur, probatur ex verbis Christi Dñi fratri Ioanni à Metimna, dũ contemplationi vacaret, prolatis, quæ sic habent: *Disce igitur verã apud me Ministrorũ ordinis successionem, non ab antiquitate, ac diuturno annorũ curriculo, & primatu; sed à legitima institutione, ac præsertim à Regulæ observantia censeri.* Quæ quidem verba quæstionis resolutionem continent in terminis: Nam sciscitanti eidem Fratri Ioanni, ex mandato P. Francisci Æsini, tunc Capuccinorum Generalis Ministri à Christo Domino hujus casus conscientiæ resolutionem, utrùm scilicet Capuccini illi Regulæ præcepto, quo cavetur, omnes fratres teneri obedire Fratri Francisco, & successoribus ejus, satisfacerent. Cujus quidẽ casus dubitandi ratio erat: Quia Capuccini se subduxerant ab obedientia Generalis Patrum de Observantia sub obedientia proprij Generalis Ministri; de quo dubiũ esse poterat, an esset verus, ac legitimus S. Frãcisci successor: huic dubio, aut casui conscientię affirmativè Christus respondit, Generalem nimirũ Capuccinorum esse verum S. Francisci successorẽ, rationemq;

ſuæ reſponſionis adiunxit : Quia nimirùm apud ipſum vera ſucceſſio Miniſtrorum ordinis non ab antiquitate, &c. prout ſupra, cenſeri debet. Huic argumento quid reſpondeat Speculator non habens, recurrit ad inveriſimilitudines, & falſitates, ejuſmodi verba inquiens : Plus ſapere Boverium, quàm Chriſtum. Audiamus eundem : *Hactenùs*, inquit pag. 101. *Chriſtus apertè, & intelligibiliter loquutus fertur. At poſtquam ad punctum difficultatis venitur, videtur Boverius ſuas ratiunculas ita miſcuiſſe, aut ſuo ſaltem ſtylo Chriſti verba temperaſſe, ut magis Boverium, quàm Chriſtum ſapiant.* Et paulò poſt : *Ego veriſsima eſſe credo omnia, quæ Chriſtus dixit. veruntamen Boverio (ſalvâ ipſius pace) non credo hæc tamquam Chriſti dicta referenti : quis enim ibi ſtrophas, & ambiguitates non videat! dum veram ordinis Minorum ſucceſsionem ab antiquitate, diuturno annorum curriculo, atque ab ordinis primatu dicit non dependere: ſed à legitima inſtitutione, & præſertim à Regulæ obſervantia, cenſeri. Vix puto ſine Chriſti injuria hæc illi verba adſcribi poſſe : Nam in eſſentia ſucceſsio hæc includit antiquitatem, annorum curriculum, & primatum : Primatus enim eſt illud, in quo debent diverſi ſibi mutuò ſuccedere: videlicet in poteſtate ſuperioris, & Miniſtri totius Ordinis, quæ primò in B.P.N. Franciſco fuit, ipſoque vel reſignante, vel moriente, in alios derivata eſt: donec per diverſa annorum curricula, alijs illis ſuccedentibus, vſque ad Capuccinorum, & noſtra tempora devenit.* Ex his itaque clariſſimè liquet, nullum ſupereſſe Speculatori ad hujus vim argumenti delumbandam effugium, quàm veritatem revelationis à Boverio relatæ inficiari, quod tam audacter præſtat, ut non modò eandem revelationem non veram, ſive falſam eſſe indigitet: verùm etiam eam eſſe à Boverio, aut alio quodam excogitatam, & quidem contra ordinem Obſervantium, adijciat. Hæc ſunt rurſum for-

formalia illius verba: *Vnde ea omnia, quæ in Boverio supra tamquam revelata narrantur, implicitè contra ordinem Observantium à Boverio, vel aliquo alio excogitata videntur; & ad punctum propositæ difficultatis omninò impertinentia Christo Domino malè adscribuntur. Pauca hæc solùm ad rem faciunt, & à Christo dicta credi possunt: Caput habeant divinâ meâ providentiâ constitutum, Apostolicâq; Romani Pontificis, Vicarij mei, potestate electum, eidem tanquam legitimo B. Patris Francisci successori parere debent: Quo fit, ut frustrà alios successores quærant, inanique se ipsos timore sollicitent.* hæc ille. Ex quibus mirum planè est, aut videri potest, Quomodo Speculator revelationem fratri Ioanni à Christo factam, & à Boverio ex integro relatam dimidiare non dubitarit: Partem nimirùm absque difficultate recipiens, ut patet ibi. *Pauca hæc ad rem faciunt, & à Christo dicta credi possunt*: Et Et partem prorsùs reijciens, *Non credo*, inquit, *Boverio hæc tamquam dicta Christi referenti.* Vt quid enim una revelationis pars potiùs admittenda est, quàm altera: Aut cur potiùs in una parte veridici scriptoris Boverius munus gessisse putandus est, quàm in altera? nullâ planè ratione: Nam ex Iuris dispositione testis in una ejusdem articuli parte falsa deponens, præsumitur falsus & in alia. Itaque Speculator non tam veritatem præcisè, quàm preiudicium attendere voluisse, atque adeò non tam rationem, quàm voluntatē sequi visus est: illud admittens, quod sibi placet: aliud verò, quod nō placet, imò maximè displicet, reijciens.

Consideremus nihilominùs attentiùs, quæ ad partem Revelationis eliminandā Speculator adducit: sunt autē duo. Primū, quia falsum est, successionem ab antiquitate, diuturno annorū curriculo, atq; ab ordinis primatu non dependere. Secundū est, quia pariter falsū est vice versâ, veram ordinis successionem à

legitima institutione, & præsertim à Regulæ observantia censeri. Hinc enim ferè arguit hoc modo: Quis in hujus revelationis verbis strophas, & ambiguitates non videat? si successio in sua essentia antiquitatem, annorum curriculum, & primatum includit; vix sine Christi injuria hæc illi verba possunt adscribi, veram nimirùm Ministrorum Ordinis successionem non ab antiquitate, &c. sed à legitima institutione, ac præsertim à Regulæ observantia censeri. Rursum, quod ex legitima institutione, ac regulæ observantia, vera successio censeri minimè valeat, probare prosequitur, sic fatus: *Legitima institutio facilè quidem intelligi potest, facere legitimum superiorem: successorem autem minimè, quamdiu, qui legitimè successit, superstes est, & manet in possessione eius rei, in qua succedendum esset, quamque non nisi unus solus obtinere potest, sicut in Regula Cap. 8. unus solus Generalis Minister agnoscitur. Ibi: universi Fratres unum de fratribus istius Religionis, &c. Minùs adhuc successorem facit Regulæ observantia, quæ bonum quidem, & verum Religiosum constituit, sed ad legitimum S. Francisci successorem, & superiorem ordinis propemodum impertinens est. Si etenim defectus observantiæ superioritatem tolleret, & observantia talem faceret, daretur ansa multis inobedientijs, & mille abusibus, prout patet in simili, in pluribus hæreticis, qui ad Ecclesiasticam superioritatem statum gratiæ, & bonam vitam requirebant.* Prçter hçc argumenta addit aliud, ut revelationem illã saltẽ in verisimilẽ esse ostendat; *Nam,* inquit, *ad quietandam conscientiam Capuccinorũ super illo dubio, sive casu conscientiæ, non erat opus ad revelationes extraordinarias recurrere, quæ incertiores sunt, cùm Romani Pontificis determinatio, qui est supra Regulã, meritò eos debuerit quietare.* Verba formalia Speculatoris in calce 13. quæstionis. Nostra jam interest ostendere, nullas

nullas prorsùs in præfatis revelationis verbis ſtrophas, ambiguitates, inveriſimilitudinem, minùs verò falſitates deprehendi. Cujus rei gratiâ.

Supponendum eſt,tanquam indubitatum, nõ modò primos Capuccinos talem à Chriſto Dño ſuper conſcientiæ dubio per Fratrem Ioannẽ perquiſijſſe reſolutionem; verùm etiam rationabilem,ac ſuo modo neceſſariã talem faciendi perquiſitionẽ, habuiſſe rationem:Cùm enim Capuccini intenderent obſervare Regulã ad litteram,& non iuxta privilegia, aut conceſſiones pontificias,præſertim eandem Regulã relaxantes, potuiſſentq; iure dubitare,tum propter verba Regulæ Cap. 8. tum propter alia, cap. 1.ubi dicitur: *Et omnes fratres teneantur obedire fratri Franciſco, & eius ſucceſſoribus.* cùm,inquam,potuiſſent ambigere, An eidem Regulæ iuxta mentem ipſius,quantum ad hæc duo præcepta vere ſatisfacerent,Chriſtum Dñm in oratione conſulendũ putarunt,à quo illud verè divinũ retulere reſponſum: *Diſce, &c.* Non video itaq; quales hîc Speculator deprehendere poſsit ſtrophas,ambiguitates,&c. neq;enim,ut ipſe ſupponere videtur, dubitarunt Capuccini,utrùm eſſent tuti in conſcientia, ſtando ſub obediẽtia Prælatorũ ſuæ Congregationis,ex ſuppoſita Sedis Apoſtolicæ conceſsione (hoc enim quis ignorat, aut ignorare potuit) Non ergò exquiſierunt Capuccini à Chriſto,utrũ eſſent ſecuri in conſcientia quomodocumq;, verùm exquiſierunt, utrùm eſſent ſecuri iuxta Regulę puritatẽ, quã profitebantur,parati ſe iterùm ſubdere obedientię RR.Patrũ de Obſervantia,à qua,ex conceſsione apoſtolica,ſe ſubduxerãt,quoties ab aliquo præſertim à Chriſto Dño diſcerent,aut intelligerent,ejuſmodi apoſtolicã conceſsionẽ eſſe contra Regulę puritatẽ:quod idem

Speculator quaſi nolens concedit; ut enim probet ad hominem, in ordine Obſervantium Generalium Miniſtrorum ſuccesſionem, uſque ad tempora exortæ Capuccinorum Congregationis, integrã perſeveraſſe, ſcribit pag. 100. Multos è primis Capuccinis id cõſiderantes, conſcientię ſtimulis fuiſſe agitatos: atq; ob eam cauſam Franciſcũ Æſinum Generalem Capuccinorũ Miniſtrum demandaſſe Fratri Ioanni à Metimna, ut eius, ac aliorum dubiorum reſolutionem à Chriſto expoſceret. Hæc ferè Speculator, quem propterea neſcirẽ, qualiter ab inconſtantia, ſive contradictione, vendicare valerẽ: ſi enim primi Capuccini conſcientiæ ſtimulis agitati fuerunt, & hoc propter verba Regulæ, utiq; juſtam cauſam habuerunt intentandi quæſtionẽ pro ſecuritate conſcientiæ: cuius quidem quæſtionis ſolutionẽ, à quo aptiùs perquirere poterant, quàm à Chriſto Domino per orationem, & in oratione? ubi ergo, quæſo, aut quomodo ſtat, quod hic fol. 103. ſubdit Speculator, non debuiſſe Generalem Capuccinorũ movere dubium, &c. neque ad hoc opus fuiſſe ad extraordinarias confugere revelationes. Hæc poſteriora planè non cohærent prioribus: neque enim, ut iterùm repetam, Capuccini quæſierunt à Chriſto, utrùm Pontifex, qui eſt ſupra Regulam, poſſet eoſdem in conſcientia reddere ſecuros, ſecum diſpenſando auctoritate illâ plenariâ, quã ſuper omne Ius humanum, & ſuper omnia cujuſcumque regulæ præcepta habet: neq; de hoc dubitarunt; ſed quæſierunt, an viventes ſub obedientia ſuorũ Prælatorum extra obedientiã Patrũ de Obſervantia gemino illi Regulę pręcepto ad litterã ſatisfacerent. Quid verò ad hęc Chriſtus. *Diſce*, inquit? in quibus verbis nullã pariter reperiri falſitatẽ, aut contradictionẽ, jam ſupereſt oſtendendum. Sunt autem

autem ante omnia ipſa Chriſti verba annotanda: *Diſce*, inquit, *veram apud me Miniſtrorum ordinis ſucceſsionem, &c.* Quid eſt apud me, vellem adnotaſſet Speculator, quemadmodum notavit alia: *Non ab antiquitate, neque ab ordinis primatu.* vbi per parentheſim ponit verbulum, *Nota.* vellem item adnotaſſet terminos illos, *veram*, ac *præſertim*; hic enim cùm ſit terminus abundans, ſive ampliativus, non excluſivus, aut reſtrictivus, ut loquuntur Legiſtæ, facit hunc ſenſum, vera apud me Miniſtrorum ſucceſſio magis ex Regulæ obſervantia, quàm ex antiquitate cenſetur. Hoc autem (ſuppoſito, obſervantiam eſſe ordinis, ſive corporis religioſi formam, & animam) ita verum eſt, ſicut eſt verum, unumquodque magis eſſe tale ex propria forma, quàm ex propria materia; de quo tamen argumento plura quæſtione ſequente. Interim illud ad Speculatoris inadvertentiam, ne dicam imperitiam arguendam adijciendum puto, nullum noſtrûm unquam aſſerere voluiſſe, in ſola Prælatorum inſtitutione, ac Regulæ obſervantia, totam ordinis ſucceſſionem eſſe conſtitutam; neque Boverium id unquam affirmaſſe: verùm ex Chriſti doctrina Fratri Ioanni in oratione tradita illud tamquã veriſſimum aſſeruiſſe veram ordinis, ac Prælatorũ ſucceſſionem, potiſſimùm à Regulæ obſervantia, tamquã à forma cẽſeri; id enim ſonat terminus ille, *præſertim*: Atque hinc facillimè omnia Speculatoris argumẽta inania eſſe convincuntur: Quod enim aiebat, ſucceſſionem in ſua eſſentia includere antiquitatẽ, annorum curriculum, & primatum: Si rectè intelligatur, verũ eſt; nam omne compoſitũ, præter formã, includit in ſua eſſentia etiam materiã, magis tamen formã. Quod item adijciebat, legitimam inſtitutionem facere quidem legitimum ſuperiorẽ,

non autem successorem: eodem modo acceptū concedi potest; nam, præter legitimam institutionem, aliud quid ad successionis essentiam requiritur. Quod tandem obijciebat, Regulæ observantiam ad legitimam S. Francisci successionem propemodùm esse impertinentem, ex seipso suam detegit falsitaté: Quomodo enim impertinens esse potest ad naturam successionis Regulæ observantia, quæ est ordinis forma, sine qua corpus Religionis mortuum esset? Audiat unusquisque & intelligat, pulchrā sanè hujus Auctoris arguendi rationem; uno loco, nempè hîc pag. 102. ait Regulæ observantiam esse impertinentem ad legitimam S. Francisci successionem: Ac omninò impertinentia esse, ad propositæ difficultatis punctum definiendum, verba illa. *Disce igitur veram apud me Ministrorum ordinis successionem, præsertim à Regulæ observantia censeri.* atque adeò iniuriosè Christo Domino à Boverio esse adscripta. Alibi verò, id est, pag. 40. Boverij, aut potiùs veritatis argumento pressus, ingenuè fatetur, absque Regulæ observantia successionem, & durationem Religionis, non posse bene consistere. *Fatemur ergo* (verba ipsius sunt) *sine Regulæ observantia, sine qua corpus Religionis mortuum esset, non bene posse consistere successionem, & durationem Religionis, sicut sine anima idem corpus hominis non potest durare.* Per hæc ergo patet, nullas esse in prædictis verbis strophas, ambiguitates, aut falsitates: imò ipsissimam veritatem, seclusâ etiam Christi revelatione, & attentâ præcisè successionis essentiâ. Quippe verissimum est legitimam successionem ex Regulæ observantia, tamquam ex forma, & ordinis, ac corporis anima, magis, quàm ex materia censeri. Nec quia Speculator hanc veritatem in verbis Christi intelligere potuit: Ideò

eandem

eandem revelationem, ut inverisimilem, aut falsam reprehendere debuit, aut eidem veritati resistere, & contradicere: *Qui enim*, ait D. Aug. l. 1. de serm. Dom. in monte c. 4. *piè quærit*, id est veritatem, *honorat sanctam Scripturam, & non reprehendit, quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est esse mitem.* Denique supposito, Capuccinos habuisse iustam causam petendi à Christo illius casus conscientiæ resolutionem, ut planè habuerunt, ipso etiam Speculatore teste: Peto, aut verè super præfato successionis puncto Christo Domino fuit quæstio à fratre Ioanne proposita, aut non. Negare id planè potest, qui vult, at sine ratione: Quæ enim ratio afferri potest, cur talis quæstio minimè fuerit facta? ergò videtur concedendum. Tunc subsumo: Aut Christus quæstioni sibi factæ respondendo satisfecit, aut non? Ad rursùm quilibet negare potest, si vult, at sine ratione: Ergò videtur concedendum, Christum casum conscientiæ sibi propositum, tamquam doctorem nostrum exoluisse. Et tunc demum subsumo: Aut responsio à Christo data talis fuit, qualem Boverius refert; aut omninò contraria (nullo enim modo respondisse quæstioni non videtur negandum) Contraria utique magis placeret RR. Patribus de Observantia; sed quis credet, tunc Patrem Generalem Franciscum Æsinum eâ virtutum notâ insignem, totque alios Capuccinos voluisse re contrarium facere, quod ipsis à Christo Domino fuerat in oratione responsum? Poteris fortasse tibi persuadere, Boverium, aut alium, talia excogitando scriptitasse? At nescio, quâ ratione inficiari valueris, Generalem, & alios in Regulæ transgressione, post habitum Christi respon-

ſum, voluiſſe perſiſtere. Suppoſito ergò, quæſtionem fuiſſe propoſitam, reſolutionem talem, qualem Boverius deſcribit, factam fuiſſe convincitur, quam exitus comprobavit: Nam Capuccini, habito hujuſmodi reſponſo, in ſua pace, & quiete conſcientiæ manſerunt. Ex his omnibus tale tandem conſtruo argumentum, quo totius controverſiæ punctus concluditur: Vbi eſt legitima ſucceſſio, ibi eſt phyſica, aut ſaltem moralis ordinis, quantum ad ſuam materiam, & formam identitas, ac ſubinde vera, ac propria ordinis reformatio; At in Congregatione Capuccinorum eſt legitima ſucceſſio: ergò. Maior ferè, ut iacet, tota eſt ipſius Speculatoris. Minor verò quam tantoperè reprobare geſtit, non modò piæ Chriſti doctrinæ, ac revelationi innititur: atqui etiam ipſiſſimæ veritati; Cùm enim Regulæ obſervantia ſit ordinis forma, ſive religioſi corporis anima; ſine ea utique ſucceſſio, & duratio non poteſt bene ſalva conſiſtere; ſicut non poteſt conſiſtere corpus ſine anima: ergò demum veriſſimum eſt, quemadmodum homo ex anima magis, quæ eſt præcipua hominis pars, ſubſiſtit: ita ordinem ex Regulæ obſervantia, quæ eſt potiſsima, & principalis ipſius ordinis pars, præſertim cenſeri, ut Chriſtus loquutus eſt: Non inde tamen rectè infertur, ſucceſsionem in ſola Regulæ obſervantia ſalvari, niſi in eorum opinione, qui ſolam formam totam, & integram rei eſſentiam opinantur. Itaque obſervantia ſola non facit ordinem, aut ordinis ſucceſsionem, ſicut anima ſola non facit hominem; ſed obſervantia, & aliquid aliud, quodcumque illud ſit, de quo infra, quod certè non latuit Boverium, ut patet ex ipſo Speculatore

tore pag. 47. ibi : *Sciebat interim Boverius, &c.* Nec refert, quod Christus in illa sua revelatione hæc verba adiecerit: *Nam ea sola apud me robur, & pondus nanciscitur.* Tum, quia terminus, *sola*, si referatur ad successionem, non est omninò exclusivus, ut patet ex alio termino, *præsertim.* Tum quia regulæ observantia, utpote ordinis spiritus, & vita; prout Speculator cum Boverio ipsissimis verbis, pag. præsertim 50. appellat; sola est, quæ prodest, iuxta illud: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Ita planè observantia est, quæ vivificat ordinem, sine qua propterea ordo apud Deum nihil esse perhibetur; ut adhuc clariùs constabit ex dicendis duplici quæstione sequente.

Interim pro coronide unum verbum addendum, quantum ad illa duo Regulę præcepta servanda spectat, nempè absque ratione vocare voluisse in dubium Speculatorem, An Capuccini Regulam servent, sic fatus pag. 102. *Viderint Reformatores isti, quomodo secundùm hunc Regulæ passum legitimum B. Francisci successorem obtinuerint.* Quid dico vocare in dubiũ, cùm id satis clarè, & concludenter affirmet, si ritè intelligantur, quę q. 13. in hanc rem scripta reliquit, incipiendo pręsertim ab illis verbis: *viderunt nihilominùs.* quod etiam clariùs hoc argumento ipse demonstro: Aut enim concedit, Capuccinos duo illa regulæ præcepta servare ad litterã, aut negat, aut in dubiũ tantùm adducit: si negat, habetur intentũ: Si concedit, ergò Generalis Capuccinorũ est legitimus S. Francisci successor, & ordo Capuccinorum est verus ordo FF. Minorum, ac S. Francisci per legitimam, continuam, nunquamq; interruptã successionẽ; quod tamẽ ipse Speculator solùm audire ægrè sustinet. Si solùm in dubium vocat, nobisq;

quo pacto ejusmodi dubio satisfacere valeamus, videndum relinquit, prout illa verba: *Viderint Reformatores, &c.* solitariè sumpta sonare videntur, planè videmus, & intelligimus ex Christi doctrina, quæ nobis satis, superque fuit, & est, ut veri apud Deum, & in foro conscientiæ Regulæ observatores nominemur, & simus. Dixi in foro conscientiæ. Vnde idem Speculator non audet simpliciter carpere Capuccinos, quod in foro conscientię, & apud Deum Regulã ad litterã minimè servarint, & servent, ut patet ex his, quæ habet q. 14. statim in principio ibi: *nescio tamen, quomodo saltem in foro externo excusari possint, &c.* Quidquid sit ergo de foro externo, & apud homines, in foro conscientiæ, & apud Deum Capuccini eâ successione contenti sunt, quã ipsis semel largitus, aut testatus est Christus, qui planè, saltem implicitè, distinctionem inter forũ externũ, & internũ involvere suis illis verbis visus est: *Disce veram apud me, &c.* Nã idem est aliquid esse tale apud Deũ, ac in foro conscientiæ, sive Dei: sicut vice versâ pro eodem accipitur, tale esse apud homines, & in foro externo, & quia in foro Dei attenditur veritas, in foro autem externo, & hominum magis præsumptio: ideò Christus utrumq; iunxit, veritatẽ scilicet, & forum conscientię, inquiens: *Disce veram apud me, &c.* Remanet itaq; probatũ, verã, & legitimam in ordine Capuccinorum reperiri successionem, unumque, & eundem esse cum ordine FF. Minorũ, seu S. P. Francisci, ac tandem veram & non tantùm prætensam eorundẽ esse reformationem; quia est reparatio antiqui, non novi formatio, aut institutio: unde & à summis Pontificibus in suis Bullis Reformatio simpliciter, non autẽ prætensa, ut toties privatus hic Auctor inculcat, appellatur: Quoniã verò iuxta Aristotelis monitum,

nitum,ad aliquam conclusionem stabiliendã, minus est,quàm sufficiat eandem validis munire rationibus, nisi etiam contrarijs,præsertim verò expressis obiectionibus,& argumentis congruum adhibeatur responsum: Ideò ad nostram intentionem plenè,ac perfectè fundandam,superest,ut expressisSpeculatoris adversus hanc conclusionem confectis, sive propositis argumentis occurramus: Quod tamen ulteriùs differendum consultiùs existimamus: Interim verò quasdam alias quæstiones ad eandem conclusionem directè clariùs declarandam, & firmiùs roborandam adijciendas fore,& esse arbitramur.

QVÆSTIO V.

Vtrùm Congregatio Capuccinorum sit verè, ac propriè Ordo S.Francisci, seu Fratrum Minorum.

SVnt adeò invicem connexa vera Ordinis S. Francisci Reformatio, & verus ejusdem S. Francisci ordo reformatus, ut planè implicet contradictionem, ordinem reformatum esse verum ordinem S.Francisci,& non esse veràm ejusdem ordinis reformationem; nam quo pacto potest ordo reformatus esse verus S.Francisci ordo, & non esse vera Reformatio: Nullatenùs utique Speculator propterea, quemadmodum negavit Capuccinorum institutum esse veram Reformationem;ita pariter,& eâdem ferè ratione,eandem posse appellari, & esse verũ S.Francisci ordinem:Quia nimirũ Congregatio Capuccinorũ per legitimã,& nunquam interruptam succesionẽ àS.P.Francisco minimè descendit, aut descendere potest:Ita apertisimè pag. 47.sæpiùs citatâ: *sciebat interim &c.* Itaq; ex Speculatore,ut

aliqua

aliqua Congregatio, sive Reformatio verus S. Francisci ordo esse, & appellari queat duo habere debet. Primum, ut Regulam à S. Francisco traditam profiteatur. Secundum, ut ab eodem Seraphico Patre legitimâ successione descendat, quorum uno, aut altero deficiente, verus S. P. Francisci ordo esse, aut appellari minimè poterit. Hæc sunt clarissima apud Speculatorem, præsertim loco nuper citato: hinc verò ubique semper idem Speculator ista duo probare gestit: Et quod nimirùm Congregatio Capuccinorum verus S. Francisci ordo appellari, & esse non posit: Quia caret legitimâ succesione, quæ est secunda veri Ordinis conditio (esto aliàs potiatur primâ, quod scilicet regulam à S. Francisco traditam habeat, & profiteatur) & quod Congregatio RR. Patrum de Observantia sola sit verus ordo; quia utramque obtinet conditionem, præsertim verò legitimam, & nunquam interruptam succesionem: de qua succesione tanquam de re propria, & valde bona, sæpiùs congloriatur. Itaque hęc est expressa Speculatoris sententia, ac potisima ipsius sententiæ ratio, Reformationem nimirùm Capuccinorum verum S. Francisci ordinem appellari non posse; quia deficit ab illa conditione, nempè legitimæ succesionis, sine qua aut vera Reformatio, aut verus S. Francisci ordo esse minimè potest. Dico S. Francisci, non Patrum de Observantia: quia ita loquitur Speculator, præsertim eâ pag. 47. Vnde clarisimè patet, ipsum negare Reformationem Capuccinorum esse veram ordinis FF. Minorum, sive S. Francisci reformationem, cùm apertisimè neget, Reformationem Capuccinorum posse appellari, & esse verum S. Francisci ordinem: Quo tamen adhuc

pæni-

penitiùs Speculatoris mens, & vis argumentorum percipiatur.

Advertendum eſt, ipſum, ut viam ſibi ad ſolutionem quæſtionum propoſitam, *Quiſnam* videlicet *ſit verus Fratrum Minorum ordo, & Quiſnam propriè dicendus ſit ordo S. Franciſci*, ſternat, præmittere ordinem in propoſito bifariàm accipi poſſe. Primò, ut ipſam vivendi formulam, ſive Regulam ab aliquo, qui propterea ordinis Fundator, & Inſtitutor appellatur, præſcriptam nominat. Secundò, ut dicit Congregationem quandam, ſive certum, ac determinatum corpus hierarchicum ex capite, & membris ſubordinatis conſtitutum, qualis pariter eſt Eccleſia à Chriſto inſtituta, hoc eſt, congregatio Fidelium inſtar corporis organici ex capite, ac membris formata. Primo modo concedit, Congregationem Capuccinorum poſſe cenſeri ordinem S. Franciſci, & Capuccinos ejuſdem S. Patris imitatores, & filios, ut ex ſuperiore quæſtione liquet: Poſteriore verò modo, ſive ſenſu omninò, ac prorsùs negat; Imò quia Boverius Annales Capuccinorum, ſive hiſtoriam à ſe compoſitam, tali titulo prænotare voluit: *Hiſtoria ſacra, ſive Annales Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, qui Capuccini nuncupantur.* Ideò eundem Boverium exſibilat, ac de eodem magnoperè conqueritur; ut videre eſt duplici illâ quæſtione, primâ nimirùm, & ſecundâ, ubi clariſſimè, ſe in eo contradicere velle Boverio profitetur, quod titulum ordinis Fratrum Minorum, non illo tantùm priore ſenſu, verùm etiam poſteriore, ſuæ Capuccinorum Congregationi adſcribere, ac RR. Patribus de Obſervantia præripere voluerit: Cùm tamen re verâ ſolus ipſorum RR. Patrum verus S. P. Franciſci, ac fratrũ

Minorum ordo existat; quippe qui per legitimam successionem,& lineam nunquam interruptam à Seraphico Patre descendit,& ad hæc usque tempora indesinenter perseveravit: Atq; ita & à Leone X. in suis bullis: *Ite & vos.* &: *Licet alias*, ac etiam à Sacro Eminentissimorum Cardinaliũ Cœtu in suo Decreto verbum pro verbo à Speculatore allato fol. 29. eisdem Patribus de Observantia titulus ordinis Fratrum Minorum, ac S. Francisci adiudicatus est.

Hæc ferè de geminâ ordinis acceptione Speculator, ex quibus suum in hanc formam adversùs Boverium construit argumentum: ut aliquis appellari possit,& esse verus ordo Fratrum Minorum, ac S. Francisci, duo habere debet: nempe, ut Regulam à S. Patre traditam profiteatur, & ut ab ipso S. Patre per legitimam successionem descendat: quorum alterum si deficiat, verus Fratrum Minorum ordo minimè erit. Hæc est maior propositio, in qua ipsum quoque Boverium convenire insinuat eâ pag. 47. ibi: *sciebat interim Boverius, &c.* Addit minorem: Sed licet Capuccini habeant regulam à sancto Francisco traditam, non tamen habent legitimam, & nunquam interruptam successionem: ergò Congregatio,& Reformatio Capuccinorum verus Fratrum Minorum, sive S. Francisci ordo esse aut dici minimè potest. Ecce totum argumentum. Minorem, quod scilicet Capuccini non habeant, nec habere possint legitimam successionem, qualiter ipsemet Speculator probet; superiùs ostensum est.

Hinc, antequam ad quæstionis resolutionem veniamus, notandum censuimus, satis ex Speculatoribus sententia,& doctrina expresse apparere, ordinem uno modo ex duobus ab ipso allatis

allatis acceptum, nempe priore, non esse verum ordinem: solùm verò esse verum ordinem sumptum utroque modo simul. Et quia Congregatio Capuccinorum, ex ipso, nō est ordo, nisi primo modo; (esto enim habeat regulam à S.P. Francisco traditam, non habet tamen legitimam successionem) Ideò nō est, neq; dici potest verus S. Francisci ordo: At è cōtrà: quia ordo Patrum de Observantia utrumque habet, nempe, & regulam, & legitimam successionem, ideò hic est, & verè dici potest verus S. Francisci, ac FF. Minorum ordo. Facillimum est ergo, quænam sit Speculatoris intentio, in illis quæstionibus ostendere: nam in illis nil aliud inculcat, nisi Congregationem Capuccinorum non esse verè, & propriè ordinem S. Francisci: solùm verò eiusmodi esse ordinem Patrum de Observantia: Et hanc esse ipsius intentionem ipsa eius verba, & argumenta clarissimè evincunt: si enim ille non est, nec dici potest verus S. Francisci ordo, qui ultrà Regulam, aut Regulæ observantiam, non habet etiam legitimam successionem, sequitur evidentissimè, secundùm ipsum, Reformationem Capuccinorum non esse, nec posse dici verum ordinem Fratrum Minorum. Atque adeò vanè eiusmodi titulum à Boverio suæ Capuccinorum Congregationi adscribi. Quod si Reformatio Capuccinorum non est verus ordo sancti Francisci, neque utique erit propriè, sed ut summum impropriè, sive per quandam similitudinem: Nam quomodo potest esse propriè homo, aut propriè ordo, qui non est verus homo, aut verus ordo? nullâ prorsùs ratione. Itaque Speculator utramque quæstionem simul contexuit: quia ex una alia pendet. Propterea, sicut Congregationem Capuccinorum verum sancti Francisci

aut Fratrum Minorum ordinem esse negat, ita esse ordinem propriè inficiatur. Quod licet ex argumento nuper adducto claro clarius appareat, lubet nihilominùs idipsum adhuc alijs non inferioris notæ rationibus demonstrare. Colligitur ergò præterea ex ipsis quæstionum titulis Speculatoris intentio, quærit enim in una, *Quisnam sit verus ordo Fratrum Minorum*; & præmisså geminâ illâ ordinis acceptione, concludit, verum ordinem esse ordinem Patrum de Observantia, ibi: *En verum ordinem Fratrum Minorum, &c.* excluditque Capuccinos eâ ratione, Quia eorum Congregatio à S. P. Francisco per legitimam successionem minimè descendit: In alia verò quæstione inquirit, *Quisnam propriè dicendus sit ordo Sancti Francisci.* Et eodem omninò modo, ac passu in ejus solutione incedit, quo in priori, ut patet ex ipso quæstionis exordio. Quod ergò ibi dicit ordinem Patrum de Observantia strictiùs vocari ordinem Sancti Francisci, quàm ordinem Capuccinorum, ideò est; quia ordo Capuccinorum, per ipsum, non est verus ordo, nec propriè ordo Fratrum Minorum: nam procul dubio strictius est homo, qui verè, & propriè est homo seu per veritatem, & proprietatem; quam qui non est verus, & propriè; sed solùm per similitudinem. Quia ergò, secundùm ipsum, ordo Capuccinorum non est propriè, & verus ordo Fratrum Minorum; atqui solùm ordo Patrum de Observantia, ideò ipsorum ordo strictiùs est, & dicitur ordo Fratrum Minorum, quàm Congregatio Capuccinorum, ipsorum enim per veritatem, & proprietatem: Capuccinorum verò per similitudinem tantùm 3°. denique adhuc evidentiùs Speculatoris intentio ostenditur; Conqueritur etenim, quod Boverius sibi, & suis nomen,

men, & titulum *Fratrum* Minorum arrogare voluerit: hoc eſt clarum ex verbis illis: *Nilominùs in re tam manifeſta audet Bo'verius ſibi, ſuiſque titulum, ac nomen Fratrum Minorum arrogare.* Ex hoc ego ſic arguo: Aut ordo Capuccinorum, ex Speculatore, eſt verus, & propriè ordo *Fratrum* Minorum, aut non: ſi non, habetur intentum, ipſum nimirum negare inſtitutum Capuccinorum eſſe verum, ac propriè *Fratrum* Minorum ordinem: ſi ſic: ergò falsò ait, Boverium ſibi, ſuiſque titulum ordinis *Fratrum* Minorum arrogare; nam nemo dicitur ſibi arrogare, quod ſuum eſt, aut ſibi convenit. Vnde & Apoſtolus Paulus loquens de Chriſto, *non rapinam*, inquit, *arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: non enim poteſt quis de rapina arbitrari ſe æqualem, ſi verè æqualis eſt: ille ſibi arrogat, aut arrogare dicitur, qui ſibi tribuit, quod ſuum non eſt, & ideò ille ſibi nomen Dei arrogat, qui verè Deus non eſt. Confirmatur inſuper: Nam Speculator eodem contextu ait, Boverium non ſolùm ſuis arrogare titulum Fratrum Minorum; verùm etiam ab eodem Patres de Obſervantia excludere. Itaque, ex Speculatore, unus eſt titulus, quem ſibi Boverius tribuit, & quem alijs rapit: ergò nomen, & titulus Fratrum Minorum, ac Sancti Franciſci, ſuper quo hæc oritur controverſia, eſt titulus abſolutus, non comparatus: neque enim Boverius unquam ſibi tantùm arrogavit, ut Capuccinos verius, & magis propriè Sancti Franciſci fratres eſſe aſſeruerit; ſed ſimpliciter etiam ipſis titulum ordinis Fratrum Minorum tribuit: Quod tamen Speculator extorquere velle ſe iactat. Denique idem Speculator utitur formaliter ipſo nomine, *propriè*, ubi conqueritur de Boverio: Nam ſtando in ſua illa gemina ordinis

dinis acceptione, ait, si Boverius uno tantùm modo ordinis nomen sibi suisque voluisset tribuere, neminem ei contradicturum: sed quia voluit sibi, suisque titulum, & nomen ordinis Fratrum Minorum *eâdem ratione, ac verbi proprietate arrogare*: *Ideò, &c.* Hæc sunt formalia Speculatoris verba: Quibus quid clarius? Quia ergò eâ ratione, eâ inquam, quâ scilicet superiùs dixit accipi ordinem, ut præter Regulam, nominat Congregationem per legitimam à S. Patre successionē descendentē, hancq; verã, & propriam ordinis acceptionē esse indigitat: Ideò luce clariùs apparet, ipsius scopū fuisse, negare; & si fieri posset, probare, ordinem Capuccinorum non esse verum, & propriè *S. Francisci*, aut Fratrum Minorum ordinem; atqui solùm talem esse ordinem ipsorum Patrum de Observantia, quia ipsi & Regulam à S. Patre traditam profitentur: Ac propterea successionem legitimam, & nunquam interruptam habent: Hæc omnia libuit aliquantò diffusiùs, & clariùs explanare, ut Speculatoris scopus, & mens evidentiùs innotescerent.

Nostrà jam interest, Congregationem Capuccinorum esse verum, & propriè S. *Francisci* ordinem, ostendere: ad quod probandū nos utique compellit Speculator, qui, non ut Boverius, sibi, ac suis titulū ejusmodi tribuere contentus fuit; verùm etiã expresè voluit Capuccinos excludere. Vt autem maiori, quâ fieri potest, modestiâ, & reverentiâ hanc veritatem ostendamus.

Notandum est, verè de ratione ordinis *Fratrum* Minorum propriè dicti esse, ut & Regulam ab ipso *Seraphico* Patre conscriptam habeat, sive profiteatur; & quod sit corpus hierarchicum, non quidem separatum, sed corpori primitùs formato

to per ſucceſſionem unitum. Vnde ſi Capuccinorum inſtitutum hæc utraque habere probatum fuerit, erit pariter probatũ, eſſe verè, ac propriè Fratrum Minorum, ac S. *F*ranciſci ordinem, ſicut è contrà, ſi aliqua ex prædictis Capuccinorum inſtituto defuerint, verè, ac propriè *F*ratrum Minorum, ac S. Franciſci ordo cenſeri minimè poterit.

Notandum prætereà, illud inſtitutum, cui duo prædicta præſto ſunt, ita verè, & propriè eſſe ordinem Fratrum *M*inorum, ut nulli alij potiori iure, & ſenſu titulus ejuſmodi competere queat; Nam teſte Speculatore totâ q. 2. ordo, prout duo prædicta includit, eſt ordo ſtrictè, imò, & ſtrictiùs, ac potiori iure, & ſenſu. Vnde non eſt comparatio inter ordinem, & ordinem duo prædicta habentes: ſed inter ordinem duo prædicta habentem, qualem ubique facit Speculator ordinem Obſervantium, & ordinem eorum altero carentem, qualem vice versâ ſemper, & ubique ordinem Capuccinorum facere geſtit: Ideoque ordinem Obſervantium ſtrictè, & ſtrictiùs, ac iure potiori, & ſenſu ordinem *F*ratrum Minorum, & S. Franciſci eſſe contendit, quàm ſit ordo Capuccinorum; qui utique ordo Capuccinorum, ſi verè, & propriè ordo exiſteret (loquor ad hominem) nil minus haberet, quàm ordo Patrum de Obſervantia: Ac proinde titulus ordinis Fratrum *M*inorum non uni potiori iure, & ſenſu, imò utrique æqualiter debitus eſſet: Quia verò, ſecundùm ipſum, ordo Capuccinorum alterâ ex duabus præfatis conditionibus caret: è contrà verò ordo Obſervantium utrâque gaudet: Ideò ordo Patrum de Obſervantia verè, propriè, ſtrictè, & ſtrictiùs ordo *F*ratrum *M*inorum, & ſancti *F*ranciſci exiſtit,

eidem-

eidemque titulus eiusmodi jure potiori, & sensu debetur.

Notandum est, duo à Speculatore imponi Boverio. Primum est, eundem suæ Capuccinorum Congregationi titulum, ac nomen ordinis *Fratrum Minorum*, non solùm priore sensu, verùm etiam posteriore attribuere voluisse, & in hoc verum dicit: Quia tamen eidem displicet, quod Boverius Congregationem Capuccinorum ordinem *Fratrum Minorum* appellet, etiam sub illo posteriore sensu, & non tantùm sub priore: Ideò in hac parte se eidem Boverio velle contradicere, conarique eiusmodi nomen extorquere, non obscurè indigitat. *Quod si* (verba Speculatoris) *in ista vocis acceptione Boverius suum institutum ordinem Fratrum Minorum Sancti Francisci vocare contentus fuisset, nemo ut arbitror, ei vellet contradicere, vel eiusmodi nomen conaretur extorquere.* Et paulò infrà: *At quia Boverius sibi, suisque eundem titulum, ac nomen, etiam iuxta verbi proprietatem, prout videlicet dicit corpus hierarchicum arrogare voluit: Ideò*, &c. Secundum est, Boverium ulteriùs RR. Patres de Observantia ab illo nomine, & titulo excludere, sive eundem titulum eisdem eripere voluisse, in quo Boverium temeritatis, & ausus notâ sugillat, ut patet ex illis verbis: *Nihilominùs in re tam manifesta audet R. Pater Boverius*, &c. Huius autem ausus ratio quantum ex Speculatore conijcere potui, in duobus consistit: Primò, quia non obstante tam manifestâ Leonis declaratione, & sacræ Congregationis determinatione, titulum ordinis *Fratrum Minorum* sacræ RR. PP. Observantium Religioni adjudicantium, eripere gestit. Secundò, quia aliquem ab antiquissima, & legitima juris possessione velle excludere, temeritatis ausus existit: Præsertim, si falsis, aut parum fundatis prætensionibus, prout sunt

ſunt Capuccinorum prætenſiones à Boverio in medium allatæ, hoc ipſum intentetur. Hæc, quæ paſſim Speculator repetere non gravatur, paucis complexus eſt pag. 29. *Solidior tamen eſt Fratrum Obſervantium tam diuturna, & legitima poſſeſſio, quàm ut huiuſmodi adeò parùm fundatis prætenſionibus cedere debeat, quæ quàm exiguo iure nitantur, detegendo in ſequentibus falſas R. P. Boverij ſuppoſitiones, & ſolvendo debiles eius obiectiones, luce clarius apparebit.* Hactenùs Speculator, qui eo potiſsimùm argumento Boverij prętenſiones falſas eſſe, ubique ſemper probare nititur, quod ex Regulæ obſervantia magis, quàm ex antiquitate, legitimam ordinis ſucceſsionem cenſeri jactet; de cujus vi argumenti jam ſatis ſuperiùs in præcedentibus: hoc igitur loco illud præcipuè nobis agendum eſt, oſtendere nimirùm, utrùm re verâ Boverius RR. Patres de Obſervantia à titulo, ſive nomine Fratrum Minorum excludere voluiſſe cenſeri queat.

Notandum igitur ulteriùs, aliud eſſe nomen, ac titulum Fratrum Minorum alicui Congregationi adſcribere; aliud aliam Congregationem ab eodem titulo excludere. Primum utique facit Boverius: Nam re verâ Congregationem Capuccinorum ordinem Fratrum Minorum, & ſancti Franciſci ubique appellat, & appellando verum dicere prætendit. Secundum, ubi ſcilicet Boverius RR. Patres de Obſervantia ab hoc titulo excludat, nullibi reperio, neque hactenùs unum tantùm locum, aut etiam verbulum in toto ſuo Speculo afferre potuit Speculator, in quo Boverius dicat, Patres de Obſervantia non eſſe fratres Minores: ſolùm verò indirectè ab eodem Boverio fieri, aut conſequenter affirmari idem

conqueritur. Primò quidem, dum Boverius suis Annalibus titulum illum, *Annales ordinis Fratrum Minorum*, indidit, & hoc ferè modo suum Speculator, ut puto, argumentum texit. Vnus tantùm est ordo Fratrum Minorum, non plures: ergò qui dicit, Capuccinorum institutum esse ordinem Fratrum Minorum, eo ipso PP. Observantium Congregationem eorundem Fratrum Minorum Ordinem esse inficiatur: sicut, quia unus tantùm est Deus, qui Iovi deitatem tribuit, aut Deum nominat, eo ipso Christum à deitate excludit. Secundò movetur Speculator, ex eo, quod Boverius asserit, deficiente regulari observantiâ in ordine Observantium, inductam esse Capuccinorum Reformationem, in qua ejusdem regularis observantiæ forma fuit renovata, & continuata: Ita evidenter ex uno Boverij dicto alterum Speculator infert, ut videre est pag. 28. ab illis verbis, *quod ne gratis dixisse videar*, usque ad finem. Nos igitur missâ disputatione pro ea parte, quæ RR. Patres de Observantia contingit, utrùm scilicet eorum ordo sit, nec ne Fratrum Minorum, illud tantummodò in præsentiarum probare contenti erimus, quod de Congregatione Capuccinorum, non indirectè tantùm, sed expressissimè negat Speculator, Capuccinorum scilicet Congregationem verè, & propriè ordinem Fratrum Minorum, ac Sancti Francisci esse censendam. Quod ut clariùs ostendamus.

Supponendum est primò, aliud esse ordinem, aliud ordinem verum; Nam ordo præcisè potest intelligi etiam de ordine mortuo: At ubi additur *verus*, ordo restringitur ad solum ordinem vivum, quippe ordo mortuus, non est ordo, nisi ęquivocè,

ſicut de homine mortuo, aut etiam corpore cadaverico, ſemel teſtatus eſt Ariſtoteles ab univerſis Philoſophis communiter acceptus. Quid porrò addat *verus*, appoſitus termino alicui, eſt graviſſima quæſtio, magis tamen in communi apud Philoſophos ventilata, quàm nihilominùs D. Auguſt. fortaſsè ad rem noſtram uno verbo ſolvit, tractans illud Salvatoris apud Ioannem 15. [a] *Ego ſum vitis vera.* ſic fatus: *Sed cùm dicit ego ſum vitis vera, ab illa ſe utique diſcernit, cui dicitur: Quomodo converſa es in amaritudinem vitis aliena? Nam quo pacto eſt vitis vera, quæ expectata eſt, ut faceret uvas, fecit autem ſpinas.* Ex quo in propoſito quilibet inferre poteſt, verum ordinem apud Deum à non vero diſcerni in eo, quod verus facit fructus, quos ab eo Dominus, ac Seraphicus Pater expectat; non verus contra, aut ejuſmodi fructum non facit, aut quod peius eſt, vice fructuum ſpinas germinat, hoc eſt, tranſgreſſiones, & relaxationes. Quare non video, quomodo reſponſio Speculatoris circa propoſitam de vero ordine quæſtionem, inquiens, verum in obſervantia minimè eſſe conſtitutum, atqui potiùs in legitima ſucceſſione, &c. titulo ipſius quæſtionis reſpondeat, cùm tamen reſponſio correſpondere debeat interrogationi; ſed non mirum, cùm anteà terminos tituli quæſtionis, ut fieri debet, minimè explanavit: Impoſſibile eſt enim diffinire, Quis ſit ordo, & verus ordo, quin priùs clarè explicetur, in quo ratio ordinis, & veri ordinis ſit conſtituta, prout à non vero, vel falſo diſtinguitur. Et certè, ſi, ut ipſe fatetur cum Boverio, obſervantia Regulæ eſt ordinis vita, ſine qua corpus Religionis mortuum eſſet, fateri etiam compellitur, ipſammet obſervantiam

 eſſe,

a *S. Aug. tract.* 81. *in Ioan.*

esse, in qua formaliter ratio ordinis veri, aut corporis vivi subsistit. Quod si ita est, quâ ratione tale argumentum adversùs Boverium construere valuit? *Si observantiæ defectus tollit superioritatem, & observantia talem facit*, concedo primum, nego autem sequelam secundi: Nam cùm non sit verus ordo, & verum corpus, quod non vivit, sed potiùs ordo pictus, aut æquivocè; ac per se corpus sine observantia vivere nequeat, sequitur evidentissimè, defectum observantiæ veram in ordine superioritatem tollere, prout de ea loquimur in præsenti; quod, supposito, observantiam esse ordinis vitam, vix à quopiam negari posse videtur. Vnde & Leo in sua Bulla, factâ invicem separatione Patrum de Observantia, & Conventualium, statuit ut ex omnibus, & solis Fratribus, regulam purè; & simpliciter observare volentibus, sive reformatis, unus eligeretur Generalis Minister, quemadmodum etiam Speculator pag. 15. fatetur, quasi indicare voluerit, verum ordinis superiorem, ac legitimum sancti Francisci successorem esse debere puræ regulæ professorem, atque Ordini eandem regulam purè profitenti Prælatum. Non inde tamen sequitur solam observantiam conferre superioritatem, quia malum est ex quacumque causa, bonum ex integra; Neque enim in sola observantia (alijs quibuscumque seclusis) verus ordo consistit, sed in observantia consistit, sicut in forma; quæ tamen supponit materiam, quam informet, ac informãdo vivificet. Vnde bene valet: deficiente solâ observãtiâ deficit ordinis veritas, & vita: Non tamen valet: ex sola observantia ordo integrè in sua totalitate subsistit; sicut valet: abeunte animâ homo moritur; Non tamen valet: ergò homo ex sola anima subsistit.

Suppo-

Supponendum est ergò secundò, Ordinem posse considerari, aut secundùm suam materiam, aut secundùm suam formam: aut prout ex sua materia, & forma unitis resultat. Cùm autem dico ordinem posse considerari, aut secundùm suam materiam, aut secundùm suam formam, &c. non ita intelligas velim, quasi duos, aut tres ordines, unum secundùm materiam, alterum secundùm formam, &c. constituere, ac distinguere prætendamus, id enim est falsum: Ita ergò intelligas, quemadmodum, cùm dicimus, hominem posse considerari, aut quantum ad animam, quæ est ejus forma, aut quantum ad corpus, quod est materia: sicut enim unus est homo constans animâ, & corpore, tamquam ex partibus essentialibus constitutivis, ita unus est ordo constans ex sua materia, & ex sua forma, ex quibus, tamquam ex partibus, coalescit: sicuti etiam Ecclesia una est, ex hominibus, tanquam ex materia, & ex fidei professione, tanquam ex forma consurgens. Quod est valde notandum; neque enim Ecclesia, aut est sola fides, aut sola hominum congregatio; sed est congregatio ejusmodi hominum, quatenus in una fidei professione conveniunt. Itaque Ecclesia pro materiali dicit ipsam hominum congregationem hierarchicam, quæ perbellè assimilatur corpori, aut etiam carni, quæ præcisè considerata non prodest quidquam: Pro formali verò dicit ipsam fidei professionem, quæ comparatur animæ, ac spiritui, corpus, ac carnem Ecclesiæ vivificanti. Similiter ordo Religionis pro materiali dicit ipsam congregationem Religiosorum, quæ precisè considerata, nimirùm absque Regulę professione, & habituali observantia, non prodest quidquam: Pro

 for-

formali porrò dicit ipſam Regulæ profeſſionem cum habituali obſervantia, quæ eſt veluti anima, ſive ſpiritus corpori Congregationis vitam impertiens : Non ergò duplex eſt ordo, Congregatio hierarchica , & habitualis Regulæ obſervantia, ſed unus ex utroque tamquam ex parte eſſentiali ſubſiſtens: Forma itaque ordinis, in qua ordinis vita conſiſtit, eſt ipſa Regulæ profeſſio, ſive habitualis obſervantia, quod ſæpè ſæpiùs idem Speculator abſque ulla difficultate teſtatur.

Quænam verò ſit hujus ordinis materia, idem Speculator q. 1. licet ſatis ſubobſcurè, indicavit, inquiens, ordinem uno modo eſſe ipſam Congregationem per modum perfectæ cujuſdam Communitatis , & Corporis hierarchici a S. Patre inſtitutam. Quare illa duplex ordinis acceptio, cujus ibidem Speculator meminit, clariùs, & iuxta terminos Scholaſticorum, aptiùs potuiſſet explicari, dicendo, ordinem accipi bifariè: Aut ut importat materiam, ſive corpus, ut loquitur Apoſtolus Paulus, dum Corpus[a] Chriſti, & Eccleſiæ nominat utique , ut diſtinguat ab ejus anima; Aut ut nominat formam, prout nominat materiam, eſt ipſum Congregationis corpus ex varijs membris invicem unitis compactum: ut verò nominat formam, eſt ipſa habitualis , & ſpiritualis Regulæ obſervantia, modo ſuperiùs explicato. Hinc ſequitur , ordinem , quoad ſuum materiale, propriè loquendo , non eſſe ſemper idem numero ; nam variatur non ſolùm quoad membra inferiora morte ſuccedente, verùm etiam quoad membra principaliora, ac ipſum quoque caput, dum ſuperiores vacant, & alij ſucceſſivè in eorum locũ ſubſtituuntur: Dicitur tamen unũ numero latè, ratione ſucceſ-
ſionis,

a 1. *Corinth.* 12. *& ad Epheſ.* 4.

ſionis,quo pacto etiam unum eſt corpus Eccleſię per legitimã Pontificis,ac aliorum Prælatorum ſucceſſionem : An vero repugnet aliquo modo,ſaltem ex Regula,plura eſſe hujus corporis capita,ſicut repugnat,plures eſſe ſummos corporis Eccleſiæ Pontifices,infra declarabimus.Interim tamen ſupponamus, unum eſſe debere totius ordinis , ſive Fraternitatis Miniſtrum. Supponamus nihilominùs etiam contingere poſſe, ut Religio diſpertiatur,eo ferè modo, quo contingit diſpertiri Eccleſiam in ſchiſmate per electionem duorum Pontificum,quo caſu nõ erit quæſtio: Num uterque Pontifex legitimus ſit; ſed quis ex duobus legitimus exiſtat.

Supponendum denique triplicem poſſe Regulæ obſervantiam diſtingui in gratiam RR. Patrum de Obſervantia , ſtrictam ſcilicet , ſtrictiorem , & ſtrictiſſimam. De ſtrictiore extant bullæ ſpeciales plurimæ in favorem RR. Patrum ſtrictioris obſervantiæ editæ, qui ex adiuncto comparativo, *ſtrictioris*, diſtinguuntur ab alijs , qui ſimpliciter de obſervantia ſunt, & dicuntur. Ex quo patet in ordine Obſervantium, alios eſſe obſervantiæ ſtrictæ, ſive obſervantiæ ſimpliciter, alios obſervantiæ ſtrictioris , qui etiam hodie reformati de obſervantia,ſive obſervantes Reformati nuncupantur. Præter has autem duas obſervantias,alia videtur neceſſariò adiungenda, nempe ſtrictiſſima : nam poſitivum , & comparativum, refert etiam ſuperlativum. Quinam autem ſint in Religione Fratrum Minorum de ſtrictiſſima obſervantia , ſi Capuccinos eſſe aſſererem , fortaſsè à vero non abhorrerem : Parco tamen , memor moniti divini aientis : *Non* , *qui ſe ipſum commendat , ille probatus eſt , ſed quem Deus commendat.* Audiat porrò

porrò quilibet, si lubet, R.P.Bonitum talia de Capuccinorum reformatione fol. 28. ad rem nostram promentem : *Romanus Pontifex, inter omnes, qui Regulam S.Francisci profitentur, Cappuccinos rigidiores, puriores, ac fideliores observatores, imò & perfectissimos declarare volens, eosdem severiori Divi Francisci disciplinâ imbutos dixit.* Et post pauca, in quibus ostendit inter observantes, alios laxiùs, alios strictiùs Regulam servare. Vnde, qui strictiùs, ad differentiam laxiùs viventium, se strictioris observantiæ dixerunt ; sic ferè concludit : *Nec est dubitandum, quin PP. Capuccini inter omnes Franciscanos primatum teneant.* Hæc sanè triplex observantia posset fortasse satis competenter explicari, sumptâ dicendi occasione ex 2. Machab. 3. ibi *Igitur cùm sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, &c.* ut alia sit bona, alia melior, alia denique optima : Melior congruit Reformatis ex parte, iuxta illam definitionem : *Reformatio est ad meliorem formam reductio.* Optima congruit, aut primò formatis, aut etiam reformatis ex toto, & integro. Bona congruit his, qui sunt quidem deformati, si Regulæ puritas attendatur ; adhuc tamen benè vivunt, quia Regulam iuxta Pontificum concessiones, aut etiam consuetudines legitimè præscriptas servant : ejusmodi sunt respectivè Reverendi Patres Conventuales, ut ex Constitutionibus Vrbanis eorundem RR. Patrum titulo 2°. patet, veniendo itaque ad resolutionem quæstionis.

Sit prima assertio. Nullus potest esse verus ordo integrè, ex sua scilicet materia, & forma coram Deo sine observantia. Hæc ex dictis adeò est manifesta, ut vix alicui sapienti contra-

contrarium in animum incidere posse existimem: Implicat enim, esse verum ordinem absque forma, & vita: Observantia autem, ut jam patet, est vita, atque ordinis forma; observantia, inquam, habitualis, non actualis: ergò verus ordo absque observantia neque est imaginabilis. Dixi hîc iterùm, *Observantia non actualis, sed habitualis*, ut indicem, nullam prorsùs esse implicantiam, ipsum ordinem ita potuisse instar cadaveris mortui jacere extrà observantiam, ut tamen intrà ipsummet ordinem aliqui reperirentur, non solùm observantes Seraphicæ Regulæ, verùm etiàm observantissimi: sicut non implicat, in ordine vigere strictiorem, imò & strictissimam observantiam, atque adeò totum ordinem optimè vivere, & tamen intrà ipsum ordinem sic vivum, unum, ac plures inobservantissimos posse reperiri. Vnde hîc lubet eo uti argumento, quo utitur Speculator fol. 102. ad probandum, observantiæ defectum non tollere superioritatem; quia nimirum si observantiæ defectus tollit, observantia tribuit: sic enim argumentor & ego: Si observantia aliquorum paucorum dat ordini vitam: ergò aliquorum paucorum inobservantia eidem ordini ingerit mortem; ergò nullus ordo in Ecclesia reperitur, aut unquam repertus est vivens; quia nullus ordo, etiàm optimè institutus, ad modicum tempus, sine aliquibus talibus inobservantibus est adinventus: Imò ipsum Collegium Apostolicum, in quo unus erat Iudas mortuus, & immundus, mortuum, ac immundum fuisset censendum. Et quia hæc est res magni momenti, lubet ea in medium afferre, quæ de hoc puncto satis quidem concinnè scripta reliquit S. Bonaventura de sex alis Seraph. c. 3. *In hoc*, inquit S. Doctor, *differunt laudabiles Religiones, & jam dilap-*

 se

ſæ, non quod nullus in laudabilibus peccans reperiatur; ſed quod nullus impunè peccare ſinatur, & peccandi aditus ſtudiosè præcludantur: nam cùm in ordine Apoſtolorum reperta ſit pravitas: Quis ordo in terra hanc ſibi prærogativam arrogare audeat, quod in eo peccatum non ſit: Quia etſi plurimi per Dei gratiam ibi immunes fuerint, non tamen omnes.

Secunda aſſertio. Nulla eſt implicantia (ſuppoſito, ordinem pro aliquo tempore vitâ caruiſſe, de quo adhuc nil definio) reperiri veram in ordine Prælatorum, atque ejuſdem ordinis ſucceſsionem, etiam abſque continuatione, ſive lineæ interruptione. Aſſertio declaratione potiùs indiget, quàm probatione. Dixi ergò, ſuppoſito, &c. ut indicarem, implicare quidem contradictionem, continuè in ordine extitiſſe veros Seraphici Patris ſucceſſores, corpore Religionis ſemper vivo permanente: Implicat enim, corpus vivere ſemper, & interdùm carere capite vivo: At verò, ſicut implicat, corpus ſemper vivens aliquando capite caruiſſe: ita implicat, corpus interdùm fuiſſe mortuum, & ſemper habuiſſe caput vivum: ergò ſuppoſito, ordinem, ſive corpus Religionis, pro aliquo tempore fuiſſe mortuum, nulla eſt implicantia, veram in ordine, etiam abſque continuatione, aut lineæ interruptione Prælatorum, atque ejuſdem ordinis ſucceſsionem, poſſe ſalvam ſubſiſtere.

Tertia aſſertio. Loquendo de ordine materialiter præcisè, ſive ſecundùm materiam, prout dicit Congregationem ex ſubditis, & Prælatis conſtitutam, abſque ulla dubitatione, ab exordio ſui uſque nunc, ſucceſsivè, abſque interruptione duravit. Hæc aſſertio eſt certiſsima; nam ſucceſsio ordinis interrupta, quantum ad ipſius materiale pertinet, non eſt, niſi ſucceſsiva Prælatorum inſtitutio, unius poſt alterum, morte anteceſſoris na-

turali

turali, aut civili interveniente; quæ alijs verbis genealogia, sive generatio appellari potest, ad similitudinem genealogiæ, sive generationis naturalis, & carnalis; secundùm quam filij succedunt parentibus, soletque series, & ordo generationum à primo, in quo generatio ipsa cæpta est, usquead illum, in quo terminatur (si talis est, ut terminare debeat, ac terminet) ordinatè deduci; ut patet in descriptione generationis Christi usque ad Abraham, aut etiam usque ad Adam: Atque ita in proposito nostro, continua ordinis successio nil aliud est, quàm institutio, quæ est veluti quædam generatio Generalium Ministrorum, unius post alterum, à B. P. Francisco, usque ad præsentem Generalem, quicumque ille sit. Quod si Generales ordinis se invicem eligerent, ut parentes generant filios, describeretur hoc modo: S. P. Franciscus genuit Fratrem Eliam, Elias autem genuit Fratrem N. &c. sed quia unus Generalis in ordine Seraphico non eligit alterum: Ideò successio describitur sic. Post S. Patrem Franciscum institutus est, tamquàm legitimus eius successor Fr. Elias: Post Fratrem Eliam Frater N. &c. Vnde non tam censendus est successor, qui quomodolibet instituitur; sed qui instituitur legitimè ab habentibus potestatem, & qui eligitur, mortuo antecessore, sive morte naturali, sive etiam morte civili. Quod si ordo absque vita remaneat, non erit ordo formaliter, imò solùm æquivocè; ut per se patet.

Hinc sequitur, deficiente observantia in ordine, ac proinde remanente ordine sine vita, integrum esse, iuris tamen ordine seruato, constituere successorem in ordine, etiam existente naturaliter, sive materialiter vivo Generali ordinis spiritualiter,

ſive moraliter mortui, perinde;ac ſi naturaliter mortuus eſſet. Vnde Seraphicus Pater 8. Regulæ capite,non tam voluit expectari mortem naturalem Generalis, quàm mortem ipſius civilem,& moralem in quadam ineptitudine, ſive inſufficientia,ad cõmune bonũ, & ſervitium fraternitatis conſiſtentẽ,inquiens: *Et ſi aliquo tempore &c.* Itaq; non eſt ſucceſſor S.P. Franciſci quicumque etiam legitimè inſtituitur, id eſt, ſervatâ Canonum formâ; ſed qui inſtituitur vivus, ut ſuccedat ordini vivo, atque vivorum, ad continuandam genealogiæ lineam; in quo conſentimus Speculatori optimè dicenti q. 13. legitimam inſtitutionem præcisè non poſſe facere ſucceſſorem, quamdiu is, cui legitimè ſuccedendum,ſuperſtes eſt; minùs tamen aptè ille adiungit, Regulæ obſervantiam ad legitimum S. Franciſci ſucceſſorem propemodum eſſe impertinentem: tum quia expreſsè adverſatur ei, quod idem Speculator pag. 40. his verbis aſſeverat. *Fatemur ſine regulæ obſervantia non benè poſſe Religionis ſucceſsionem, & durationem conſiſtere*: tum quia cum regulæ obſervantia ſit totius ordinis vita, ſine qua nec caput ipſum, nec alia corporis pars vivere poteſt: vtique non poteſt dici ſuperſtes eſſe ſuperior, qui vivus non eſt: Atque ita deficiente obſervantiâ habituali in ordine, ordo minimè ſuperſtes eſſe cenſetur; quia licet ſuperſtes ſit materialiter, non tamen ſuperſtes eſt formaliter:imò formaliter vitâ caret,&defunctus eſt;Cùmque non ſolùm Generalis ſuccedat Generali, ſed etiam Ordo Ordini,ut ex Speculatore q.4.pag.47.in calce,ſequitur euidentiſsimè, poſſe ſalvari ſucceſsionem Ordinis, & Prælatorum, etiam per novam Ordinis inſtitutionem, ubi primus, & antiquus Ordo ex habitualis obſervantiæ defectu defunctus eſt.

Quare Speculator non tam debuit esse sollicitus, ut probaret materialem Ordinis continuationem, per materialem, ut ita dicam, Ordinis, ac Prælatorum generationem; id enim facilè præstare quilibet potest, qui notitiam habet omnium Generalium, qui à tempore S.P. Francisci usque in præsens creati, sive electi sunt. Neque hanc materialem successionem, etiam post exortam Capuccinorum Congregationem, ijdemmet Capuccini unquam vocarunt in controversiam: imò tanquàm rem indubitatam semper admiserunt; solùm verò dubitârunt de successione formali, tam Ordinis, quàm Prælatorũ: Ideò Christum Dominum super formali successione consulendũ duxerunt, à quo responsum illud receperunt, nempe successionem apud ipsum, non ab antiquitate &c. sed à legitima institutione, ac præsertim Regulæ observantia censeri: quasi dicere voluerit: Quidquid sit apud homines, apud me vera successio non mensuratur ex materiali, sed ex formali; quia non curo, à quo tempore Ordo inceperit, & quanto tempore perdurârit: sed valdè; & præsertim curo, utrum in ordine observantiæ nitor effulgeat, sivè hic ordo, quantũ ad temporis durationẽ, sit antiquus, sivè sit novus, aut modernus; nam apud Deum non computatur antiquitas temporis, sed innocentia vitæ. Neque in spirituali ordinis genealogia computantur ij, qui sunt Prælati materialiter, magis, quàm formaliter. Quod adeò verum est, ut in ipsa Salvatoris genealogia tres ratione præteritæ sint generationes, ac generantes; ut notarunt ibi omnes interpretes; quia ex gentilitate processerant; tribus autem præteritis tanquam apud Dominum non computatis: Rursùm generationis series, & successio intexitur. Si ergò non interrumpitur apud Deum

linea genealogiæ, ex eo, quod ab illa tres, in quibus carnalis tantummodò generatio conservabatur, excludant: & hoc sive propter eorum peccata, ut vult S. Hieronymus; sive quia non tam apud Deum attenditur corporalis generatio, quàm æternæ nativitatis, quæ tota spiritualis est, significantia, ut placet D. Hilario: Cur non etiam idem proportionaliter dici potest de spirituali ordinis genealogia, quod scilicet apud Deum non tam attendatur series Prælatorum, quantùm ad ipsam materialem institutionem, quàm quoad formalem, quæ præsertim in observatoribus Regulæ computatur.

Statuitur tandem Conclusio resolutiva totius Quæstionis, Quinam scilicet sit verus sancti Patris Francisci, ac Fratrum Minorum Ordo.

VT ergo tandem toti quæstioni per sententiam, quâ totius difficultatis punctus resolutè concludatur, finem ponamus, necessarium est declarare, qualiter corpus Religionis unum, & idem à principio usque in finem censeri queat. Cuius rei gratiâ.

Notandum est, aliter esse idem numero ens successivum, ut est, v. g. tempus, & motus: aliter ens permanens, quod habet totum suum esse simul; ut patet ex Philosophia; nam ut ens successivum sit idem numero, satis est, ut pars succedens suo modo jungatur præcedenti. Dico, suo modo: nam in hujusmodi successivis pars prior abit, posteriore adveniente: adeò ut implicet, simul permanere utramque partem, præcedentem, sive priorem, cum consequente, sive posteriore.

Notandum est præterea, vel potiùs supponendum ex omnium

nium ſententia, corpus Religionis, ſive ordinem eſſe potiùs de genere ſucceſsivorum, quàm permanentium; Nam ordo non habet totum ſuum eſſe ſimul, ſed ſucceſsivè: Ita, ut ordo ſuccedat ordini, ut loquitur etiam Speculator pag. 47. vel potiùs pars ordinis parti: non ita tamen ſuccedit ordo ordini, ſicut motus, aut tempus, motui, & tempori; nam nil remanet de motu, ac tempore antecedente, cum motu, ac tempore ſubſequente; cùm de ordine ſemper aliquid exiſtat cui ordo ſubſequens copulatur: Nec etiam ſuccedit ordo ordini, ſicut ſuccedit corpus hominis ſibi ipſi infanti, per quandam accretionem, diminutionem, & reparationem; nam propriè nulla eſt hîc ſucceſsio; licet impropriè vocari poſsit ſucceſsio partis ad partem in toto, toto ipſo ſemper permanente, inſtar accidentium, quæ accedunt, & recedunt, ſubjecto, abſque ipſius ſubiecti corruptione: Nam licet ſtatim à principio totus ordo primus non deficiat, tamen poſt aliquod tempus, puta unius ætatis, totus primus ordo deſtruitur: Quia nimirum omnes Religioſi, tam ſubditi, quàm Prælati, decedunt, & pereunt, & alij omninò in eorum locum ſuccedunt ad ordinem ſucceſsivè continuandum; atque ita tandem totus ordo deſtruitur, ut alius ſuccedat, quod eſt de eſſentia ſucceſsionis ejus, de qua loquimur; nam ſuccedere non poteſt alteri, quamdiu ille ſuperſtes eſt, ut per eundem Speculatorem pag. 47. & 102. Quare vix ſimile invenire poſſumus in entibus naturalibus: Habemus autem in artificialibus, v. g. in Republica, quæ eadem eſſe cenſetur per ſpatium plurium ſeculorum; non quia primi homines, qui formarunt Rempublicam, ijdem ſemper permanſerint; ſed quia primis ſublatis alij ad Rempublicam continuan-

dam

cam ſucceſſerunt: Ita tamen, ut neque primi ſimul omnes deficiant, vel pereant; ſed quia tandem poſt unam ætatem omnes primi perierunt, & omninò alij in eorum locum ſucceſſerunt. Simile item habemus in exercitu: Ad hoc verò, ut cenſeri queat, eundem exercitum, atque Rempublicam per legitimam ſucceſsionem perſiſtere, non ſufficit; ut ſuccedant homines hominibus; ſed omninò requiritur, ita ſuccedant, ut ſuccedant etiam in forma, ſine qua nec Reſpublica, nec exercitus ſubſiſtere poſſunt. Quòd valdè notandum eſt: hinc enim clarè ſit ad hoc, ut Ordo S.P.Franciſci idem per legitimam ſucceſſionem cenſeri queat, minimè ſatis eſſe, vt ordo ſuccedat ordini præcisè, quantum ad materiale; verùm ulteriùs requiri, ut ſuccedat etiam quantum ad formale: nam verus ordo ex utroque, materiali nimirùm, & formali reſultat; Cùm autem formale ordinis ſit Regulæ profeſsio, aut obſervantia, eo ipſo, quo ejuſmodi obſervantia deficeret, deficeret pariter vera ſucceſsio. quod etiam expreſsit Speculator pag.40. *Fatemur ergò ſine Regulæ obſervantia, ſine qua corpus Religionis mortuum eſſet, non benè poſſe conſiſtere ſucceſſionem, & durationem Religionis, ſicut ſine anima idem corpus hominis durare non poteſt*: Intellige idem corpus verum; nam corpus ſine anima, eſt corpus ſolùm æquivocè.

Notandum poſtremò, ſucceſsionem, aliam eſſe continuam, ſive nunquàm interruptam, aliam diſcretam, & interpolatam. Prima eſſe non poteſt, ubi mors etiàm pro modico tempore intercedit, ut per ſe patet; nam mors eo ipſo, quo interponitur, tollit continuam ſucceſsionem, ſive interruptam durationem, ut ex ipſis Speculatoris verbis nuper allatis. Secunda verò benè poteſt conſiſtere, etiam ubi mors intercedit; nam corpus vi-

vum

vum sibi ipsi mortuo succedit per resurrectionem, sive reformationem: idem enim corpus est, quod primò vivit, & quod post mortem resurgit. His notatis.

Sit conclusio. Is est verus, ac propriè ordo Fratrum Minorum, ac S. Francisci apud Deum, qui cum legitima Prælatorum institutione conjunctam habet plenam, atque perfectam, juxta Seraphici Patris intentionem, & institutionem, Regulæ observantiam, cujusmodi est Congregatio Capuccinorum, ut ex dictis satis, superque liquet. Dixi, in foro conscientiæ, sive apud Deum: quidquid sit enim in foro externo, cùm Capuccini non multùm curaverint à principio, quid essent apud homines, maximè verò quid apud Deum; ut patet ex ipso dubio, in modum casus conscientiæ, circa legitimam ordinis successionem Christo proposito, & ab eodem tam præclarè resoluto: nec ego curo, sive Speculator reos illos in foro externo efficiat, sive non; sufficit dum mihi concedat, tam primos Capuccinos, quàm reliquos omnes, aqud Deum fuisse, & esse illius primi Regulæ præcepti observatores: hinc enim clarissimè sequitur, Congregationem Capuccinorum esse verum S. Francisci, ac Fratrum Minorum ordinem, etiam per legitimam ejusdem ordinis, ac Prælatorum successionem; ac item Generalem eorundē Capuccinorum Ministrum fuisse, & esse apud Deum, & in foro conscientiæ, legitimum S. Francisci successorem: Atque adeò non posse, aut debere Speculatorem falsitatis taxare Boverium, eò, quòd suæ Congregationi illum tribuerit titulum, nempe Fratrum Minorum, aut S. Francisci, quem idemmet tribuit Christus, ac geminus Christi Vicarius, Paulus V. nimirum, & Vrbanus VIII. non

minùs clarè, quàm Leo X. adſcripſerit RR. Patribus de Obſervantia: Ac inſuper œcumenicum univerſalis Eccleſię Concilium, Tridentinum nempe, tot nominibus celebre, cujus Concilij Decretum utique non minoris eſt auctoritatis, quàm Decretum ſacræ Congregationis. Et mirum planè eſt, quomodo Speculator ejuſmodi Decretum declarare, aut gloſſare auſus ſit, indicans de ordine impropriè, non autem ſecundùm verbi proprietatem eſſe intelligendum: id enim ſonant ipſius verba fol. 37. ibi: *& ex ea parte eos B. P. N. Franciſci filios, ac fratres noſtros agnoſco, & diligo, prout à Paulo V. Vrbano VIII. & Concilio Tridentino, Fratres Ordinis Minorum, filij S. Franciſci agniti, & vocati ſunt*: Quæ referuntur utique ad diſtinctionem illam ordinis in ordinem propriè, & impropriè ab eodem Speculatore ſuperiùs inſinuatam: quæ quidem interpretatio ex eo ſolùm capite cenſeri poteſt inepta, quo verbum à ſua proprietate extorquet, contra omnes regulas juris, quibus cavetur, verba ſecundùm proprietatem eſſe accipienda, non autem improprianda. Et quod quidem ad Concilij Decretum ſpectat, cùm prohibitum ſit, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna interpretationes, ſive gloſſas quocumque modo abſque Pontificis auctoritate edere: mirandum utique eſt, quomodo Speculator talem gloſſam, aut interpretationem, maximè impropriando verba, apponere non dubitârit. Redeundo itaque ad noſtram aſſertionem, eam rursùs adversùs Speculatorem hocce validiſſimo planè, ut credimus, argumento confirmamus, ſicut Leo Pont. Max. in ſuis Bullis, ac Eminentiſſimi Patres in ſuo Decreto RR. Patres de Obſervantia Fratres Ordinis Minorum, ac Sancti Franciſci nuncupant: ita Paulus V.

Vrbanus

Vrbanus VIII. ac universi Tridentinæ Synodi Patres vocant absque ulla distinctione Capuccinos : ergò si valet argumentum Speculatoris ex Bullis Leonis, &c. sumptum, prout validissimum esse Speculator potissimum q. 1. contendit : Cur non valebit argumentum pro nobis à Bullis Pauli, & Vrbani, ac unius generalis Concilij Decreto deductum? Aut fortaßè licebit Speculatori glossare Bullas, ac Concilij Decretũ, verba impropriando, affirmandoque Bullas, ac Concilium loqui de ordine impropriè; & non licebit nobis potiùs easdem Bullas, & Concilium secundùm verbi proprietatem, & ut sonant, accipere ? aut denique non potiùs integrum erit Bullas Leonis, ac Decretum Congregationis interpretari, quod loquantur in foro externo ? cùm in hac interpretatione & nulla fiat verbi impropriatio, quæ maximè in interpretationibus faciendis cavenda est, ac prætereà eandem Christus insinuârit, distinguens inter forum conscientiæ, & externum, illis verbis: *Disce veram apud me*, &c. presertim cùm (ut etiam arguamus ad hominem) idemmet Speculator non semel, sed & secundò eandem partitionem indigitârit, inquiens uno loco, se nescire, quomodo, saltem in foro externo, excusari possint primi Capuccinorum Reformatores : altero verò, ordinem Observantium tamdiu præsumi in suo jure permanere, quamdiu non fuerit probatum contrarium. Verùm ad lites cavendas, & ob reverentiam RR. Patrum de Observantia taceo, ac silentio committo ea omnia, quæ ad titulum hunc contentiosè disputandum spectant; relinquoque Patres in eo titulo, qui illis de jure, sive apud Deum, sive apud homines competit : quia non est mei instituti (sicut neque puto fuisse Boverij, excludere

Patres Obſervantiæ à titulo, vel nomine ordinis Fratrum Minorum, ſive probare, Congregationem Patrum de Obſervantia non eſſe verè, & propriè ordinem FF. Minorum) atqui ſolùm oſtendere, inſtitutum Capuccinorum verè, & propriè eſſe ordinem Fratrum Minorum, adversùs Speculatorem, id expreſsè negantem.

Reſpondetur tandem argumentis Speculatoris.

PEractis jam quæſtionibus, veritateque ad claritatem, medio argumentorum lumine, redactâ, ſupereſt tantummodò, ut Speculatoris objectionibus reſpondeamus; ad quod faciendum gemina nos cauſa impellit: Philoſophica una; nam juxta Philoſophi monitum, prætendenti aliquam tueri propoſitionem, incumbit eandem non modò validis communire rationibus; verùm etiam ab adverſariorum, expreſſis præſertim, vendicare objectionibus: Moralis altera; eſt enim morale, ut omni proponenti, & quaſi interroganti detur reſponſum; quemadmodum, teſte D. Ambroſio, morale eſt omnibus fidem exigentibus, ut fidem adſtruant. Itaque interrogatus, ſive interpellatus, geminâ neceſſitate, phyſicâ nimirum, & morali reſpondere compellitur. Libet autem cuilibet trifariè ad interrogata præbere reſponſum; Aut ſcilicet directè objectiones diluendo, & hic eſt communis, & uſitatus, præſertim in ſcholis, occurrendi objectis modus. Secundò indirectè, quomodo Chriſtus ſemel Phariſæis, in hæc verba interrogantibus: *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum.* Tale legitur attuliſſe reſponſum: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei*

propter

propter traditiones vestras. Vbi pulchrè S. Hieronymus talia, annotando, adjecit: *Falsam calumniam verâ responsione confutat.* Tertiò item indirectè, quo pacto idemmet Christus quibusdam ab eo petentibus, in qua potestate faceret, quæ gerebat; respondit: *Interrogabo & ego vos unum sermonem, respondete mihi*, &c. Cùm igitur Speculator suis nos objectionibus, aut argumentis, sæpiùs interpellârit, ex hoc ipso ad ferendum responsum compulit: Vnde sibi, aut suis displicere non debet, quod interpellati respondeamus.

Ad primum itaque argumentum, ubi dicebatur, Congregationem Capuccinorum non esse verum, ac propriè S. Francisci, aut Fratrum Minorum ordinem, eorumdemque reformationem prætensam, non veram: Quia nimirùm per Capuccinos antiquus Religionis ordo non fuit reparatus, atqui novus institutus. Respondetur absolutè per interemptionem, negando nimirùm per Capuccinos antiquum Fratrum Minorum ordinem non esse reparatum, accipiendo antiquum modò, aliàs in propria quæstione explicando. Quod adeò verum est, ut contraria sit propositio scandalosa; ut quidam confessus est, qui propterea nunquam à Speculatore fuisse assertum aiebat, Congregationem Capuccinorum non esse veram reformationem ordinis Fratrum Minorum, ac S. P. Francisci absolutè: solùm autem respectu ordinis Patrum de Observantia; quia ordo Patrum de Observantia per Capuccinos reformatus minimè fuit: Cæterùm Speculatoris mens in hoc proposito ita est evidens, & expressa, ut tergiversationi locus esse non possit: Nam quo pacto reformatio Capuccinorum est reformatio ordinis Fratrum Minorum, & non ordinis

Patrum de Obſervantia, ſi ordo Patrum de Obſervantia eſt ordo FF. Minorum, & ordo Fratrum Minorum eſt ordo Patrum de Obſervantia. (loquor ad hominem) Et iterùm, quomodo per reformationem Capuccinorum eſt reparatus ordo antiquus Fratrum Minorum, ſi ordo antiquus per continuam, & nunquam interruptam ſucceſſionem eſt ordo Patrum de Obſervantia, qui ita ſuccedit, ut Capuccinis locum ſuccedendi non relinquat: ſi ergò per Capuccinos reformatus eſt antiquus Fratrum Minorum ordo, ipſorum Congregatio utique eſt verus, & propriè ordo Fratrum Minorum, & eorum reformatio non tantùm prætenſa, ſed & vera eſſe evincitur. Verumenimverò, ut alias etiam adverti, omnia ferè argumenta ad hoc unum rediguntur, quod ſcilicet unus ſit Fratrum Minorum ordo unitate ſucceſſivâ, in quantum ordini antiquo novus ſuccedit, ſive pars ſubſequens parti præcedenti: in qua quidem ſucceſſione ultima ſemper conjungitur primæ per medias. Vnde Speculator ubique ſemper fuit intentus ad probandam minorem ſuarum rationum: Quod ſcilicet ſuperſtite Obſervantium ordine, Capuccinis ſuccedendi locus eſſe non poſſit: ac pro tanto Congregationem Capuccinorum non eſſe, imò nec poſſe eſſe antiqui reformationem, ſed potiùs deſtructionem, ac novi prorsùs conſtructionem.

Ad hoc igitur, in quo verè tota argumentorum vis pendet, Reſpondere poſſem primò negando majorem, prout à multis, & ſapientiſſimis viris, tam intrà, quàm extrà Religionem, negari optimè ſcio, nempe non unum tantùm, ſed plures pro temporum varietate poſſe eſſe in Seraphica Religione Generales

rales Miniſtros, ſimulque omnes legitimos S. Franciſci ſucceſſores, accedente præſertim ſummi Pontificis, non tam Regulam in hoc diſpenſantis, quàm germanè interpretantis, beneplacito. Verùm, quia urget nos Speculator unum tantùm, ex regula, totius ordinis Generalem Miniſtrum, & legitimum S. Franciſci ſucceſſorem eſſe poſſe, & debere: Reſpondeo ſecundò, directè concedendo majorem, non poſſe ſcilicet unum ſuccedere, quamdiu alter ſuperſtes eſt, ſive mortuus, & defunctus non eſt; negando verò pro nunc minorem, in quantum Speculator ex illa minori, & majori talem geſtit elicere concluſionem: ergò ordo Capuccinorum non ſucceſſit, ſed nec ſuccedere potuit. Dixi, in quantum Speculator talem contrà Capuccinorum ordinem voluit inferre concluſionem: ſi enim ſimpliciter de ſuo ordine pronunciaret, quod ſemper ſuperſtes fuit, &c. nemo ei contradicere vellet; verùm, quia ſe ulteriùs extendit, & talem ex illa majore, & minore infert concluſionem: ergò ordo Capuccinorum minimè ſuccedere poteſt: Ideò reſpondere compulſus, conceſſâ majore, nego abſolutè minorem, ordinem ſcilicet tunc temporis fuiſſe ſuperſtitem, & non potiùs languidum, ac pænè mortuum (ut verbis Leonis utar) ad quem vivificandum Capuccinorum cœtus à Deo immiſſus eſt.

Ad tertium Reſpondetur eodem modo, negando abſolutè Congregationem Capuccinorum non profuiſſe antiquo ordini, accipiendo antiquum, prout in propoſito accipi debet. Quod verò non profuerit ordini Patrum de Obſervantia, eadem ratio eſt, ob quam ordo Obſervantium, in ſui reformatione, non profuit ordini Conventualium: Quia nimirùm in

viam reformationis abire noluerunt: quod patet; nam multis ex ordine obſervantium ad Capuccinos, zelo purioris obſervantiæ, convolantibus, Capuccinorum reformatio multum quidem per omnem modum prodeſſe potuit, ac profuit: Quod autem additur à Speculatore, Capuccinorum reformationem potiùs fuiſſe antiqui ordinis deſtructionem, quàm reparationem, ex ſe ipſo corruit: Non enim Reformatio Capuccinorum deſtruxit, aut deſtruere potuit ordinem etiam Patrum de Obſervantia, ſed magis deformatio; nam deformatio verè deſtructio eſt; &, ut loquitur Speculator, ad deteriorem formam reductio: Reformatio porrò eſt formaliter nova conſtructio, &, ut Speculator ait, ad meliorem formam reductio: Reformatio ergò Capuccinorum nullâ prorsùs ratione dici, aut cenſeri poteſt deſtructio, neque antiqui ordinis Fratrum Minorum, neque etiam ipſorum Patrum de Obſervantia, niſi fortè per accidens, in quantum unius conſtructio, eſt alterius deſtructio.

Ad illud, quod dicebatur, omnem reformationem extrà ordinem, eidem obeſſe potiùs, quàm prodeſſe: Reſpondetur, negando abſolutè minorem, reformationem nempe Capuccinorum extrà antiquum Fratrum Minorum ordinem eſſe factam (eſto fortaſsè quis extrà ordinem Patrum de Obſervantia inductam eſſe prætenderet) quod ſic oſtendo, atque declaro: Omnis pars entis ſucceſſivi ſuo modo eſt in toto, non extrà totum, licet omnis pars ejuſmodi ſit extrà partem, ut patet ex Philoſophia: Quia ergò Congregatio Capuccinorum eſt pars, quæ unitur alteri parti, id eſt, ordini antiquo: Ideò non magis poteſt dici eſſe extrà ordinem, quàm pars tempo-

temporis præſentis extrà totum tempus: Quia nimirùm, ut dixi, omne totum ſuo modo includit ſuas partes: Aliter tamen totum permanens, aliter totum ſucceſſivum. Itaque Congregatio Capuccinorum eſt in ordine, & extrà ordinem: In ordine reſpectu totius, quia pars eſt in toto; extrà ordinem reſpectu aliarum partium, quia pars eſt extrà partem.

Dices non poſſe partem entis ſucceſſivi eſſe in toto, niſi conjungatur ipſi toto; ſed Congregatio Capuccinorum non eſt unita toti: ergò. minor probatur. Non poteſt pars ultima uniri primæ, niſi aut mediatè, aut immediatè; ſed Congregatio Capuccinorum eſt pars ultima, quæ utique non conjungitur primæ immediatè. Hoc eſt clariſſimum; quia inter primum ordinem ſub Patre S. Franciſco uſque ad Capuccinos mediarunt Conventuales, &c. Quod verò neque mediatè, videtur, quia non unitur, medio ordine Patrum de Obſervantia, in quo linea recta ex Leonis Decreto vocata eſt: ergò verè Congregatio Capuccinorum non conjungitur ordini antiquo Fratrum Minorum; quia neque immediatè, neque mediatè: ergò omninò eſt extrà ordinem, etiam reſpectu totius, non in ordine. Reſpondeo, ordinem Capuccinorum tanquam partem ultimam totius ordinis Fratrum Minorum uniri primæ, medijs illis, in quibus prima Reformationis fundamenta poſita ſunt: Nam primi Reformatores, qui alij fuêre quam ipſimet Patres de Obſervantia, qui abſque ulla nova profeſſione, ſolâ antiqui habitus aſſumptione, & primæ Regulæ profeſſione dicti ſunt Capuccini, ſive Fratres Minores S. Franciſci vitæ ereniticæ: Quomodo ergò dici poteſt, iſtos eſſe novi ordinis inſtitutores; ſi jam erant Fratres Minores ordinis Obſervantium;

nec ad alium utique ordinem tranſierunt, atqui ſolùm antiquum habitum aſſumpſerunt, & primæ Regulæ obſervantiam renovârunt: Et accedente ſummi Pontificis beneplacito, ſe ad alia loca receperunt; ac ſubinde ad continuandam lineam, atque legitimam ordinis ſucceſſionem, ipſo Pontifice Clemente VII. annuente, vocati ſunt. Si inſtet, prout verè inſtat Speculator, ſuperſtite ordine RR. Patrum de Obſervantia ad lineam genealogiæ, & ſucceſſionem continuandam, Capuccinis locum nullatenùs relinqui. Reſpondeo, nos adhuc ad primum revocari reſponſum, ut propterea veriſſimum ſit, omnia tandem argumenta ad hoc unum redigi: Quod nimirùm duobus ſimul ſuccedendi jus competere minimè poſſit: Quare omninò excludendi ſunt Capuccini: Quia impoſſibile eſt, unum ſuccedere alteri, eo adhuc ſuperſtite, ac proinde locum minimè cedente. Vt igitur tandem clariſſimè ejuſmodi objectionem tollamus, omiſſâ directâ reſponſione, utpotè jam nuper allatâ, Reſpondemus indirectè, in ipſum Speculatorem retorquendo argumentum hoc modo: Non poteſt ſuccedere quis prædeceſſori, niſi eo defuncto, vel mortuo: ubi enim ſucceſſio eſt, ibi mors intercedat prædeceſſoris neceſſarium eſt. Hæc eſt major, in qua convenimus omnes: ego verò addo minorem ſic: Sed Capuccini ſucceſſerunt B. P. Franciſco, &c. ut jam probatum eſt: ergò ordo Patrum de Obſervantia, quo tempore Capuccinorum Congregatio exorta eſt, ſuperſtes non erat, ſed mortuus, ac defunctus. Et ita minor argumenti Speculatoris, quæ erat hujuſmodi: ſed ordo Obſervantium ſuperſtes erat, indirectè ex vi noſtri argumenti eliditur: Cumque verè ex illo antecedente, ſive majore,

duplex,

duplex iſta minor poſſit inferri: ſed ordo Patrum de Obſervantia ſuperſtes eſt, prima; ordo Capuccinorum ſucceſsit, ſecunda; Speculator, ut Capuccinos excludat à ſucceſsione, illi majori talem addit minorem: ſed ordo Obſervantium ſuperſtes eſt, quam tamen non probat: Nos verò addimus iſtam, quam etjam probamus: Sed Congregatio Capuccinorum ſucceſsit; atque ita tandem clariùs nos inferimus concluſionem: ergò ordo Obſervantium ſuperſtes non erat: Et ſic indirectè negamus ejuſdem Speculatoris minorem: nam ita impoſsibile eſt ſuperſtitem eſſe prædeceſſorē, ubi jam alius advenit ſucceſſor; ſicut impoſsibile eſt ſuperſtite prædeceſſore locum eſſe ſucceſſori: Atque hinc patet falſum eſſe, quod tam Speculator, quàm Faber, ajebat, Reformationem ſcilicet Capuccinorum contrà diſpoſitionem Bullæ Leonis eſſe exortam; Nam, ut patet, in ipſo antiquo Fratrum Minorum ordine, non extrà hujuſmodi ordinem inſtituta eſt. Quod ſi ipſis concederemus extrà ordinem Obſervantium eſſe inductam, adhuc tamen adderemus, ex hac ipſa ratione clariſsimè inferri, nullatenùs contrà prædictæ Bullæ diſpoſitionem eſſe promotam: ſiquidem Bulla prohibet fieri reformationes in ordine abſq; licentia: nō autem prohibet fieri extrà ordinem, ex ſummi Pontificis præſertim conſenſu: Tantum ergò abeſt in data hypotheſi Congregationem Capuccinorum contrà Bullæ diſpoſitionem eſſe inductam, ut imò eo ipſo, quo extrà ordinem facta eſſe perhibetur, non poſsit contrà Bullæ diſpoſitionem promota cenſeri.

Ad argumentum ex Bulla Leonis, & ſacræ Congregationis Decreto ſumptum, Reſpondetur, quantum ad Decretum, nil in eo contineri contrà nos, ſed ut ſummum, contrà Patres

Conventuales, & adhuc ibi non esse disputatum de aliqua re, sed de solo titulo, & sigillo, cum inscriptione Ministri totius ordinis, &c. Ac proinde libentissimè concedimus, quod ordini à sacra Congregatione adiudicatum fuit: fuit autem adiudicatus simpliciter titulus absque ulla re: Per hoc enim nulla quæsita fuit Generali Patrum de Observantia in Capuccinos nedum, sed neque in ipsos Conventuales potestas, aut jurisdictio: de quo plura in quæstione. Quantum verò ad Bullam Leonis spectat, non putamus molestè laturum Speculatorem, si ipsius verbis, & doctrinâ ad hanc objectionem elidendam utamur: Cujus rei gratiâ adducenda sunt in primis verba Bullæ Leonis, quæ talia sunt apud ipsum Speculatorem pag. 27. *Adiudicato sigillo ordinis Generali Ministro ordinis Observantium, tanquam legitimo B. Francisci successori.* Sisto hîc, & mente revolvo terminum illum, tanquam, petoque à Speculatore, quid sibi velut terminus ille, *tanquam*, utrùm videlicet eundem propriè, & secundùm veritatem, an impropriè, & per similitudinem accipere velit; utroque enim modo, tum apud Grammaticos, tum maximè apud Scripturales, & Iuristas accipi potest; sicut & terminus, *quasi*, *dictio*, *tanquam*, *est nota improprietatis, & similitudinis; aliquando tamen denotat similitudinem, & veritatis expreßionem*, ait Gratus de Dictionibus, hâc dictione, *tanquam*: Quocumque enim modo præfatam dictionem in proposito ipse accipiat, argumentum contrà ipsum retorquetur: si enim impropriè, & secundùm similitudinem tantùm; ergò cùm adiudicatum fuerit sigillum à Leone Generali ordinis Observantium, tanquam legitimo, &c. ergò, inquam, ex vi Bullæ Leonis, Generalis Observantium non fuit verè, atqui solùm

per

per similitudinem, & præsumptionem B. Francisci successor: Sin autem velit accipi, ut dicit veritatis expressionem, prout planè accipit, & intelligit: ergò, cùm verba Christi Domini in revelatione Fratri Ioanni à Metimna eundem terminum habeant; non video, quomodo Speculator negare valeat, Generalem Capuccinorum ab ipsis electum esse verè Generalem, ac legitimum B. Francisci successorem, nisi in quantum eundem terminum in eodem proposito, ubi pro se, & suis contra Conventuales loquitur, uno modo: ubi verò pro Capuccinis contra Observantes, alio accipiendum velit; quod an sit cæcutire, prout ipse de Boverio loquitur pag. 109. nimio rerum suarum amore; alijs considerandum relinquo. Interim tamen ipsius formalia verba ob oculos legentis ponenda existimavi. Pauca hæc (inquit fol. 102.) *Pauca hæc solùm ad rem faciunt, & à Christo dicta credi possunt: Caput habeant divinâ meâ providentiâ constitutum, Apostolicâque Romani Pontificis Vicarij mei potestate electum, eidem tanquam legitimo B. P. Francisci successori parere debent: Quo fit, ut frustrà alios successores quærant, inanique seipsos timore sollicitent. Vbi tamen hoc notandum est, non dici caput sic constitutum, & electum esse successorem, sed tanquam tali parendum esse illi, quem divina providentia, & Sedes Apostolica in caput præfecit*: hæc ille, qui sic in verbis Christi explicare potuit, ac debuit terminum, *tanquam*, sicut eundem intelligere voluit in verbis ab eodem ex Leone allatis: Cur autem id non egerit, judicet, qui omnis passionis expers existit.

Neque quod hactenùs de successione per quandam interruptionem, ex observantiæ defectu provenientem, asseruimus, aut excellentiæ Seraphicæ Religionis, aut promissioni

Seraphico Patri factæ, quod ſcilicet nunquam ordo deficeret, repugnare cenſendum eſt. Non excellentiæ, tum quia, ut ſuperiùs tetigimus: imò potiùs ipſa Religionis excellentia nos docet, Religionem faciliùs ab illo puriſſimo ſtatu, in quo à Seraphico Patre formata eſt, per deformationes poſſe deficere, ac re ipſâ non ſemel, ſed pluries etiam defeciſſe. Non Chriſti promiſſioni, ſi ea rectè intelligatur: neque enim Chriſtus promiſit Seraphico Patri, ordinem ſuum nunquam per deformationes, ſive à pura Regulæ obſervantia in communi, aut in genere receſſum, non debere deficere; atqui ſolùm promiſit, ordinem nunquam ſic in toto fore deformandum, quin ſemper non exiſterent, qui ſuæ profeſsioni ſatisfacerent, & Regulam purè, & ad litteram obſervarent, ac etiam pro ipſius obſervantia zelarent; ut loquitur Speculator pag. 26. circa finem; licet paulò antè aliter ejuſmodi promiſsionem accipere viſus eſt: Sed ad cavendam contradictionem, præcedentia cum ſequentibus ſunt concordanda. Quod ergò ait, totum ordinis corpus nunquam defeciſſe, ſi eâ ratione intelligat: quia ſemper in Religione, & ordine extiterunt, & erunt aliqui Regulam juxtà mentem S. P. Franciſci ſervantes, &c. libentiſsimè, & abſque ulla contradictione admittimus. Atque in hoc pariter ſenſu Chriſti promiſsionem veriſsimam credimus. At verò unus, aut alter Religioſus, imò neque centum, aut mille ordinem faciunt: Neque ipſa Regulæ obſervantia ab aliquibus inconcuſsè cuſtodita efficit, ordinem eſſe reformatum: ſicut neque plures Regulam inobſervantes faciunt ordinem eſſe deformatum. Aliud eſt enim intra ordinem deformatum aliquos reformatè vivere

vivere, quod pertinet potiùs ad reformationem particularem uniuſcujuſque, quoad vitam, & mores, de qua reformatione loquitur idem Speculator q. 10.pag.84. ubi ſic ait: *Quæro quidnam illud fuerit, quod prætenſæ hujus Reformationis Auctores reformare voluerunt? ſi reſpondeatur, quod ſe ipſos tantùm, ad hoc non erat opus tot Bullis*, &c. Et mox: *Si verò ſuum ordinem*, &c. ubi vides aliam eſſe reformationem ſui ipſius, quæ in actuali obſervantia conſiſtit: quæ quidem, ex eodem ibidem, poteſt haberi in ordine etiam deformato: Aliud eſſe reformare ordinem, ſive ordinem eſſe reformatum. Quod ut clariùs percipias, attendamus ejuſmodi in aliqua ordinis parte, putà in uno Conventu. Quis quæſo dicet, Conventum eſſe reformatum, quia unus Frater illius Conventus, reformatè vivit? Aut vice verſâ: Quis dicet Conventum eſſe deformatum, quia unus Frater illius Conventus deformatè vivit? Nullus planè. Quod ſi Speculator concedat, obijciam eidem, etiam ordinẽ RR. Patrum Conventualium nunquam defeciſſe, neq; etiam nunc deficere, quia vix credi poteſt intrà totum ordinem PP. Conventualium (& ego planè non credo) non ſemper fuiſſe, & adhuc etiam eſſe plures, qui Regulam ſecundùm ſuam puritatẽ ad litteram ſervent. Quod ſi ordo RR. PP. Conventualium nunquam defecit in toto, quomodo legitimè Prælatorum primatus, & poteſtas ad Obſervantes tranſijt per ſucceſsionem? hoc impoſsibile eſſe probat illud Speculatoris pag. 102. argumentum, quo probare intendit, non potuiſſe per ſucceſsionem ordinem ab Obſervantibus ad Capuccinos tranſire: Quia nimirùm non poteſt unus ſuccedere, quamdiu is, cui legitimè ſuccedi debet, eſt ſuperſtes, & manet in poſſeſsione

illius

illius rei, in qua ſuccedendum eſt, & quam non niſi unus ſolus obtinere poteſt. Neceſſariò ergo fatendum eſt, ordinem aliquando in toto fuiſſe deformatum, licet etiam ſemper intra ordinem aliqui Regulam obſervantes extiterint: Quod adeò verum eſt, ut nemo jure negare queat, quin ſimul inficietur, quæ in hanc rem Leo X. in ſua Bulla: *Ite & vos* ſcripta reliquit, *ad hanc vineam ſacram, nimirum Fratrum Minorum Religionem, excolendam, primo manè oriente iam Sole miſit Deus B. Franciſcum, qui comitantibus miræ ſanctitatis viris prima huiuſce vineæ fundamenta iecêre: his ſucceſſerunt viri Religioſi, qui duce B. Bonaventurâ muros huius vineæ, iam vtrimque ruinam minantes, repararunt.* Et paucis interiectis hæc alia ſubdit: *horâ verò nonâ ſurgentibus in dies malis, & ſcandaloſis huius vineæ agricolis, ſuſcitavit Dominus ſpiritum adoleſcentis, paucorum videlicet Fratrum, qui, B. Bernardino ductore, languentem, imò penè mortuum per orbem univerſum ordinem vivificarunt.* Hactenus Leo, tam clarè, ut nullus ſubſit tergiverſationi locus: valdè enim inter ſe diverſa ſunt, ordinem per orbem univerſum fuiſſe languentem, imò penè mortuum, ut clariſſimè Pont. Max. aſſeverat, &, nunquam totum ordinis corpus abuſus aliquos contra Regulæ puritatem, aut approbaſſe, aut admiſiſſe, ſive totum ordinis corpus nunquam à pura obſervantia defeciſſe, ut Speculator loquitur. qui tamen & ipſe, vi veritatis compulſus, tandem pag. 113. Religionis corpus per inobſervantiam ferè emortuum fuiſſe confeſſus eſt. Cur autem non ſimpliciter mortuum, ſed ferè mortuum appellet, eam eſſe rationem exiſtimo, quia nunquam ita in toto Religionis corpus defecerat, quin ſemper aliqui extiterint, qui, Deo curam agente, corpus ad priſtinam diſciplinæ cenſuram revocare ſtuduerint:

Quo

Quo etiam ſenſu penè emortuum Leo in ſua Bulla nuncupat: Quod tamen adhuc verè fuerit mortuum ſatis indicant verba Bullæ præfatæ, ſi benè perpenſa ſint, quæ ſic habent: *Imò penè mortuum ordinem vivificarunt*: Si enim mortuum non fuiſſet, utique vivificari non eguiſſet. Quare non contradicit, aut promiſsioni à Chriſto Seraphico Patri factæ, aut determinationi ejuſdem Leonis in altera Bulla incipiente: *Licet aliàs.* aientis Fratres de Obſervantia, & Reformatos veros, & indubitatos Fratres ordinis B. Franciſci, & ejus Regulæ obſervatores ſemper fuiſſe, ac divinâ favente gratiâ futuros eſſe, ſine aliqua interruptione, &c. non enim Leo hîc negare intendit, ordinem etiam univerſum, hoc eſt, non in una provincia, aut orbis parte, atqui in omnibus ejuſdem orbis partibus, ac provincijs nunquam fuiſſe deformatum; nam ſibi ipſi jam contradiceret: Vult ergò dicere ipſos Patres de Obſervantia, quamdiu fuêre reformati, fuiſſe ſemper & S. P. Franciſci Fratres, & ejus Regulæ obſervatores, contrà eos, Conventuales nempe, qui de Obſervantibus, & Reformatis ita, contraria jactabant, ſicut poſteà jactarunt ipſi Obſervantes de Capuccinis. Neque, quod ſubdit, tales ſemper divinâ favente gratiâ futuros importat diffinitionem certam, ſed bonam, & probabilem ſpem. Legantur, quæ habentur in Chronicis part. 1. lib. 2. cap. 27. 28. & 29. ubi de tribulationibus, & relaxationibus ordinis, præſertim in explicatione illius mirabilis ſtatuæ: Ex quibus facilè perſpicietur, ipſum quidem ordinem fuiſſe deformandum, & reformandum: ita tamen, ut ſemper intrà ordinem exiſterent, qui Regulam obſervarent:

quam in rem mira ſunt, & magnâ utique conſideratione digna, quæ habentur apud R. P. Bonitum fol. 29. ubi enim præmiſit, ordinem Capuccinorum eſſe cæterorum omnium, quoad puræ Regulæ obſervantiam, excellentiſſimum: hæc mox prudentiſſimè adijcit: *Dixi (generaliter loquendo) quia non dubito, quin aliqui, imò, & multi ſint Zelotes, & ſancti Fratres in alijs ejuſdem ordinis congregationibus, qui Regulam æquè benè, vel forſan meliùs obſervent, quàm aliqui, aut etiam plurimi Capuccini; non verò in genere: quia ſic Capuccinorum Congregatio univerſos alios ordines ſuperexcellit.* Infrà etiam fol. videlicet 62. quaſi declarans privilegium, ſive benedictionem Seraphico Patri, quantum ad obſervantiæ indeficientiam promiſſam, hæc alia ſcribit: *Hanc habet præclarus Ordo Seraphicus à Deo benedictionem, quod nunquam defecerint in eo veri Iſraelitæ, Regulæ ſanctæ zelatores, qui diſſolutionibus, & relaxationibus pro domo Dei ſe opponerent.* Ex his ergò patet evidentiſſimè, aliud eſſe, aliquos in ordine deformato reformatè vivere, ſive Regulam purè obſervare, quod ex ſpeciali Dei gratia fuit Seraphico Patri à Deo promiſſum: Aliud, ipſum ordinem ſemper in pura obſervantia illæſum permanſiſſe.

Et quidem ad hominem probare libet, ordinem Seraphicum interdum à pura Regulæ obſervantia in genere, modo ſuperiùs explicato, defeciſſe: Nam id in primis ſupponunt diverſæ in ordine pro temporum varietate reformationes exortæ, ut videre eſt in Speculatore toto §. 1. & de Reformationibus in ipſo ordine circà tempus exortæ Capuccinorum Reformationis idem Speculator q. 6. ſub tit. *An Obſervantium Ordo aliquâ reformatione indiguerit, & quid circà hoc Leo X. Pontifex diſpoſuerit.* Quare idem Speculator ordinem Seraphici Patris Franciſci in tantum

unum

unum ſemper per continuam ſucceſſionem permanſiſſe aſſeverat, in quantum eſt inſtar corporis cujuſdam infantis, quod à die nativitatis uſque ad finem vitæ idem moraliter eſſe cenſetur, licet humidum radicale, & membra partialiter mutentur, nutriantur, infirmentur, &c. Quamobrem re, ut par eſt, ritè perpensâ, tota hæc controverſia eſt de nomine, non de re: Nam quod Boverius mortem appellat, inquiens, corpus Religionis à tempore exortæ Capuccinorum reformationis fuiſſe mortuum, ob defectum puræ obſervantiæ, quæ in ordine in communi dilapſa erat, hanc idem Speculator non mortem; quia fortaſsè mortis nomen horret; ſed potiùs corporis infirmitatem appellare voluit. Cæterùm, ſi obſervantia non ſolùm eſt corporis religioſi ſanitas, ſed etiam ipſa formaliter vita, ſine qua Corpus Religionis mortuum eſt; ut expreſſiſſimè idem Speculator verbis illis ſæpiùs allatis teſtatur: *Fatemur*, inquit, *Sine Regulæ obſervantia, ſine qua corpus Religionis mortuum eſſet, non benè poſſe conſiſtere ſucceſſionem, & durationem Religionis, ſicut ſine anima idem hominis corpus durare non poteſt.* Non video, quâ ratione admittere nolit, corpus Religionis interdum fuiſſe mortuum, cùm abſque difficultate idem fuiſſe infirmum aſſeveret, niſi quia magis diſplicet nomen mortis, quàm infirmitatis: Quæ duo nomina tamen in re noſtra pro eodem accipiuntur. Nam hîc utique ſermo eſt de infirmitate, & morte ſpirituali, non naturali: Quod eſt valdè notandum: Nam quantum ad mortem naturalē ſpectat, quod mortuum eſt, nullo modo poteſt cenſeri infirmū; & quod eſt infirmum, nondum dici poteſt mortuū. Vnde mors, & infirmitas in naturalibus opponuntur, ſicut mors, & vita: At loquendo de morte,

& infirmitate ſpirituali, interdum appellatur nomine mortui, interdùm verò infirmi, quod extrà Dei gratiam eſt: unde anima in ſtatu peccati interdùm mortua, interdùm verò appellatur infirma; ut ex centum, ac mille Scripturæ locis comprobari poteſt: unde & Sacramenta medicinæ ad ſanandas animæ ægritudines, pariter & ad ſuſcitandas eaſdem animas paſſim nuncupantur. Ratio verò ea afferri poteſt: quia homo, quamdiu eſt in ſtatu viæ, poteſt ad Dei gratiam redire, perinde, ac infirmus ad ſanitatem. Vnde etiam diſtingui ſolet duplex mors animæ, temporalis una, alia æterna; hæc autem ſolùm propriè mors animæ, cùm illa tam mortis, quàm infirmitatis nomine cenſeatur. Suppoſitis ergò reformationibus, tam evidens eſt, ordinem fuiſſe deformatum, ut cenſeri poſſit per ſe notum: ubi enim pura Regulæ obſervantia viget, nulla reformatio introduci poteſt; ut optimè Faber in ſuo libello Confutationis pag. 56. *Quocircà neceſſariò inferendum eſt*, ait idem Auctor, *quod reformatio Capuccinorum fuit ſuperflua, aut obſervantia apud illos, à quibus emanavit, relaxata dicenda eſt.* Hunc autem Auctorem poterit quilibet conſulere, apud quem graviora, & uberiora pro hac veritate adſtruenda reperiet argumenta, quæ eò erunt validiora, quò prædictus pater non eſt, aut ex Capuccinis, aut ex Obſervantibus, ſed ex Minoribus Conventualibus, & quidem officio Generalis Procurator, cujuſque liber paſſim, & ubique permiſſus eſt, etiam Romæ, fuitque typis excuſus circà tempus, quo prodière in lucem Annales P. Boverij, de anno videlicet 1629. Ex quibus omnibus plus ſatis probatum puto haud longiſſimè à veritate abhorrere (quidquid dicat Speculator) quæ

de

de lapſu ordinis, ac legitima ejuſdem ordinis ſucceſſione Boverius in ſuis Annalibus ſcripta reliquit, attentâ præſertim ſummi Pontificis facultate, Capuccinis ſuam introducendi Reformationem extrà ordinem Obſervantium factâ, ut cum Speculatore loquar.

Peto itaque à Speculatore, quid intendat, cùm ait, corpus Religionis inſtar humani corporis ſemper idem manſiſſe, licet varias paſſus ſit infirmitates, ac ſanitates. Peto, inquam, an infirmitatis nomine idem accipiat, ac nomen mortis, vel potiùs diverſum. Si idem, tota, ut patet controverſia eſt de nomine. Vnde non debet conqueri de Boverio, quod uno nomine idem aſſeruerit, aut expreſſerit, quod ipſe alio: imò ipſe fateri compellitur, ordinem aliquando fuiſſe mortuum, ac per reformationes ad vitam revocatum. Sin verò infirmitatis nomen aliter accipiat. Contrà: nam in ſpiritualibus quidem infirmitas accipi poteſt etiam, ut importat deficientiam, ſive tranſgreſſionem in re modica. Vnde & peccata venialia quædam animæ ægritudines, leves nimirùm cenſentur: Atque ita etiam inobſervantiæ eorum, quæ non obligant ad culpam, ſi communiter in ordine inveniantur, ejuſdem ordinis infirmitates vocari poſſunt. Cæterùm, quantum ad hæc modica quæ ſe habent ad ordinem, ſicut accidens ad ſubſtantiam, ordo nec deformari, nec reformari perhibetur: ſed deformatio propriè eſt circa formam ſubſtantialem, ſeu ſubſtantialia, ſicut etiam reformatio: Imò nunquam ab Eccleſia, ac Summis Pontificibus facultas tribueretur novas in Ordine inducendi reformationes, niſi præcederet deformatio quoad aliqua ſubſtantialia, ut ſunt præcepta ad cul-

pam gravem obligantia : Maximè autem circà altiſſimam paupertatem, circà quam, ut plurimùm, in ordine Seraphico deformatio contingere ſolet. Quoniam autem bonum eſt ex integra cauſa : malum verò ex quacumque ; ut ordo cenſeri poſſit infirmus, ſufficit, ut inobſervantia circà unum præceptum in ordine generaliter contingat : Contigiſſe autem de facto, circà tempus exortæ Capuccinorum Congregationis, omnes hiſtoriæ, ac ipſe quoque Speculator, præſertim totâ eâ q. 6. teſtantur ; licet non tam mortuum, quàm infirmum ordinis corpus fuiſſe contendat : Sed velit, nolit, re idem eſt dicere, Corpus infirmum, ac mortuum, cum Regulæ obſervantia, etiam eodem teſte, ordinis vita exiſtat. Quod ſi nomen mortui, ubi eſt ſermo de ordine, tantoperè Speculatori diſplicet, placeat (id enim utique diſplicere non debet) quod non ſimpliciter mortuum, ut Boverius, ſed languentem, imò penè mortuum, ut Leo Pont. Max. denominare poſſimus. Denique rursùm ad hominem arguo: Aut ordo verè defecerat, aut non ? Si defecerat, habetur intentum : Si non defecerat, non eſt, cur Speculator tantoperè ſatagat vendicare ordinis Superiores, quod ejuſdem reparationi (ut Boverius aſſeverat) minimè fuerint intenti : faciliùs enim eoſdem tueri poterat, dicendo, Ideò Superiores de reparatione, ſive reformatione, haud fuiſſe ſollicitos, quia ordo minimè defecerat ; non enim eſt opus valentibus Medico, ſed malè habentibus : Si ergò ordo non defecerat, utique non erat opus Superiorum induſtriâ, ſive curâ, ut defectus, qui non erant, ſanarentur : Ipſe autem Speculator utrum-

utrumque tueri geſtit, & ordinem ſcilicet minimè fuiſſe infirmum, ſive malè habentem, & Superiores ejuſdem, morbis, ac defectibus curandis ſollicitè fuiſſe impenſos: Quod eſt dicere, ordinem non fuiſſe infirmum, ſive malè habentem, & ſimul infirmum, ſive malè habentem, ita ut ſimul Medicorum curâ, & remedio opus habuerit, & non habuerit: Quare neſcio, quâ ratione duo illa invicem utique pugnantia Speculator admittere debuerit: Ac inſuper voluerit, niſi fortaſsè, ut geminæ falſitatis Boverium arguere poſſet; ſemel, dum ordinem defeciſſe aſſeverat: Iterùm porrò, cùm Superiores reddendæ ordini ſanitatis minimè ſollicitos fuiſſe adjungit. In quo planè Speculator, dum alterum falſitatis inſimulare geſtit, ſeipſum inconſtantiæ, & falſitatis reum magis, ac magis effecit: Multò enim longiùs à vero aberrant hæc duo: Ordo minimè defecit, ſive malè habuit, & Superioribus, tanquam Medicis ad ſanitatem recuperandam, opus habuit: ſive Superiores ordinis reformationem zelarunt, foverunt, &c. Et ordo non erat deformatus: quàm iſta: Ordo erat deformatus, ſive malè habens: nec tamen fuit ex Superioribus, qui ſollicitè remedium adhiberet; quia illa duo ſunt ſibi invicem adverſa: hæc autem nequaquam. Itaque ex ipſius Speculatoris teſtimonio plus ſatis liquet, eum ordinem fuiſſe infirmum, cujus infirmitatibus curandis Superiorum induſtriam minimè defuiſſe, ex inſtituto, totâ ſcilicet q. 7. probare ſatagit: Cumque infirmitas ejuſmodi mors quædam, ſive privatio vitæ ordinis exiſtat, eo ipſo, quo concedit, ordinem fuiſſe infirmum,

mum, ex puræ Regulæ obſervantiæ defectu, pariter fateri compellitur cum Boverio, corpus Religionis verè fuiſſe mortuum. Vnde tandem arguo argumento, per omnia ad hominem contra Speculatorem ducto: Corpus Religionis ſine Regulæ obſervantia mortuum eſt: hæc major eſt expreſſa Speculatoris pag. 40. ibi: *Fatemur ergò*, &c. in ordine circa tempus exortæ Capuccinorum Reformationis irrepſerant abuſus, & inobſervantiæ, adeò ut ordo aliquâ verè indiguerit reformatione: hæc minor eſt ejuſdem totâ q. 6. unde ad tuendos ſuperiores totâ q. 7. probat, aut probare nititur ſuperiores ordinis Obſervantium inducendæ reformationi fuiſſe impenſos: ergò corpus Religionis non modò fuit infirmum, ut tu interdum loqueris; ſed etiam mortuum, ut fatur Boverius, vel ſaltem penè mortuum, ut Leo, & tu quoque affirmas: nec inficiari potes loquendo de morte, quæ ex puræ Regulæ obſervantiæ defectu proficiſcitur: Quippe cum Regulæ obſervantia ordinis ſpiritus, anima, & vita exiſtat, ut rursùm tu pag. 50. Boverio conſentiens apertiſſimè confiteris; impoſsibile eſt, corpus Religionis, ac proinde ordinem vivere, in quo puræ Regulæ obſervantia defecit, quia viveret abſque vita.

Hinc ſuaptè ingenio ſequitur, unitatem corporis Religionis Seraphicæ non poſſe aſsimilari unitati corporis infantis, quod idem eſt à principio vitæ uſque ad mortem, non obſtante ejuſdem corporis mutatione per varias infirmitates, & ſanitates: In tantum enim ejuſmodi corpus unum eſt, in quantum infirmitas quæcumque etiam maxima intenſivè, & extenſivè ſtat cum ejuſdem corporis vita: At

At verò infirmitas ſpiritualis ordinis proveniens ex Regulæ inobſervantia privat corpus vitâ; quia in ſpiritualibus idem eſt gravis infirmitas, ac mors: Ergò eo ipſo, quo ſupponitur corpus Religionis infirmum, ſupponitur pariter & mortuum: Implicat autem eſſe idem corpus vivum, ac mortuum eo modo, quo idem eſt corpus ſanum, & infirmum: Quare ſuppoſito, corpus Religionis pro aliquo tempore fuiſſe infirmum: ac proinde etiam mortuum; implicat ſemper idem fuiſſe, prout idem ſemper fuit corpus infantis. Quod idem Speculator fortaſsè non attendens, confeſſus eſt illis verbis: *Sicut idem corpus hominis ſine anima durare non poteſt: ita corpus Religionis ſine Regulæ obſervantia.* Ratio eſt, quia obſervantia eſt ipſius ordinis anima, & ſpiritus: ut igitur corpus idem moraliter cenſeri queat, omninò opus eſt, ut ſemper, & continuè cum anima junctum permaneat, eodem Speculatore teſte pag. 50. atque ita in ordine Obſervantium factum fuiſſe; nullo autem modo in Congregatione Capuccinorum, aut factum, aut fieri potuiſſe, tum ibi, tum alibi ſæpè idem Speculator contendit. Verùm ſuppoſitis varijs corporis ægritudinibus, quæ idem corpus ita afficiunt, ut verè ſpiritu, & vitâ expers efficiant, talis ſucceſſio eſt omninò impoſſibilis: Quomodo enim corpus, & animam ſimul ad ordinem continuè vivificandum unita ſemper permanſiſſe dicemus, ſi ordo ab obſervantia quæ anima ipſius eſt, defecit, vel, ſi obſervantia ab eodem per abuſus receſſit? nullâ planè ratione. Itaque ſucceſſio Eccleſiæ Minoritanæ non eſt ejuſmodi, cujuſmodi eſt ſucceſſio Eccleſiæ Romanæ, cui ſoli, ex ſpeciali Chriſti prærogativa, conceſſum eſt, ut nunquam

deficiat in fide. Quod ut adhuc evidentiùs appareat, duo præterea verbula circà promissionem illam Seraphico Patri factam, quod scilicet ipsius ordo, sive Religio nunquam deficeret, cui tantum tribuit, ac fidit Speculator, ut unicum ferè eidem fundamentum, ad probandam continuam in ordine successionem, ac inviolatam observantiam, existat, ut videre est potissimùm pag. 26. *Supposito enim* (verba ipsius) *in primis, quod corpus ordinis nunquam defecerit, quod necessariò videtur supponendum, nisi promissiones Christi Beato Francisco factas in dubium revocare velimus*, &c. Ac mox. *Hâc, inquam, ordinis perpetuitate suppositâ*, &c. Circà ergò hancce Christi promissionem, in qua tantam vim Speculator facit, duo verbula necessariò duximus adijcienda, ne ex prava ejusdem intelligentia, gravia subrepant Catholicæ fidei veritati detrimenta, eò præcipuè, quòd cum tota fabrica nitatur fundamento, eo destructo, tota ipsa fabrica ruat, necessarium est.

Nullus planè affirmabit, plus esse promissum Francisco Minoris Ecclesiæ Fundatori, ac Patri, quàm Petro Romanæ Ecclesiæ Antistiti, ac proinde omnium aliarum Ecclesiarum Parenti, ac Principi: Sed B. Petro nil plus à Christo fuit promissum, quàm ut nunquam fides ejus deficeret: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. Non fuit autem promissum Petro, aut Ecclesiæ Romanæ, ut non deficeret ejus observantia. Vnde aliqui Pontifices ab observantia lapsi sunt: imò & ipse Petrus; licet fortassè nullus sit lapsus à vera fide: sicut nunquam pariter lapsa est à vera fide Ecclesia Romana, neque unquam in posterum Deo specialiter opitulante lapsura sit: At per te Francisco, & Ecclesiæ ipsius

minori promiſſum eſt, ut nunquam deficiat à pura Regulæ obſervantia : ergò plus promiſſum eſt Franciſco, & ejus Eccleſiæ, quàm Petro, &c. Probo ultimam conſequentiam: Nam pura obſervantia neceſſariò includit fidem, quia juſtus ex fide vivit; At fides non includit obſervantiam, quia ſtat ſana fides abſque juſtitia: Itaque per te promiſſum eſt Franciſco, & ejus Eccleſiæ, ut nunquam deficiat à recta fide; ſed aut eſt hæreticum, aut hæreſi proximum, ac omnium ferè hæreſum ſcaturigo, aſſerere, alij cuicumque particulari Eccleſiæ, aut particularis Eccleſiæ Epiſcopo promiſſum eſſe, ut nunquam deficiat à fide; quia hoc eſt ſpeciale privilegium Petri, in ſignum ſupremæ poteſtatis: ergò tandem longiſsimum eſt à veritate, hoc promiſſum eſſe Franciſco, & ejus ordini, quod Speculator ſupponit. Quid autem promiſſum fuerit, nos jam ſuperiùs oſtendimus, nempe aliquos ſemper futuros in ordine, qui Regulam ad amuſsim ſervarent: Cum quo tamen ſtat, puram in ordine Regulæ obſervantiam fuiſſe dilapſam: ſicut autem ſoli Eccleſiæ Romanæ promiſſum eſt, ut nunquam deficiat à fide, ita pariter eidem ſoli promiſſum eſt, ut nunquam à legitima ſucceſsione; hæc enim ſunt invicem neceſſariò connexa: At ordo Minorum ſicut poteſt deficere in obſervantia, ita & in continua ſua ſucceſsione formali, ac reverà aliquando defecit, prout ſatis, ſuperque hactenùs probatum fuiſſe credimus: adhuc tamen hoc uno argumento rursùm ad hominem apertiſsimè oſtendo. Deformatio eſt reductio ad deteriorem formã, ut Speculator fatetur pag. 84. ſicut Reformatio ex eodem, reductio ad meliorem formam;

ſed forma ordinis eſt pura Regulæ obſervantia,ut toties idem Speculator cum Boverio teſtatur : ergò ille ordo, qui ita deformatus eſt, ut indiguerit reformatione, à pura Regulæ obſervantia defecit : ſed talis fuit ordo Fratrum Minorum, non ſolùm antè tempora B. Bernardini, ac etiam ejuſdem B. Bernardini tempore ; ut clariſſimè habetur in Bulla Leonis : *Ite & vos.* verùm etiam circà tempus exortæ Capuccinorum Reformationis ; ut idem Speculator innuit totâ q. 6. ergò circà illud tempus ordo à pura Regulæ obſervantia dilapſus erat, ſive ad deteriorem diſciplinæ cenſuram, & obſervantiam ; deteriorem inquam, quam à Seraphico Patre inſtitutus, ſive formatus fuerat, redactus: Ac propterea Deus tanquam ſollicitam vineæ Seraphicæ à ſe plantatæ curam gerens, miſit cultores Capuccinos, qui (ut verbis Leonis utar) enervatam plenè cenſuram ad ſua revocarent principia, & languentem, imò penè mortuum, ordinem vivificarent. Neque Speculator, aut alius quiſpiam, moleſtè ferre debet, quod de ordine circà tempus exortæ Capuccinorum Reformationis tale quid à Boverio enuncietur, quod de eodem ordine circà tempus exortæ Patrum de Obſervantia reformationis ſub S. Bernardini auſpicijs à tanto Pontifice, optimeque de ordine merito aſſeritur.

Hinc verò, ut aliàs quoque advertimus, neceſſariò ſequitur, etiam formalem in ordine ſucceſſionem defeciſſe aliquando, eo nimirùm tempore, quo defecit pura Regulæ obſervantia, quæ eſt ordinis forma ; & ſucceſſionis fundamentum, & ſine qua corpus Religionis mortuum eſt: Ac proinde ſucceſſio, & duratio Religionis non benè conſiſtere poteſt,

ut

ut apertiſſimè Speculator, præſertim pag. 40. affirmat. Quod etiam non obſcurè indicavit ſummus Pontifex Leo X. in Bulla: *Licet aliàs*. In tantum enim, ait, Patres de Obſervantia ſine aliqua interruptione, & diviſione ſub Regula S. P. Franciſci militaſſe, ac militare, quatenùs Regulæ obſervatores fuerunt, ac erunt, quaſi formalis ſucceſſio puram Regulæ obſervantiam individuè comitetur. Nec refert, quod idem Pontifex ibidem Patres de Obſervantia Regulæ obſervatores ſemper fuiſſe teſtetur: Nam id intelligendum eſt, ſalvâ ejuſdem Leonis aſſertione, quâ nimirùm paulò antè aſſeruerat, nempe in Bulla: *Ite & vos*. Ordinem aliquando non ſolùm languiſſe, verùm etiam penè mortuum fuiſſe: Vult ergò dicere ſummus Pontifex, ita interdum ordinem à pura obſervantia generaliter defeciſſe, ut tamen ſemper in eo aliqui viri obſervatores extiterint, ac proinde ſuo modo in illis paucis, in quibus pura Regulæ obſervantia ſalvatur, pariter ſalvari legitimam, & formalem ſucceſſionem, utpotè qui ſint veri Seraphici Patris filij, ita ut pura obſervantia veros conſtituat filios; ac proinde veros, ac legitimos Patris ſucceſſores: ſi enim verè filij, quomodo non hæredes! & ſi hæredes, quomodo non ſucceſſores? Tandem ergò pura Regulæ obſervantia verè conſtituit filios, vera filiatio hæredes, & ſucceſſores; quia puram obſervantiam ſequitur legitima ſucceſſio: atque adeò ſervatâ proportione, quo pacto deficit obſervantia, eodem deficiat & ſucceſſio, id eſt, ſi in toto obſervantia corruit, in toto pariter formalis ſucceſſio deſinit: Si in paucis pura obſervantia viget, in paucis illis pariter formalis ſucceſſio permanet. Et hoc, quia obſervantia eſt ordinis forma,

& titulus, ſive fundamentum formalis ſucceſsionis. Quemadmodum, quia veræ fidei profeſsio eſt Eccleſiæ forma, & formalis ſucceſsionis fundamentum, ideò deficiente in aliqua particulari Eccleſia verâ fide, ipſa quoque Eccleſiæ ſucceſsio deficere perhibetur. Dixi ſemper, formalem ſucceſsionem, ut indicarem materialem quidem nunquam defeciſſe, quia nunquam defuerunt Epiſcopi, ſive hæretici, ſive Catholici: quo ſenſu Auxentius Arianus, Mediolanenſis Epiſcopus nominatur, & Ambroſius eidem ſucceſſiſſe ſcribitur, cùm tamen certum ſit, Auxentium nullo modo fuiſſe Apoſtolorum ſucceſſorem, formaliter loquendo; quia cùm non eſſet de Eccleſia, ſive de grege fidelium, nullatenùs poteſt cenſeri poſitus à Spiritu ſancto Epiſcopus, ut ſuccederet Apoſtolis ad regendam Eccleſiam; unde reſtat, ut ſolùm æquivocè ſucceſſor appelletur: purgatâ verò hæreſi, in locum Auxentij electus eſt Ambroſius ad continuandam Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitum ſucceſsionem, qui proptereà non tam dici debet ſucceſſor Auxentij, quàm præcedentium Catholicorum Epiſcoporum. Ad quod comprobandum ſatis, ſuperque eſſe poſſe videtur, quod aliàs in proprijs terminis ex Bellarmino attulimus, in Patriarchalibus nempe Orientis Eccleſijs, eo ipſo veterum Paſtorum ſucceſsionem fuiſſe interruptam, quo hæretici manifeſti illarum Eccleſiarum Epiſcopi ſunt conſtituti.

Dices materiam ſuam exigere formam, ac proinde eâdem exiſtente ordinis materiâ per continuam ſucceſsionem, eandem pariter debere eſſe & formam: Quod ſi eadē forma alteri uniatur materiæ, non idem, ſed alius numero diſtinctus ordo erit.

Tangi-

Tangitur hoc argumentum à Speculatore fol. 40. quod tamen facillimè in ipſum retorqueri poteſt: Tum, quia ſi varietas materiæ officit identitati, multò plus identitas formæ officit variationi: Tum, quia valdè probabile eſt ex Philoſophia, totam rationem, & eſſentiam ſpeciei, ac individui, eſſe ſolam formam, nullo autem modo materiam. Tum denique, quia item probabile eſt, ita poſſe plures materias ſubeſſe uni formæ abſque identitatis numericæ detrimento, ſicut una materia poteſt ſubeſſe pluribus formis, ita ut reſultent plura compoſita; Aliud eſt enim lignum, aliud ignis, licet eadem materia, quæ priùs fuit ſub forma ligni, poſtmodum ſit ſub forma ignis. Sed de his plura apud Philoſophos.

Dices iterùm, in moralibus, de quibus loquimur, imò ſolam materiæ diverſitatem, etiam ubi eadem eſt forma, ſufficere ad varios, ſive diſtinctos ordines conſtituendos: Ad quod probandum adduci poteſt, quod de S. Dominico legitur, qui hortatu ſummi Pontificis Regulam, non novam inſtituit, ſed aliquam antiquam delegit, illam nempe tanto tempore antè à Divo Auguſtino traditam, & conſcriptam: & tamen, cùm una ſit regula Auguſtinienſium, & Dominicanorum, non unus eſt ordo, imò alius, & alius omninò diſtinctus, Auguſtinienſium unus, alius Dominicanorum, ut per ſe patet. Reſpondeo, hoc idem argumentum tangi à Speculatore pag. 37. ibi. *Sed licet Norbertini, & alij plerique ordines, regulam ab Auguſtino compoſitam ſuſceperint, non ob hoc S. Norbertum à Fundatorum titulo excludunt.* An verò ſatis ad rem, ſive intentionem ſuam probandam tale Speculator argumen-

argumentum adaptet, facilè, non solùm simpliciter, verùm etiam ad hominem ostendi potest, factâ hâc unâ convenienti consideratione: Aliud quippe est accipere Regulam non ad eandem jam deterioratam, sive deformatam reformandam, quod proprium est Reformatorum: aliud accipere Regulam ab aliquo conscriptam, & in ordine ab Institutore fundato in suo esse persistentem ad alium ordinem multiplicandum, quod proprium est Institutorum, ad imitationem alterius instituentis: Quemadmodùm, si quis volens unam Rempublicam novam in aliquo Regno instituere, assumeret pro regimine regulas à Republica antiqua, putà Romana, aut Veneta constitutas, hæ utique essent duæ Respublicæ distinctæ, quarum una ad alterius exemplum fuit formata, & ideò hîc est veluti quædam primæ formæ multiplicatio, sicut etjam cùm pictor ad alterius antiquæ imaginis exemplar aliam omninò similem imaginem pingit: hi enim nullâ ratione censeri possunt Reformatores sive Reipublicæ antiquæ jam deformatæ, sive imaginis, ut per se patet. Hâc, inquam, consideratione factâ, facillimè dignosci potest argumentum Speculatoris potiùs esse ad oppositum, quàm ad propositum; Nam neque S. Norbertus, unde Norbertini dicti; neque S. Dominicus, unde Dominicani, fuit Reformator Regulæ, aut Ordinis S. Augustini, sed uterque novi Ordinis, ac Religionis institutor, & Fundator. Quod si Speculator intendat, eos esse, ac fuisse reformatores, inprimis reor, id neque ipsis Augustinianis, neque Dominicanis, aut Norbertinis placiturum: Non Augustinianis, quia Speculator facit eos ita deformatos circà tempus exortæ Domini-

Dominicanorum, ac Norbertinorum Congregationis, ut indiguerint reformatione. Non Norbertinis, aut Dominicanis; nam nullus eorum, puto, cum gustu audiet, suos Institutores fuisse simplices Reformatores, & non potiùs veros Patriarchas, maximè autem id de S. Dominico, qui passim ab omnibus Patriarcha dicitur, libenter intelligerent Dominicani. Deinde magis universaliter contrà Speculatorem sic arguo: Nullibi invenitur, ubi primi Capuccini, Matthæus à Bassio, &c. Patriarcha Capuccinorum nominetur: Aut ubi Capuccini filij Matthæi à Bassio, &c. nuncupentur, sicut invenimus, ubi S. Dominicus, Dominicanorum Patriarcha, & Dominicani S. Dominici filij propriè appellentur. Et vice versâ, invenimus, ubi Capuccini filij S. Francisci sunt agniti, & vocati: & nullibi reperimus, ubi Dominicani filij S. Augustini censeantur: ergò aliâ ratione spectant Capuccini ad ordinem S. Francisci, quàm Dominicani, aut Norbertini, ad ordinem S. Augustini. Hæc porrò diversitatis ratio non est, nisi quia primi Capuccini, Matthæus scilicet de Bassio, aut Ludovicus Forosempronianus, nec sunt, nec fuêre Institutores alicujus novi ordinis, sed reformatores antiqui, in quo etiam professionem emiserant, cùm Sanctus Dominicus, & Norbertus fuerint Institutores, & Fundatores novi ordinis, in quo ipsi professionem emiserunt: non reformatores antiqui, in quo nunquam professionem fecerant, acceptâ tamen regulâ antiquâ S. Augustini, non ad eam reformandam in ordine S. Augustini, in quo fortassè non erat deformata; sed ad eam multiplicandam in alio ordine, ut per se patet. Ex quo, ut dixi, sequitur evidenter,

Speculatoris argumentum eſſe magis ad oppoſitum, quàm ad propoſitum: Atque adeò veriſſimum eſſe, quod ait Boverius, Congregationem Capuccinorum non eſſe inſtitutam, propriè loquendo, à Fr. Matthæo, aut Ludovico, ſed à S. P. Franciſco: Quia Matthæus, & Ludovicus, non tam Inſtitutores novi ordinis, quàm Reformatores antiqui cenſendi ſunt; Cùm vice versâ S. Norbertus, ac S. Dominicus, non Reformatores ordinis S. Auguſtini, ſed veri Inſtitutores, ac Patriarchæ, præſertim S. Dominicus, ſint, ac nominentur. Et de his hactenùs: quæ enim ad ſucceſsionem ſpectant, adhuc ex dicendis quæſtione ſequente clariora fient.

QVÆSTIO VI.

Quiſnam cenſeri debeat antiquus ordo, ubi aſſeritur, ut vera ſit reformatio, debere eſſe reparationem antiqui, non inſtitutionem novi, ſive moderni.

QVantum quidem unicuique confeſſum eſt, ad veram reformationem inter alia hoc etiam neceſſariò requiri, ut per eam antiquus ordo reparetur, non novus inſtituatur: quo argumenti genere ſæpè uſus eſt Speculator ad probandum, Congregationem Capuccinorum minimè veram eſſe Reformationem: Quia nimirùm per eam novus potiùs ordo formatus fuit, quàm reformatus antiquus. Quantò, inquam, id omnibus, tanquam per ſe notum, confeſſum eſt,

tantò, ni fallor, minùs eſt perſpectum, quidnam in propoſito antiqui nomine veniat: Cumque omnis propoſitionis notitia, etiam per ſe notæ, ex cognitione terminorum pendeat, omninò neceſſarium eſt, præfati termini, *antiquus*, vim, ac poteſtatem in præſentiarum explicare: Cujus rei gratiâ.

Supponendum eſt, antiquitatem ita reformationi neceſſariam eſſe, ut tamen ea minimè ſufficiens exiſtat, prout etjam de ipſa ſucceſsione, ſine qua pariter reformatio ſubſiſtere nequit, philoſophari contingit; Nam & ſucceſsio neceſſaria quidem eſt, ſufficiens verò nequaquam: Etenim Eccleſia Romana eſt antiqua, utpotè quæ à diebus Chriſti, & Apoſtolorum ſuum creditur habuiſſe exordium: Ac ſimiliter legitimâ, & continuâ, nunquamque interruptâ à ſui exordio uſque nunc Romanorum Pontificum ſucceſſione gaudet: Et tamen, quantum ad fidem ſpectat, nullatenùs reformata cenſeri poteſt, quia nunquam fuit deformata per receſſum à vera fide: imò neque deformari poteſt; quia non poteſt à vera fide deficere: Salvatur ergò optimè, tam antiquitas, quàm legitima Eccleſiæ, ac Prælatorum ſucceſsio abſque reformatione: Quod etiam non obſcurè ſignificavit Bellarminus, de notis Eccleſiæ. notâ, 5. c. 8.

Supponendum præthereà, antiquitatē eatenùs ad reformationem eſſe neceſſariam, quatenùs reformatio in eo diſtinguitur à formatione, quod formatio eſt prima, ac proinde nova productio; reformatio porrò eſt ſecunda formatio, ſive reproductio: Et ita per reformationē, prima, ſive antiqua reſtituitur forma:

In tantum verò ſucceſſio eſt neceſſaria reformationi, in quantum unus, non plures ſunt ordines, primò formatus, dein deformatus, ac demùm reformatus: atque ita antiquo novus conjungitur per quandam quodammodò ſucceſsionem. Dixi quandam: Nam propriè loquendo reformatio poteſt benè ſubſiſtere abſque tali ſucceſsione; Nam corpus mortuum, deformatum utique cenſetur, & per reſurrectionem reformatur. Vnde & reſurrectio reformatio quædam eſt, & nihilominùs in corpore primitùs formato, ac deinde deformato, ac demùm reformato ejuſmodi ſucceſsio minimè ſalva conſiſtit: ergò pari ratione poſſet reformari ordo jam deformatus, & mortuus defectu obſervantiæ, quæ ipſius ordinis anima, ſpiritus, & vita exiſtit, abſque ejuſmodi continua ſucceſsione. Quod etiam fatetur Speculator verbis illis, toties inculcatis ex pag.40. *Fatemur ſine Regulæ obſervantia, ſine qua corpus Religionis mortuum eſſet, non benè poſſe conſiſtere ſucceſsionem, & durationem Religionis, ſicut ſine anima idem hominis corpus durare non poteſt*, &c. Itaque identitas potiùs in reformatione attenditur, quàm ſucceſsio; quia de natura reformationis eſt, ut idem, & unum ſit deformatum, & reformatum. Quia tamen Ordo, quemadmodùm etiam Eccleſia, eſt de genere ſucceſsivorum non permanentium: Ideò ad reformationis naturam ſufficit unitas, & identitas ſucceſsiva; quod ſcilicet ordo ſuccedat ordini, ſive Eccleſia Eccleſiæ, & Prælatus Prælato. His præſuppoſitis, facillimum erit propoſitæ ſatisfacere difficultati.

Aſſerendum itaque primò, nomine antiqui intelligi primum in genealogia, antè quem nullus alius fuit, cui ille ſucce-

ſuccedere poſsit; oportet enim in omni genealogia unum primum conſtituere, qui nulli alij ſuccedat, ſed alij omnes ſuccedant ipſi, aliter eſſet proceſſus in infinitum. Probatur aſſertio, primò à ſimili in Eccleſia: Nam antiquus Epiſcopus, ſive Pontifex, eſt Petrus, primus Epiſcopus Romanus, cui immediatè ſuccesſit Linus: Cæteri verò omnes mediatè, à diebus Petri uſque nunc. Et antiqua Eccleſia eſt Eccleſia primitiva à diebus Petri, cui ſucceſsit Eccleſia ſub Lino immediatè: Cæteræ verò omnes mediatè à diebus Petri, ſive à primitiva Eccleſia uſque nunc: ita ut computetur una pars Eccleſiæ pro eo tempore, quo eſt ſub ſuo capite, & cum ſuo capite, & caput in ſua Eccleſia, & cum ſua Eccleſia: Eccleſia enim eſt plebs adunata Paſtoribus, & Paſtor unitus Eccleſiæ, ut optimè ex D. Cypriano infert Bellarm. ubi ſuprà. Alia verò pars Eccleſiæ, quæ immediatè ſuccedit primæ, accipitur pro Eccleſia ſub alio tempore immediato, nempe ſub Lino, & ſic de alijs: ergò ſimiliter antiquus Prælatus ordinis, & antiquus ordo in propoſito eſt S. P. Franciſcus, & ordo primitivus à tempore ipſius Seraphici Patris, uſque dum alius, qui in ejus locum ſuccederet, electus eſt, ipſo mortuo, aut aliàs quomodolibet deficiente; Nam non ſolùm ſucceditur legitimè mortuo morte naturali, ſed etiam civili, ſeu legali, quæ contingit per depoſitionem, aut renunciationem; ut eſt de mente omnium, & in proprijs terminis Bellarmini, loco citato, & alibi. Probatur ſecundò, ex ipſis verbis Regulæ c. 1. ibi: *Et omnes Fratres teneantur obedire Fratri Franciſco, & ſucceſſoribus ſuis*: ergò cæteri omnes ſunt S. Franciſci ſucceſſores, & ipſe

solus antiquus, id est, primus, qui nemini succedit, sed alij omnes ipsi: ergò etiam ordo antiquus in proposito est ordo primitivus, à diebus scilicet ejusdem Seraphici Patris; nam hic est ordo, cui cæteri omnes succedunt, & ipse nemini, ut sic simul, & invicem succedat ordo cum Generali, & Generalis cum ordine, quemadmodum succedit Pontifex cum Ecclesia, & Ecclesia cum Pontifice.

Asserendum secundò, consequenter ordinem antiquum in proposito non esse, nec esse posse ordinem RR. Patrum de Observantia, prout aliquo modo distinguitur ab ordine primitivo, hoc est, prout distinguitur in omni ente successivo pars posterior, & subsequens à priore, & præcedente, hoc est clarissimum: Nam ordo à diebus S. Bernardini, aut alterius, quicumque ille sit, sub quo cæpit reformatio Patrum de Observantia, nec est, nec esse potest ordo, qui fuit ab initio sub tempore S. P. Francisci; sicut Ecclesia sub Clemente hoc modo non est eadem, quæ fuit sub Petro: ergò ordo antiquus in proposito non est, nec esse potest ordo RR. Patrum de Observantia, id est, qui fuit à diebus, quibus primò cæpit ordo Observantium: Ex quo evidentissimè sequitur, non propterea non esse veram reformationem Capuccinorum, quia per eam non fuerit reformatus ordo Patrum de Observantia; quia ordo antiquus in proposito non est ordo Patrum de Observantia. Et si Speculator prætendit, ut videtur, non esse reformatum per Capuccinos ordinem antiquum, quia non est reparatus ordo Observantium, falsum omninò prætendit; Nam ordo antiquus in proposito multò antè fuit, nempè à diebus S. Francisci,

quàm fuerit ordo à diebus Patrum Obſervantiæ: Cùm etiam antiquior fuerit ordo ſub PP. Conventualibus, ut eſt per ſe manifeſtum.

Aſſerendum 3°. ad veram reformationem requiri ac ſufficere, ut novus ordo conjungatur antiquo per ſucceſsionem interruptam; nullâ autem ratione requiri, ut novus conjungatur antiquo per continuam, & nunquam interruptam. Vt aſſertio intelligatur, ſupponendum eſt, geminam eſſe ſucceſsionem, continuam unam, ſive nunquam interruptam: alteram interruptam, quæ diſcreta potiùs, quàm continua appellari poteſt, & debet. Quæ partitio quidem, licet ex Philoſophia, ubi de quantitate continua, & diſcreta ſermo habetur, inſinuetur: In propoſito tamen non ita ſtrictè ejuſmodi termini accipiendi ſunt, ſicut in Philoſophia, ubi de ſucceſsione, & diſcretione entis phyſici, & naturalis; ut patet: Nam inter Prælatum priorem, cui ſucceditur, & poſteriorem ſuccedentem, mors ſemper intercedit, aut naturalis, aut legalis; & plerumque etiam multum tempus à die defunctionis Prælati præcedentis ad electionem, ſive proviſionem ſuccedentis, ut toto titulo *de Eccleſia vacante*: Quo caſu ſtrictè, & propriè loquendo, non poteſt affirmari, ſucceſſorem continuè conjungi prædeceſſori, ut liquet; dicitur tamen continua, & nunquam interrupta ſucceſsio moraliter, quatenùs inter prædeceſſorem, & ſucceſſorem nullus unquam alius interceſsit falſus Prælatus, qui ſolus in propoſito, ſucceſsionem interrumpere perhibetur; ut apertiſsimè apud Bellarm. câ notâ 5. columnâ 5. & 6. reſpondendo objectionibus Calvini:

Calvini: Nam concedit Calvino, non posse Catholicos enumerare continuam, & nunquam interruptam successionem omnium Ecclesiarum particularium, aut Episcoporum, atqui solius Ecclesiæ Romanæ, & Romanorum Pontificum; quia reverà perijt in multis Ecclesijs particularibus, & interrupta est talis successio. Et si ab eodem quæras, quânam ratione dicatur interruptâ: Respondet per hæc formalia verba; *quia per longa tempora habuerunt Episcopos manifestos hæreticos*. Lege, si lubet Bellarminum ibidem. Itaque quoties in genealogia aliquis intermiscetur, qui non sit verus pastor, cujusmodi non est, nec esse potest infidelis, etiam hæreticus saltem manifestus; ut ubique semper Bellarminus affirmat, ijs potissimùm adactus rationibus: Tum, quia non potest esse pastor, aut caput, qui non est ovis, aut membrum: Tum, quia non potest esse verus Ecclesiæ Prælatus, qui Ecclesiasticâ caret potestate, sive jurisdictione, sicut caret omnis infidelis, etiam hæreticus saltem manifestus; ut benè argumentatur idem Bellarm. l. 3. de Ecclesia. cap. 10. & alibi, præsertim lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 30. Tum denique, quia non potest esse pastor, qui est lupus: cujusmodi est omnis hæreticus, saltem manifestus; ut per eundem Bellarminum. Quoties, inquam, aliquis ejusmodi in genealogia Prælatorum Ecclesiæ intercipitur, eo ipso legitimam, & sacrosanctam Pastorum successionem interrumpit. Quibus omnibus suppositis, probatur evidentissimè nostra assertio sic. Non est impossibile, imò quàm maximè possibile, reformari Ecclesiam, quæ aliquando fuit deformata, hoc est certissimum; sed omnis Ecclesia, quæ deficit cum

cum ſuo capite à recta fide, putà, quia de Catholica, facta eſt hæretica manifeſta, fuit deformata: ergò potuit, & poteſt reformari. Tunc ſubſumo: Sed in omni Eccleſia, quæ habuit Epiſcopos manifeſtè hæreticos, interrupta eſt legitima Paſtorum ſucceſſio: ac ob eandem rationem, ſi ipſa quoque Eccleſia facta eſt hæretica manifeſta, interrupta eſt pariter Eccleſiæ ſucceſſio; Nam ſicut Paſtor ſuccedit Paſtori, ita Eccleſia Eccleſiæ: ergò abſque continua, & nunquam interrupta ſucceſſione benè poteſt reformatio ſalva conſiſtere. Quod ſi in Eccleſia, etiam in ordine, ubi ordo cum ſuo Prælato deficeret, & Prælatus cum ordine, continua interrumperetur ordinis, ac Prælatorum ſucceſſio; ut apertiſsimè fatetur Speculator pag. 40. verſ. *Fatemur*: toties citato. Et tamen dubio procul ordo ejuſmodi prò aliquo tempore deformatus reformari valeret: quid enim, quæſo, veram præpediret reformationem? Nil planè: imò re penitiùs perpensâ, hoc argumentum probat, omninò impoſſibile eſſe continuam, & nunquam interruptam enumerare in ordine, aut Eccleſia, ſucceſſionem, ubi per aliquod tempus ordo, aut Eccleſia defecit, aut dilapſa, & deformata eſt: & ideò continua, & nunquam interrupta ſucceſſio ſoli Romanæ Eccleſiæ à Chriſto promiſſa eſt; licet de facto etiam aliquæ aliæ Eccleſiæ potitæ ſint, ſed non omnes; ut optimè per eundem Bellarminum.

Hinc tandem ad rem noſtram infertur, qualiter in ordine, & Eccleſia, antiquitas, & novitas accipi queat: Quiſvè in ordine Seraphico, & alio quocumque ſit ordo antiquus, & novus. Ac demùm, quemadmodum intelligi debeat, quod

S dicitur,

dicitur, ad hoc, ut aliqua vera reformatio esse queat, necessariò requiri, ut per eam antiquus ordo reparetur, non novus formetur, sive instituatur. Primitùs enim non potest attendi novitas, & antiquitas in ipsa Regula præcisè, quæ semper est eadem, nec novitatem sapit, aut antiquitatem: Ac proinde neque successionem; sed si quam sapit, id est, per accidens ratione personarum eandem regulam profitentium: Tota ergò antiquitatis, & novitatis ratio per se attenditur in personis, ex quibus Ecclesia, & ordo constituitur, capite scilicet, & membris, sive Prælatis, & subditis; Nam ordo, sicut & Ecclesia, est plebs adunata Pastoribus: In his ergò, in quantum constituunt Ecclesiam, & ordinem, attenditur novitas, & antiquitas ratione diversi temporis; Ecclesia enim, & ordo primitivus, à primo videlicet sui initio est simpliciter, & absolutè antiquus: Reliqui verò omnes, illius respectu, novi sunt, & moderni. v. g. Ecclesia sub Clemente, & ordo sub Ioanne Parmensi, sunt nova respectu Ecclesiæ sub Petro, & ordinis sub Francisco; Sin verò Ecclesia sub Clemente conferatur cum Ecclesia sub Evaristo, & ordo sub Ioanne de Parma cum ordine sub Francisco Liqueto, sunt antiqua, & sic de alijs respectivè. Quoniam autem à tempore S. P. Francisci ordo absque distinctione uno appellabatur nomine, nempe Fratrum Minorum: Posteà verò cæpit in ordine aliqua nominum distinctio, Conventualium primò, dein Observantium, ac subinde Capuccinorum: Ideò respectu istorum, ordo Fratrum Minorum est simpliciter antiquus; Ordo porrò Conventualium, Observantium, & Capuccinorum, novus: Ita tamen, ut invicem collati novissimus omnium sit

ordo Capuccinorum, antiquiſsimus Patrum Conventualium, medius Patrum de Obſervantia. Itaque ubi aſſeritur, ad veram reformationem requiri, ut reparetur ordo antiquus, non novus inſtituatur, antiqui nomine intelligitur ſimpliciter primus, ſub ſuo ſcilicet Inſtitutore, & Fundatore: unde reformare eſt reducere ordinem ad formam illam, id eſt, Regulæ obſervantiam, quam primitùs habuit à ſuo, & ſub ſuo Inſtitutore: Non verò reducere ad formam, quam habuit poſteà, niſi fortaſsè hæc poſterior adhuc eadem eſſet cum illa priore: Quia in nullo, ſaltem ſubſtantiali, eſt immutata: Et ita reformare ordinem, quantum ad formam habitus eſt, reſtituere ordini eam habitus formam, quam habuit primitùs ſub Inſtitutore S. Franciſco; non autem illam, quam habuit à diebus, v. g. S. Bernardini, ſive Patrum de Obſervantia, niſi adhuc in ordine Patrum de Obſervantia eadem habitus forma immutata ſervaretur. Quod an ita ſit, infrà proprio loco explicabitur: Interim ad rem noſtram. Illud ſolùm poteſt impedire veram reformationem, quando, aut ordo novus aliam ab antiquo ſuſciperet regulam; aut etiam, quando eandem quidem regulam aſſumeret, nullam tamen cum antiquo ſervaret unionem: Et hoc modo utique intendit Speculator negare, Congregationem Capuccinorum eſſe veram reformationem; quia nimirùm nullam cùm antiquo S. P. Franciſci habet unionem: Nam ordini antiquo per continuam, & nunquam interruptam ſucceſsionem minimè conjungitur; non enim conjungitur antiquo immediatè, hoc eſt clariſsimum: Quod verò neque conjungatur mediatè, eâ ratione demonſtratum putat,

quia non conjungitur medio ordine Obſervantium : Ac demùm non poteſt alteri conjungi per continuam ſucceſſionem, ſuperſtite adhuc ordine Obſervantium : nam nemo alteri ſuccedere poteſt, niſi altero locum cedente, ſicut ſucceſſiſſe ordinem Obſervantium, cedente locum ordine Patrum Conventualium, juxta Decretum Leonis in Bulla unionis, prætendit Speculator pag. 27. Cæterùm, ordinem Capuccinorum reipsâ conjungi per legitimam ſucceſſionem ordini antiquo Fratrum Minorum ſatis probavimus teſtimonio Chriſti : ac item Patrum Tridentini Concilij, ac Pauli V. & Vrbani VIII. ſummorum Pontificum, indiſtinctè ordinem Capuccinorum ordinem S. Franciſci appellantium, quin Vrbanus VIII. per continuam, & nunquam interruptam lineam à S. P. Franciſco deſcendere his expreſſiſſimis verbis teſtatus eſt. *Hâc noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione declaramus, Fratres Capuccinos præfatos, fuiſſe, & eſſe ex vera, & nunquam interrupta linea, ac veros, & indubitatos Fratres ordinis S. Franciſci.* Quibus Pontificis verbis ſtantibus, mirum planè eſt, quomodo Speculator, de Capuccinorum Congregatione verba faciens, talia contrà Boverium, legitimam ſucceſſionem adſtruentem, &c. in medium afferre potuerit, quæ de directo prædictis Vrbani verbis contraria eſſe videntur : *An talis Congregatio legitimam ſucceſſionem habebit à B. Franciſco, ejuſque ordine? tale corpus à B. Franciſco inſtitutum ? tales Fratres veri, & indubitati Fratres ordinis S. Franciſci ſemper fuiſſe ſine aliqua interruptione, & diviſione cenſendi ſunt !* &c. Hæc ille, quæ, an Vrbani diffinitioni repugnent, legenti, ac quæ legit intelligenti, judicandum relinquo.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Declaratur meliùs adhuc, in quo posita sit ratio veri ordinis, ac legitimæ successionis in Religione Fratrum Minorum per comparationem hujusmodi in Ecclesia.

INtentavit Speculator delumbare illud Boverij, imò potiùs Christi responsum, quod scilicet legitima ordinis, ac Prælatorum successio ex observantia magis, quàm ex antiquitate, aut diuturno annorum curriculo,& primatu censeatur, similitudine successionis in Ecclesia, sic fatus fol. 40. *Verùm, quam sit illud commentitium, & malè fundatum argumentum, vel ex eo patet, quod eodem modo hæretici non curando Episcoporum successionem, & Ecclesiasticarum personarum continuam unionem, ex fide, quam prætendunt, se eandem cum Christo, & Apostolis habere, velint se verum Ecclesiæ Christi corpus constituere.* Non ita tamen in præfata similitudine pedem figere voluit, quin statim, levissimâ tamen ratione, quia nimirùm comparatio ejusmodi odiosa videri posset, pedem tantisper retraheret. Quare ad aliud argumentum se protinùs convertit: *Ponamus*, inquit, *aliquem ordini S. Francisci omninò extraneum, nemine Superiorum agnito, sed permittente solo Pontifice, assumere habitum, & regulam S. Francisci, socios congregare, corpus aliquod Religionis constituere: An talis Congregatio legitimam successionem habebit à B. Francisco, ejusque ordine? tale corpus à B. Francisco institutum? tales fratres veri, & indubitati Fratres ordinis S. Francisci semper fuisse, sine aliqua interruptione, & divisione censendi sunt? Credo nec Boverium hoc admissurum; debet tamen (supposito suo fundamento) quod à regulæ observantia (quam*

ſupponimus eos habere) *ſucceſsio petenda ſit.* Cæterùm non debuit Speculator ab illa comparatione, ſub prætextu, quod videri poſsit odioſa, recedere: verè enim argumentum ab Eccleſiæ ſimilitudine ductum, omnium in hac re potiſsimum, cenſeri debet; nec eſt, quod aliquis noſtrum ægrè ferat, fieri comparationem inter Eccleſiam, & Religionem Seraphicam, quæ eſt aliqua particularis Eccleſia, aut pars Eccleſiæ. Revertatur itaque, obſecro, nobiſcum Speculator ad argumentum, ab eodem quidem attinctum, haud ſatis tamen, ut par erat, declaratum; Et ut inutilibus parcamus diſputationibus, ultrò, ac libentiſſimè concedimus majorem propoſitionem, talem nimirùm eſſe ſucceſsionem in ordine, qualis reperitur in Eccleſia. Verùm partes Speculatoris erant, aliquantò clariùs minorem reſerare propoſitionẽ, in quo nimirùm vera Eccleſiaſticarum perſonarum ſucceſsio conſiſtat; quod quâ ratione ab eodem omiſſum fuerit, ignoro, niſi fortè, ut eam ſibi notam acquirat, quam Boverio illis verbis fol. 38. inurit: *Ita bonus hic Auctor fucum facit ignorantibus, dum veritatem diſsimulat, & obſcurat, ne dicam, evertit: Aut ſanè rem, uti ſe habet, non intelligit, aut intellectam non aperit.* Quo igitur ratio ſucceſsionis in Eccleſia clariùs percipi queat.

Supponendum eſt, tria neceſſariò ad veram ſucceſsionem requiri, ut patet ex toto titulo *de ſucceſsionibus ex teſtamento, aut ab inteſtato.* Primò, requiritur perſona, quæ ſuccedere debet: Secundò, perſona, cui ſuccedendum eſt: tertiò, res, in qua quis ſuccedere debet; ut v. g. bona fortunæ in ſucceſsionibus teſtamentarijs: hæres enim ſuccedit teſtatori in bonis ipſius teſtatoris. Vt autem una perſona ſuccedat alteri, neceſſariò requiritur, ut illa, cui ſuccedendum eſt, moriatur, aut morte naturali,

li, aut ſaltem civili: quamdiu enim vivit, & ſuperſtes eſt is, cui legitimè alter ſuccedere debet, nunquam actu ſuccedere poteſt. Hæc ſunt trita apud omnes, & apud ipſum Speculatorem.

Porrò in re noſtra, perſona, cui ſuccedendum eſt in Eccleſia eſt Petrus, veluti caput Eccleſiæ à Chriſto Domino conſtitutum: ſunt etiam reſpectivè cæteri Apoſtoli ab eodem Chriſto, & Spiritu ſancto ad Eccleſiam regendam primitùs poſiti, ex quibus veluti præcipuis membris Eccleſiæ corpus conſtituitur, cum hoc diſcrimine, quod Petrus tenet rationem capitis, ac ſupremi Pontificis: alij verò Apoſtoli ſunt potiùs membra ſub capite, ſive poteſtas ſub poteſtate, ideoq; in Eccleſia Epiſcopale munus obtinent: In ordine verò Seraphico, perſona, cui ſuccedendum eſt, fuit, & eſt S. Franciſcus, tanquam primus Religionis Pater à ſummo Pontifice conſtitutus; primi autem Provinciales ab ipſo Seraphico Patre ad ſimilitudinem Epiſcoporum ad regendam Religionem poſiti ſunt, quibus alij Provinciales ſuccedere debent: perſona verò, ſive perſonæ ſuccedentes Petro, aut Seraphico Patri, aut cæteris Apoſtolis, & Provincialibus, ſunt quicumq; mortuo Petro, & reliquis, in eorundem locum legitimè ſubſtituuntur. Hæc pariter ſunt plana, & unicuiq; de plano confeſſa. Tota ergò difficultas, ſi quæ ſubeſſe poteſt, conſiſtit in tertio, quid nimirùm propriè ſit, in quo Pontifices Petro, & Epiſcopi cæteris ſuccedunt Apoſtolis. Non poteſt ſanè dici, Epiſcopū, ſive Pontificem, eſſe id, in quo ſucceditur: Nam Pontifex, & Epiſcopus potiùs ſunt perſonæ, quæ ſuccedunt: aſſerere etiam eſſe officium, ſive dignitatem, ſive Epiſcopatum, & Pontificatum, ſive primatum, prout loquitur Speculator pag. 102. ibi: *primatus enim*, &c.

est quidem verum, at non satis adhuc explicatum. Quid est ergò Pontificatus, & Episcopatus, sive munus Episcopale, & Pontificale, in quo Pontifices Petro, & Episcopi cæteris succedunt Apostolis? Dicamus, uno verbo; esse jurisdictionem, sive potestatem regendi Ecclesiam cum omnibus juribus, quæ Pontificalia, sive Episcopalia nomenclari solent. Itaque tandem Pontifex Petro, & Episcopi Apostolis in his omnibus, quæ eidem Petro, & Apostolis, tanquam Pontifici, & Episcopis à Christo Domino ad Ecclesiam regendam tradita sunt, succedere perhibentur.

Præter hæc omnia adijciendum est, neminem posse succedere Petro, aut Apostolis, qui non sit de Ecclesia: Quia non succedit aliquis, nisi sit Pastor Ecclesiæ. Vnde Pastores sunt in Ecclesia, & Ecclesia in Pastoribus: nec potest esse vera Ecclesia, quæ aut nullos, aut non veros Pastores habet; ut optimè ex Patribus ostendit Bellarm. lib.4. de Notis Ecclesiæ notâ 5. sive cap.8. nullus autem est de Ecclesia, nisi sit sanus in fide; infideles enim, etiam hæretici, saltem manifesti, non sunt propriè de Ecclesia, ut per eundem Bellarm. lib. 3. de Ecclesia militante. cap. 3. 4. & 10. qui ex eo probat: quia omnis infidelis, saltem manifestus, caret quâcumque potestate, sive jurisdictione Ecclesiastica, ut per eundem Bellarm. eo c. 10. ubi hæc formalia verba habet: *Patres communi consensu docent, eos, qui sunt extrà Ecclesiam, nullam habere auctoritatem, aut jurisdictionem in Ecclesiam.* Eadem ferè repetit lib.2. de Rom. Pontific.cap.30. ibi. *SS. Patres concorditer, non solùm hæreticos esse extrà Ecclesiam, sed etiam ipso facto carere omni jurisdictione, & dignitate.* Et rursùm *hæc* inquit: *Est sententia omnium veterum Patrum,*

qui

qui docent, hæreticos manifestos mox amittere omnem iurisdictionem. Et iterùm *septima sententia dicit, in eis, qui discesserunt ab Ecclesia, nullam prorsùs remanere spiritualem potestatem super eos, qui sunt de Ecclesia.* Et idem Bellarm. advertit, hanc Patrum sententiam procedere ex ipsa natura hæresis, seclusâ etiam excommunicatione: Cùm ergò non possit esse Pastor sine potestate, & iurisdictione; & infidelis, etiam hæreticus, saltem manifestus, eo ipso careat omni potestate, sive iurisdictione; implicat esse verum Ecclesię Pastorem, ac proinde succedere Petro, & Apostolis: Quia non potest succedere, nisi qui est verus Pastor, cujusmodi non est infidelis, etiam hæreticus, saltem manifestus: atque eâdem ratione, ubi manifestus hæreticus succederet Episcopo Catholico, illa non esset verà successio, imò interrumperetur vera successio; ut per eundem Bellarminum, qui hæc omnia clarissimè docet, eo cap. 8. notâ 5. ubi inter alia hæc habet: *Omnes illæ Ecclesiæ Patriarchales habuerunt Episcopos manifestos hæreticos, & proinde interrupta est veterum Pastorum successio.* Et quia non solùm succedit Pastor Pastori, sed etiam Ecclesia Ecclesiæ: Ideò ubi in aliqua Ecclesia manifestè deficeret vera fides, deficeret pariter vera successio: quia non potest succedere veræ Ecclesiæ, nisi vera Ecclesia, cujusmodi non est, quæ non est sana in fide: Ecclesia enim non est præcisè congregatio hominum, sed congregatio hominum fidelium, qui nimirùm in una veræ fidei professione uniuntur. Vnde Fides se habet ad Ecclesiam, ut forma, sive anima: congregatio verò hominum, sicut materia, & corpus: & ita ex utraque, tanquam ex parte essentiali, resultat una vera Ecclesia, sicut ex anima, & corpore unus verus homo. Eodē modo proportionaliter philosophandum est de vera Religio-

ne: Religio enim non eſt ſola congregatio hominum,ſed taliũ hominum,id eſt,Religioſorũ,qui nimirùm in una Regulæ religioſę profeſſione uniuntur,in quo diſcriminat Religio propriè ſumpta ab Eccleſia:nã Religio eſſentialiter in ſola fidei profeſſione minimè cõſiſtit,imò eã ſupponit:Nullus enim poteſt eſſe Religioſus profeſſus,qui nõ ſit fidelis per verę fideiprofeſſionẽ: Ideò etiã pulchrè appellatur Religio, per quã qui ſemel ſeipsũ ligavit Deo per fidẽ,iteratò ſe religat per religioſæ regulę profeſſionẽ:& quia fidei profeſsio per ſe primò articulos; Regulæ verò profeſsio per ſe primò obligationẽ votorum,præceptorũ, aliorumq́; quæ in ipſa Regula præſcribuntur,reſpicit:Ideò Eccleſia vera dicitur,in qua vera fides cõſervatur,ſeclusâ etiã mandatorũ obſervantiâ.Contra verò,falſa Eccleſia,quæ errat in fide,dato etiã,quod in reliquo mandata ſervaret:At nõ poteſt dici vera Religio, prout de ea loquimur in præſenti,abſq; obſervantia,ſaltẽ habituali,modo ſuperiùs explicato:quiaReligio nõ eſt ſola cõgregatio fideliũ,neq; per ſolam fidei profeſsionẽ efficitur aliquis religioſus; ſed eſt cõgregatio religioſorũ,de qua quis efficitur per Regulæ profeſsionẽ,ſive religioſorum votorũ emiſsionem,ſine quibus vera,ac propria Religio, ac religioſus ſubſiſtere minimè poteſt;ut per S.Thomã cõmuniter receptũ: Quare proportio inter Eccleſiã,&Religionem in eo poſita eſt, quod ſicut nõ poteſt eſſe quis de Eccleſia,niſi per veræ fidei profeſsionẽ:nec vera Eccleſia,ubi non eſt vera fides:Ita non poteſt eſſe verus religioſus, niſi religioſa vota profiteatur : Nec verus ordo,aut Religio, ubi non eſt ſana eorundem votorum obſervantia:obſervantia,inquam,non actualis,ſed habitualis,modo ſuperiùs explicato,quæ quidem habitualis obſervantia faciliùs de-

deficit in Religione S. P. Francisci, præsertim quantum ad paupertatem: quia Seraphicus Pater suæ Regulæ professores pluribus obstrictos esse voluit, & re ipsâ obstrinxit, ut patet, tum ex ipsa Regula, tum ex *Clementina: Exivi. & cap. Exyt de verb. signif. in 6.* Ac proinde faciliùs deficit Ordo Seraphicus: non quidem à vera religione in communi: sed à vera religione hac in particulari, nempe Seraphica, & Ordine Seraphico: Quare ubicumque ita relaxata foret Regula S. P. Francisci, sive per abusus, sive etiam per privilegia, ut Fratres regulariter se obligatos non agnoscerent, aut haberent ad Regulam, prout à Seraphico Patre fuit instituta: ac reipsâ in professione se minimè ad Regulam primam, sed potiùs ad eam, aut relaxatã per abusus, aut per privilegia, minimè obstrictos intenderent: ille utique simpliciter, & absolutè verus sancti P. Francisci, sive primę regulę Fratrum Minorum ordo censeri minimè posset. Quod ita certum esse videtur, quemadmodum certum est, eam non posse ampliùs verã censeri rẽligionem, etiam in cõmuni, in qua tanta esset relaxatio introducta, ut passim omnes haberent de proprio: nec aliam emittérent professionẽ, quam illius vitæ relaxatæ, prout repererunt: nam religio deficeret in substantialibus, ac propterea implicat, eam verã appellare religionem, quę ad tantæ relaxationis statum esset deducta: quod tamen in alijs religionibus vix contingere potest, cùm nil aliud voveant, quã non habere propriũ in particulari: facillimè verò cõtingere potest in Religione Seraphica, in qua non solùm in particulari; sed etiam in communi omnis proprietas, imò & usus juridicus, &c. per Regulæ professionẽ, sive promissionẽ amputantur. Deniq; sicut nõ potest salvari in Ecclesia legitima, ac sacrosancta,

ſucceſsio continua, ubi Eccleſia pro tempore à fide manifeſtè deficeret; ut per Bellarminũ aliàs citatum: ita proportionaliter non poteſt benè conſiſtere iugis ſucceſsio in ordine ſine Regulæ obſervantia, ſine qua Religionis corpus mortuum eſſet; ut in proprijs terminis ipſe quoque Speculator affirmat.

Aſſerendum itaque, nullum infidelem, etiam hæreticum, ſaltem manifeſtum, eſſe verum Petri, aut Apoſtolorum ſucceſſorem. Eſt expreſſa Bellarmini, probaturq; evidentiſsimè. Non poteſt ſuccedere Paſtori niſi verus Paſtor; ſed infidelis, etiam hęreticus, ſaltem manifeſtus, eo ipſo non eſt verus Paſtor: Nam quomodo poteſt eſſe caput, qui non eſt membrum? nullâ prorſus ratione: ſicut non poteſt eſſe caput, aut Prælatus, qui quâlibet eccleſiaſticâ privatus manet poteſtate, ſive iuriſdictione: hæreticus autem manifeſtus eo ipſo amittit omnẽ iuriſdictionem, & deſinit eſſe membrum Eccleſiæ. Ex hoc ipſo præcisè, id eſt, ex natura hęreſis, ſeclusâ etiam excommunicatione, ut ex communi Patrum ſententia idem Bellarminus advertit: ergò. Confirmatur. Nam dato, etiam, aliquem infidelem, aut manifeſtè hæreticum eligi in Pontificem, aut Epiſcopum, quia ignoratur eſſe hæreticum, aut infidelem, ejuſmodi electus non eſſet legitimus Petri ſucceſſor: quia omnis electio infidelis, aut hæretici manifeſti, ex ipſa hæreſis natura pręcisè, nulla eſt: Nam hæreticus, ſaltem manifeſtus, ex ipſa hæreſis natura, non ſolùm privatur iuriſdictione illâ, & officio, quæ habuit, dum erat Catholicus: verùm etiam inhabilis efficitur ad aliã iuriſdictionẽ, & beneficia in poſterum obtinenda; quæ inhabilitas tamdiu permanet, quamdiu is perſiſtit in infidelitate, aut hæreſi manifeſtâ: Implicat ergò, quem eſſe ſuperiorem, & proindè ſuccedere

cedere superiori de Ecclesia,& in Ecclesia, qui non est de Ecclesia, & membrum Ecclesię: sed extra Ecclesiam. Vnde hoc est quoddam vitium vitians electionem in fundamento, ut Iuristæ loquuntur. Hinc patet absque ratione obijci Boverio à Speculatore argumentum, à successione Prælatorum ductum, quasi vera Prælatorum successio possit in Ecclesia absque fide salva subsistere: Id enim sonant verba ipsius allata superiùs : Cùm tamen iuxtà probabiliorem Theologorum sententiam, de qua per Bellarminum nuper citatum, nullus infidelis, in quo scilicet non est sana fides , ecclesiasticæ dignitatis munere potiri possit: Est enim eo ipso omni iurisdictione, & officio privatus, licet quamdiu non est per legitimam sententiam condemnatus, tanquam legitimus Prælatus habendus sit, eidemque tamdiu honor, ac obedientia exhibenda, prout similiter habendus est omnis Prælatus Religiosus, quamdiu non est legitimè ab officio depositus, ut ex communi Theologorum sententia: Nã etiam ubi quis ipso iure ab officio decidit, aut officio & iurisdictione est privatus, adhuc aliquâ sententiâ est talis declarandus: ac quamdiu non est declaratus, est ab omnibus pro superiore habendus. Argumentum itaque Speculatoris potiùs est pro nobis, quàm contra nos : sicut enim non potest succedere Episcopo in episcopatu infidelis, etiam hæreticus, saltem manifestus: Quia eo ipso non est verus Episcopus: Ita non potest succedere Francisco , qui ejus regulam, aut nunquam est professus, aut per habitualem inobservantiam eandem omninò manifestè deseruit; falsissimumque est, Boverium ad similitudinem hæreticorum non curare successionem: Nam quomodo non curat, si eam mordicus defendit : Imò,

vnde successio censeri possit, exponit. Nô sic hęretici: qui omnem prorsùs successionem evertunt. Qualiter verò Catholici ex successione Fidem adstruant, aut arguant, ex mox dicendis constabit.

Notandum est, propterea aliud esse loqui de successione Episcoporum, & Ecclesiarum particularium, quæ possunt deficere à fide, aliud de successione Pontificis in Ecclesia Romana, quæ sola deficere nullatenus potest. Si de successione Episcoporum sermo habeatur, certum est, eam non esse continuam, & interruptam: Nam sicut in aliquibus Ecclesijs vera Fides, ita defecit vera successio. Vnde promiscuè cum Catholicis facti sunt Episcopi interdum etiam hæretici: ita ut interdum Catholico successerit hæreticus successione electivâ materiali, non autem successione formali. Probamus ergò nostram Fidem, id est, Romanam, esse veram per successionem, quia purgatâ generatione, semper successit Catholicus: neque enim purgato Arianismo, successit Calvinista, sed Romanus, & sic de alijs semper: sin verò loquamur de Ecclesia Romana, probamus nostram fidem ex continua, & nunquam deficiente successione, non tam materiali, quàm formali; quia omnis Pontifex Romanus eandem cum Petro habuit fidem; itaque tantum abest, ut Boverius successionem non curet, quod imò eandem ubique sartam, & tectam esse velit: non tamen absque sana fide, & pura observantia; quæ duo valde inter se esse diversa, non est qui non videat. Aliud quippe est dicere, non curo, aut non curamus successionem: aliud, veram successionem, per quam veram Ecclesiam adversùs hæreticos comprobamus,

probamus, ſanam fidem, veluti formam, ſive ſucceſſionis fundamentum, neceſſariò includere aſſeveramus. Ipſe potiùs Speculator, licet verbis ſucceſſionem tantoperè tueri ſe jactet: reverà tamen ſucceſsionem evertit, & deſtruit, dum ab ipſa ſucceſsionis natura ita ſanam fidem, & obſervantiam excludit, ut eam propemodum impertinentem eſſe, affirmare non dubitet. Quonam ergò modo, reſpondeat quæſo, ex ſua ſucceſsione continua, & non interrupta probare poterit veram Eccleſiam, ſi ad veritatem Eccleſiæ, fides omninò impertinens eſt? nullâ planè ratione: imò potiùs ex ſuo argumento evidenter probatur contrarium: quod ſic oſtendo. Succeſsio ſecundùm te poteſt eſſe abſque vera fide, & ſana obſervantia, ubi eſt ejuſmodi ſucceſsio, per te, eſt vera Eccleſia, & verus ordo: ergo per te poteſt eſſe vera Eccleſia ſine Fide, & verus ordo ſine obſervantia:

Quod tamen, ut clariùs in verbis tuis contradictio appareret, ipſemet inficiaris illis verbis: *Fatemur ergo ſine Regulæ obſervantia, ſine qua corpus Religionis mortuum eſſet, non bene poſſe conſiſtere ſucceſſionem, & durationem Religionis, ſicut ſine anima idem hominis corpus durare non poteſt.* Quomodo quæſo obſervantia ad legitimã ſucceſsionem propemodũ impertinens eſt, ſi abſq; obſervantia ſucceſsio nullatenus conſiſtere poteſt? Iudicet qui rationis compos exiſtit: perindè enim eſt ac dicere, animam eſſe impertinentem ad ejuſdem corporis durationem, ſine qua tamen idem corpus durare minimè valet. Quomodo iterùm ex tua ſucceſsione continua probabis Eccleſiam Mediolanenſem v. g. eſſe veram Eccleſiam, ſi re ipſâ talis continua

ſuc-

ſucceſsio minimè fuit? cùm in Eccleſia Mediolanenſi continua Catholicorum ſucceſsio per electionem Epiſcopi Ariani pro aliquo tempore interrupta fuerit. Vt ergò ſucceſsio probet veritatem Eccleſiæ, neceſſariò in ipſa ſucceſsione Fides debet includi, & tunc formatur argumentum hoc modo: Illa eſt vera Eccleſia, in qua eſt vera Fides Apoſtolorum; in hoc conveniunt omnes. Ibi eſt vera fides, ubi eſt legitima ſucceſsio, quæ ſine vera fide eſſe non valet: ergo.

Patet hinc evidenter Deficiente ſanâ fide in aliquo quocumque modo, hoc eſt, ſive quia numquam ſuſcepit Fidem, ſive quia poſt ſuſceptam deſeruit per infidelitatem, aut apoſtaſiam manifeſtam, eo ipſo non eſſe de vera Eccleſia: atque adeò non poſſe de iure ſuccedere in vera Eccleſia: hoc autem multò magis verum eſſet, ſi deficeret tota Eccleſia particularis à vera Fide, & unus eligeretur in Epiſcopum illius Eccleſiæ, jam à Fide dilapſæ; Nam tunc neque ipſa Eccleſia ſuccedit veræ Eccleſiæ: Implicat enim, Eccleſiam, quæ falſa eſt in Fide, ſuccedere veræ Eccleſiæ, cujuſmodi eſt omnis, & ſola, quæ eſt ſana in Fide: Et in hoc caſu integrum eſſet, alium ſubſtituere Epiſcopum Catholicum, etiam ſi ſuperſtes eſſet Epiſcopus hæreticus: Quia potiùs viveret vitâ naturali, quam civili: atque ita mortuus magis, quàm vivus foret cenſendus. Dixi, deficiente Eccleſiâ particulari: Nam Eccleſia univerſalis Romana, ſicut nunquam poteſt deficere in Fide, ita non poteſt non eſſe ſemper vera Eccleſia.

Vt ergo tandem veram in ordine ſucceſsionem percipiamus, ſtando in ſimilitudine propoſita, patet utique veram, ac legitimam ſucceſsionem ab obſervantia potiùs, quàm ab antiquitate

quitate

quitate esse petendam; sive quia observantia est potissima veræ successionis pars, id est, forma; sive quia saltem est successionis fundamentum, in quantum non potest esse S. Francisci successor, qui non est de vera ipsius Religione; sicut non potest esse successor Petri, qui non est de vera Ecclesia: Ac demum, sicut quilibet efficitur de vera Ecclesia per professionem veræ Fidei: Ita efficitur de vera Seraphici Patris Religione per professionem Regulæ à Seraphico præscriptæ, quæ observantiam, modo superiùs exposito, necessariò involvit: Et quidem non posse esse S. Francisci successorem, qui non est professus suam Regulam, sive qui non est de sua Religione, idemmet expressit c. 8. ibi: *unum ex Fratribus istius Religionis, &c.* sicut autem nullus est verè de Religione S. Francisci, qui nondum Regulam ab eodem præscriptam professus est; ita non est, nec potest esse, qui eam quidem professus est, sed posteà à sua illa professione per deformationem dilapsus est: sicut neque, qui Regulam S. Francisci, modificatam tamen privilegijs, &c. profiteretur: quemadmodùm enim hic non profitetur Regulam ad litteram, prout scilicet à suo Auctore S. Francisco fuit præscripta: ita simpliciter non esset de prima S. Francisci Religione, sed solùm secundùm quid, & cùm addito: sicque omninò intelligendum censeo, quod de ordine RR. Patrum Conventualium Speculator mox adducendus affirmat; debet, inquam, intelligi cum modificatione à nobis nuper adhibita: alias omninò falsum est, & Pontificum Bullis expresè adversum, quod de ordine prędicto Speculator affirmat fol. 38. illis verbis: *Esset ne aliquis, qui dicere audeat, Conventualium ordinem, prout ille distinctum ab ordine Observantium corpus constituit; videlicet, quatenus importat corpus ordinis,*

quod non profitetur Regulam S. Francisci, nisi modificatam privilegijs, contra altißimam paupertatem, quod reditus annuos, & bona immobilia possidet; quod per Magistros Generales, & Provinciales gubernatur, esse à B. Francisco institutum ? hoc sine blasphemia vix arbitror posse affirmari. Ex quibus clarissimè liquet, ordinem, qui à primæva Seraphici Patris Regula dilapsus est, sive in quo primæ Regulæ observantia defecit, non esse verum ordinem; atque adeò integrum esse: Alium verum, etiam omninò distinctum sub pura Regulæ observantia constituere, qui non erit alius, sed idem cum primo per Reformationem reparatus, in quo salva erit primi, sive antiqui ordinis successio, non obstante legitimâ Prælatorum in ordine illo ab observantia dilapso electione; quia cùm non sit ordo propriè à S. Francisco institutus, non computatur in numerum, quod est notatu dignum: Inde enim rursus ad hominem clarè convincitur, dilapsâ disciplinâ, sive deformato ordine, posse novum institui omninò separatum: Quia hic novus ordo non dicitur distinctus ab ordine sancti Francisci, imò potiùs eidem unitus: sed dicitur separatus ab eo ordine, qui eo ipso, quo ab observantia dilapsus est, vix absque blasphemia, per te ordo sancti Francisci censeri potest. Ex quo tandem patet, vanè Speculatorem, ut Congregationem Capuccinorum à legitima ordinis successione excludat, appellare ordinem omninò extraneum: Quomodo enim Congregatio, in qua viget pura Regulæ observantia, potest esse extranea ab ordine Fratrum Minorum, sive Sancti Francisci, qui in tantum dicitur, & est verus ordo, in quantum vera in eo salvatur successio, quę ita ab observantia pendet, ut absque ea nullatenùs verus ordo, ac

vera successio, esse, aut concipi queat. Reor autem Speculatorem in eo fortasse esse deceptum, quod putârit, ita se habere observantiam Regulæ ad superioritatem, & successionem in ordine religioso, sicut se habet observantia mandatorum ad eandẽ superioritatem, & successionem in Ecclesia, quod falsum est: Quia proportio attendi debet in his, ex quibus substantialiter Ecclesia, & Religio subsistit, & per quæ quis de Ecclesia, ac de Religione efficitur: sive Ecclesiæ, ac Religioni incorporatur. Certum est autem, quem incorporari Ecclesiæ: per veræ fidei professionem, etiam seclusâ mandatorum observantiâ, ut patet de puero per Baptismi Sacramentum regenerato. Quemadmodum vice versâ constans est, neminem seclusâ veræ fidei professione posse ex quacumque mandatorum observantia effici de Ecclesia, aut Ecclesiæ incorporari, aut etiam incorporatum manere: Quia, ut dixi, ut quis de Ecclesia efficiatur, & effectus permaneat, necessarium est, ut Fidem suscipiat, & in Fide suscepta persistat. Indubitatum pariter est, neminem ex sola veræ Fidei professione effici Religiosum, aut Religioni incorporari, aliàs omnis baptizatus, ac Fidem professus, eo ipso esset Religiosus, aut de Religione, quod est falsissimum: sed ut quis Religioni incorporetur, omninò necessarium est, ut regulæ observantiam per votorum emisionem, sive vovendo profiteatur. Quod si, aut nunquam regulæ observantiam vovendo profiteatur, aut ab illa professione per apostasiam, seu habitualem inobservantiam recedat, desinet esse verus Religiosus, sicut desinit esse de Ecclesia, qui per apostasiam, aut hæresim manifestam recedit à fide: In hoc ergò inter Ecclesiam, & Religionem, quantum

ad præſens attinet inſtitutum, ſtat proportio, ac proportionis poteſtas.

Hinc item patentiſsimè liquet, vanam eſſe, vel potiùs malè applicatam illam Ordinis diſtinctionem à Speculatore inductam, in quantum ſcilicet dicit Regulam, aut Regulæ profeſſionem, & in quantum dicit Congregationem hierarchicam: Non quia unus ordo ſub his duobus modis conſiderari minimè poſſit; verùm quia ita ſeparare velle videtur Regulæ profeſſionem à Congregatione hierarchica, ut quælibet præcisè conſtituat ſuum ordinem ab alio diſtinctum, quod non ſolùm eſt falſum, ſed etiam impoſſibile: Nam Regulæ profeſſio, & Congregatio hierarchica non ſunt duo ordines, ſed duæ unius ordinis partes, quarum una ſe habet ad ordinem ſicut forma, ſive anima: altera quaſi corpus, ſive materia, ut alibi etiam advertimus: in præſentiarum verò evidentiſſimè oſtendimus, ducto argumento à præfata Eccleſiæ ſimilitudine: Nullus enim, qui ſit rationis compos, dicere unquam audebit, eſſe duas Eccleſias, Congregationem hierarchicam, & Fidem, ſive Fidei profeſſionem: ſicut ergò una eſt Eccleſia, Congregatio, & Fidei profeſsio, quæ proptereà ritè non præcisè Congregatio, ſed congregatio Fidelium, id eſt, unam Fidem profitentium, nuncupatur: Ita unus eſt ordo congregatio Religioſorum, id eſt, unam Regulam religioſam profitentium.

Hinc iterùm ſuâptè naturâ conſequitur, impoſsibile eſſe aliquem effici de ordine S. Franciſci priore modo, id eſt, quantum ad Regulæ profeſsionem, quin ſimul, & ſemel etiam poſteriore fiat: tum, quia forma naturaliter non poteſt eſſe extrà materiam (excipias interim animam rationalem propter pecu-

culia-

culiarem rationem) tum quia,ſtando in comparatione Eccleſiæ,non poteſt quis Fidei profeſsionem emittere, quin de corpore, aut congregatione Eccleſiæ efficiatur : tum denique, quia nullâ aliâ ratione poteſt quis effici de Eccleſia, quàm per Fidei profeſsionem : Quemadmodum ubi quis ſemel factus eſt de Eccleſia, non poteſt deſinere eſſe de Eccleſia, niſi per apoſtaſiam,aut receſſionem à Fide: ergò pariter implicat,quem profiteri Regulam S. Franciſci, quin fiat de Congregatione, aut Eccleſia, ſive Religione S. Franciſci; ſicut implicat vice verſâ, quempiam aliter incorporari tanquam membrum corpori Religionis S.Franciſci, quàm per profeſſionem Regulæ præſcriptæ,& inſtitutæ à S.Franciſco.Nec arbitror,quempiam ex Patribus de Obſervantia prætendere poſſe, aut profitendo Regulam S. Franciſci non effici de ejus Religione, aut aliter poſſe incorporari Religioni S.Franciſci , quàm per profeſſionem Regulę à S.Franciſco præſcriptæ,& inſtitutæ.

Dicet fortaſsè Speculator, non valere ſimilitudinem ac Eccleſia ad ordinem religioſum: quia Eccleſia una eſt univerſalis, extrà quam implicat aliquem eſſe, ita ut adhuc ſit in Eccleſia, & de Eccleſia, quia jam eſſet in Eccleſia, & extrà Eccleſiam : Religio verò non eſt ita una,ut non poſſit quis eſſe extra eam, etiam retinendo Religionis formam. Reſpondeo, ReligionemS.Franciſci ita eſſe unam,ut implicet,aliquem eſſe de Religione S.Franciſci , & eſſe ejus filium per ejuſdem Regulæ profeſſionem, & non eſſe de ejuſdem ſancti Franciſci ordine, aut congregatione : quia non aliter efficitur de Congregatione,quàm per profeſsionem,nec poteſt non eſſe de corpore, ſive congregatione,& ordine S.Franciſci,qui Regulam à

S. Francisco præscriptam, & institutam profitetur. Quare eo ipso, quod Speculator concedit, Capuccinos esse de ordine sancti Francisci uno modo, quia scilicet Regulam S. Francisci profitentur, compellitur concedere esse etiam altero, in quantum sunt de Congregatione ab ipso Seraphico Patre sub tali regula constituta: quia unum necessariò secum trahit & alterum. Exemplum autem, adductum à Speculatore de ordine Clarissarum, non facit ad rem: quia etiam omnes Sorores profitentes eandem Regulam S. Claræ efficiuntur de ordine eodem identitate numericâ, non autem solùm specificâ: Quod autem omnia Monasteria Clarissarum non faciant congregationem hierarchicam, est omninò per accidens: quia non potest constitui ordo hierarchicus cum potestate spirituali ex solis fæminis, cùm ejusmodi potestatis incapaces existant. Quare respectu fæminarum, in eo ordinis unitas attenditur, in quantum omnes ad unum primum principium, putà Beatam Claram, referuntur, cui omnes suo modo obedire tenebantur; unde cum alia, quantum ad hanc partem, sit ratio fæminarum, alia virorum, non libet à fæminis arguere ad viros, quia à disparatis non valet illatio.

Ex his, quæ in gemina præcedente quæstione ex clarissimis sunt cōprobata argumētis, tria breviter corollaria inferre libet.

Primum est ejusmodi, Congregatio Capuccinorum est verus ordo Fratrum Minorum à S. Francisco institutus. Probatur: Tria efficiunt verum ordinem, Congregatio hierarchica nimirùm, pura Regulæ observantia, & legitima successio; sed hæc tria concurrunt in Congregatione Capuccinorum: quod nim sit Congregatio hierarchica, nullus negare potest, cùm cōstet

ſtet ex ſubditis,& Prælatis, Guardianis, Provincialibus,&Generali. Quod etiam puram Regulæ obſervantiam profiteatur, concedit nobis ex ſua benignitate Speculator, prȩſertim pag.41.tota ergo difficultas eſt de tertio, nempe ſucceſſione, ad quam denegandã totus ubique Speculator intentus fuit: verùm id jam ex Chriſti revelatione,& alijs argumentis ſatis, ſuperq; probatũ eſt, præſertim verò ex verbis Bullæ Vrbani VIII. Pauli V. ac Tridentini Concilij, quæ non niſi per extorſionẽ, & impropriationem, ad alium ſenſum trahi queunt; ut idem Speculator cognovit, qui propterea vocem, ſive terminum ordinis, ut ad ſuum ſenſum trahere poſſet, impropriare non dubitavit.

Secundum corollarium. Is ordo, in quo pura Regulæ obſervantia viget, potiori jure vendicat ſibi titulum, aut nomen ordinis Fratrum Minorum, quam is, in quo obſervantia ejuſmodi minimè viget: etiam ſi fortaſsè is antiquior eſſet: Probatur: Vnumquodque magis eſt tale propter formam, quàm propter materiam; ſed obſervantia eſt ordinis forma, anima, & vita, & ſine qua corpus religionis mortuum eſſet, nec ipſius ordinis duratio, & ſucceſſio poteſt benè conſiſtere; ut loquitur etiam Speculator pag. 40. ergò: Cuinam verò ex tribus Congregationibus, Conventualium nempe, Obſervantium, ac Capuccinorum potiori jure, & ſenſu, titulus, ac nomen Fratrum Minorum, & S. P. Franciſci debeatur: Speculator quidem quæſt. 2. in fin. Ordini Obſervantium deberi prætendit: Nos tamen alijs potiùs judicandum committimus: Nam hæc Iuris quæſtio pendet ex facto, apud quam nimirùm ex his tribus Congregationibus magis ad litteram pura

Sera-

Seraphicæ Regulæ obſervantia vigeat; de quo tamen aliqua etiam alibi, ubi de triplici obſervantia, bona, meliore, & optima, verba fecimus.

Tertium corollarium: legitima ordinis, ac Prælatorum ſucceſsio bifariè poteſt ſalva conſiſtere. Primò, ſi à principio inſtitutionis uſque ad finem, id eſt, toto tempore, quo ordo in Eccleſia duraturus eſt, non ſolùm habuit ſuam materiam, ſed etiam formam, & animam, puram nempè obſervantiam: ita ut ſicut nunquam defuit corpus Congregationis: ita nunquam pura in eo regulæ obſervantia defuerit; & hoc modo, ſuppoſitis in ordine deformationibus, quas nullus negare poteſt, implicat, continuam, & nunquam interruptam in ordine ſucceſſionem perpetuò permanſiſſe: Nam nullâ ratione affirmari poteſt, continuè vivere corpus, à quo pro aliquo tempore anima dignoſcitur fuiſſe diſiuncta. Neque indignum cenſeri debet, aut à veritate alienum, quod ordo Seraphici P. Franciſci ei ſit fragilitati ſubiectus, ut poſſit aliquando ab obſervantia generaliter deficere, cui quælibet particularis Eccleſia pariter poteſt eſſe obnoxia, ut nimirùm deficiat à fide: Eſt enim ſolius Petri, & Eccleſiæ Romanæ privilegium, ut nunquam à fide deficiat. Atque adeò ſola Eccleſia Romana, & ſummus Pontifex illius Eclceſiæ Epiſcopus, hanc à Chriſto ſpecialem prærogativam obtinuit, ut nullo prorsùs tempore legitima ejus ſucceſſio deficiat, aut potiùs deficere valeat. Et hoc eſt valde notandum, propter Speculatorem, qui toties inculcat legitimam in ordine Seraphici Patris Franciſci, ejuſdem ordinis, ac Prælatorum ſucceſſionem ita integram, & incorruptam permanſiſſe, ut nullo umquam tempore defecerit: Si enim generalis

ralis in ordine obſervantia aliquando defecit, ita ut generali eguerit reformatione; & obſervantia eſt Seraphicæ Religionis anima; ac denique vera, ac legitima, quam Speculator ordini ubique ſemper vendicare intendit, ſucceſſio, qualis etiam in Chriſti Eccleſia invenitur, ſimilis eſt ei, quâ corpus ſimul & anima (verba ſunt Speculatoris pag. 50.) per diverſarum partium ſucceſsionem idem moraliter continuatur: Apertiſsimè liquet, continuam, & nunquam interruptam in ordine S. P.N. Franciſci ſucceſsionem jugiter minimè permanſiſſe.

Quid, ergo dices, ſibi vult? quod toties à Franciſcanis prædicatur, promiſſum nempe fuiſſe Seraphico Patri, quod ipſius Religio in Dei Eccleſia nunquam deficeret. Reſpondeo, me aliàs huic ſatisfeciſſe obiectioni, promiſſum videlicet fuiſſe Seraphico Patri, nunquam defuturos in ordine, qui purè, & ad litteram regulam obſervarent, ac pro ipſius obſervãtia zelarent, ut loquitur in propoſito etiam Speculator pag. 26. ſive promiſſam eſſe à Deo ſingularem ergà religionem, ob præclara, & inſignia Inſtitutoris merita, curam talem utique, ut etſi ad tempus à recto tramite deviare permitteret, non tamen in deformationis barathro diu permanere ſineret, quin potiùs ſibi aliquos ſervaret, qui pro tantæ matris honore, dignitate, atque nitore zelantes, eam in rectam, unde deflexerat, viam feliciſsimè perducerent; ut pariter in hæc ferè verba expreſsit Speculator pag. 67. Dixi, ferè; nam ipſe ubique ſemper privilegium hujuſmodi ad tuendam continuam, & nunquam interruptam in ordine ſucceſsionem interpretatur de generali ordinis obſervantia, quaſi Deus promiſerit, Religionem nunquam fore generaliter deformandam: Quod cùm falſum ſit, ut patet,

tum maximè ex toties citato testimonio Leonis, aientis ordinem per orbem universum penè mortuum aliquando fuisse: tum argumento petito ex generali Reformatione, quâ secundùm omnes historicos, & ipsum quoque Speculatorem, præsertim pag. 8. vers. *Invaluere* nonnihil, indiguit (Reformatio enim necessariò supponit deformationẽ, sicut resurrectio mortem) ne Christum infidelitatis reum, sive mendacem faciamus, fateri compellimur, Christum nil aliud pollicitum esse, quàm aliquos semper futuros puræ Regulę observantes, non obstante quâcumq; deformatione, nunquamq; ita permissurũ deformationes, quin statim reformationi locũ inveniat; & hoc est propriè in deformationis barathrum; ut pulchrè Speculator, eandem minimè labi permittere: Aliud quippe est labi in deformationis barathrum, hoc est absque reformationis spe deformari (in barathro enim, & in inferno nulla est redemptio, & spes redemptionis) quod non permittet Deus: Aliud non permittere deformari. Primum est verum, & ideò optimè à Speculatore assertum: Secundum est falsum, & ideò malè ab eodem ex primo illatum. Et de priore successionis ratione hactenùs.

Secundò, successio potest attendi tam in ordine sancti Francisci, quàm in aliqua particulari Ecclesia, per aliquam interruptionem: Quia nimirùm corpus Ecclesiæ, aut Religionis aliquando moritur deficiente fide, & observantiâ, quæ est ejusdem corporis anima, & forma, quo casu non potest Ecclesia, aut ordo succedere Ecclesiæ, & ordini, nisi purgatâ labe infidelitatis, & inobservantiæ, ut patet; factâ autem purgatione adhuc continuatur successio, non tamen per omnimodam interruptio-

ruptionem, ſed quaſi; ſive quia ordo,& Eccleſia, quo tempore fuerunt ſine fide,& obſervantia,nō computātur in ſerie genealogiæ: ſive quia eadē Eccleſia, & ordo, quæ priùs fuerant veluti mortua,per reformationem efficiuntur viva,ut aliàs explicavimus,ſimul & oſtendimus ex ipſa reformationis eſſentia; atque hoc modo , & non aliter ſucceſſio in Eccleſia , & Religione, quæ potuit aliquando deficere,& re ipsâ defecit , accipi poteſt; ut optimè Boverius,ſatis ex prædictis à Speculatore,& ejus impoſturis,quantum ad hanc partem,vendicatus. Reor autem ex affectu erga Seraphicum ordinem immoderato, vel etiam fortaſsè ex nimia eiuſdem ordinis æſtimatione , factum eſſe , ut Speculator tantam, ac talem ordini, ſive Eccleſiæ Minorum prærogativam,ut nunquam à pura Regulæ obſervantia deficere poſſet,ac re ipsâ minimè deficeret,attribuere voluerit,idq;Seraphico Patri à Chriſto Dño promiſſum fuiſſe contenderit : At non videt Speculator paris periculi eſſe,ſi,aut Eccleſia Minorū nimis exaltetur,aut plus debito deprimatur:ſicut enim, ut nuper etiam adverti,nulli particulari Eccleſiæ,etiā ipſis Apoſtolis traditæ,nec ulli Apoſtolorū(Petro excepto)dictum fuit,*Rogavi pro te,ut non deficiat fides tua*; verùm ſoli Petro,ac Romanæ Eccleſiæ,tamquam cæterārum Eccleſiarū matri,ac principi,hæc à Chriſto prærogativa fuit promiſſa:ob quā cauſā de ſola Eccleſia Romana indubitanter aſſeri poteſt, quod ſcilicet à Chriſto uſq; ad hæc tempora non defecit in fide, ac legitima Pontificū ſucceſſione,neq;uſque ad conſummationē ſeculi ſit defectura: Ita nulli Regulari Eccleſiæ(quæcumque illa ſit)à Chriſto promiſsū,aſſerere poſſumus,quod nunquā in pura Regulæ obſervantia deficeret : licet libenter concedamus, promiſſum fuiſſe

Seraphico Patri, ſemper futuros in ſua Religione aliquos, qui eandem regulam purè obſervarent, &c. Et hoc ad ſummum probant adducta à Speculatore, totâ quæſt. 5. ex hiſtorijs, & Chronicis Religionis: nullo autem modo probant, puram obſervantiam in ordine generaliter minimè defuiſſe: Imò ſi penitiùs attendantur, contrarium utique oſtendunt: vel potiùs probant hæc duo ſimul, quæ optimè utique cohærere poſſunt: ordinem nimirùm ita quidem generaliter ab obſervancia fuiſſe dilapſum, ut tamen ſemper in ordine extiterint aliqui, tam ex ſuperioribus, quàm ex ſubditis, qui virtutem colerent, obſervantiam zelarent, &c. Atque ſub hoc ſenſu facilè concedi poteſt, quod toties repetit Speculator, totũ videlicet ordinis corpus nunquam abuſus aliquos approbaſſe, aut à pura obſervantia defeciſſe, capiendo totum, prout nullum omninò excludit: Cum quo tamen benè ſtat, quod è diverſo ſæpiùs inculcat Boverius, ordinem nimirùm à pura Regulæ obſervantia generaliter defeciſſe: Quia unus, aut duo, imò neque centum; dicam ampliùs, neque una integra Provincia ordinem facit: nam ordo eſt congregatio perfecta ex pluribus Conventibus, & Provincijs invicem unitis; ut patet expreſsè ex ipſo Speculatore pag. 25. Quare, ut ordo dici poſſit deformatus, ita ut non egeat reformatione, non ſufficit, ut exiſtant aliqui reformatè viventes, etiam per unam integram provinciam: & vice versâ, ut ordo dicatur deformatus, ſic, ut egeat generali reformatione, ſufficit, ut obſervantia generaliter defecerit, etiam ſi per varios Conventus, ac etiam Provincias aliqui exiſtant ſanctè, & reformatè viventes.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Boverius aliqua sub persecutionis nomine in suis Annalibus inserendo contra veritatem, iustitiam, aut charitatem egerit.

SPeculator utique tria hęc opponit Boverio,ut patet,tum in Epistola dedicatoria,tum in præfatione,tum deniq; quæst. 4 in calce,ubi hæc habet. *Quapropter oportuisset ipsum suæ professionis memorem à scriptione talium abstinere,quæ non solùm à charitate: verùm etiam à veritate quàm longissimè aberrant.* An verò res ita se habeat, aliqua necessariò prælibanda sunt.

Et primò, Quid sit veritas,& quotuplex, de quo aliqua suprà in notandis circa titulum, ubi aliam veritatem scientiæ, aliam veritatem historiæ esse advertimus: Aliqua verò hoc potissimùm loco explicanda reservavimus.

Prælibandum ergò secundò,veritatem historiæ humanæ,de qua loquimur, non esse omninò certam, & indubitatam (hoc enim proprium est solius historiæ divinę, quæ à Scriptoribus sacris in sacris Codicibus enarratur.) Vnde quæcumque à Boverio in suis Annalibus referuntur, non tamquam legitima,& authentica, sive indubitata,sed tamquam probabilia,& humanâ fide digna accipienda sunt. Quod sufficit, ut Historiographus falsitatis notam effugiat , ut est apud omnes indubitatum.

Prælibandum tertiò , Ea, quæ ab Historiographo in sua historia narrantur, non facere probationem legitimam , & authenticam,atqui solùm doctrinalem , aut historialem;de cujus

utriusque probationis discrimine habemus in terminis Decretum Vrbani VIII. ubi de probatione miraculorum, & sanctitatis servorum Dei: habemus item celebrem Theologorum, ac Iuristarum doctrinam, geminam distinguentium interpretationem, legitimam unam, quæ ejusdem legislatoris auctoritate nititur; doctrinalem alteram, quę doctorum, sive Iuris interpretum testimonio fulcitur.

Prælibandum quartò, bifariè aliquid in foro exteriore, sive apud homines probari posse. Primò nimirùm strictè, instituendo processus, secundùm regulas Iuris, &c. quod est propriè probare iudicialiter. Secundò latè absque ejusmodi processus instructione, quod est probare historialiter, & extraiudicialiter. Primo modo procedit summus Pontifex, ubi de beatificatione, aut de canonizatione Sanctorum agitur: similiter omnis Iudex in causis iudicialibus, tam criminalibus, quàm civilibus. Secundo procedit Historiographus, simpliciter narrando, quę vidit, aut audivit à testimonijs fide dignis, &c. similiter scientificus, probando per rationes, aut auctoritates, quæ ad veritatem notitiæ, aut scientiæ spectant.

Prælibandum denique, Quid sit facere contra charitatem, aut iustitiam: quod tamen, cùm sit, saltem quoad prudentes, ferè per se notum, ulteriori hîc declaratione, aut probatione non eget: lubet tamen apponere ipsa Speculatoris verba. *Licet*, inquit, *amplior aliquantò facultas videri posset concessa historicis scribendi veritatem, quæ res uno in loco, & uno tempore publicas, poßint scriptis suis ad alia loca publicare, earumque notitiam, non obstante particulari detrimento, ob commune bonum, ad aliorum cautelam,*

ac posterorum instructionem, ad plures deducere, & quodammodo perennare. Non ob id tamen à iustitiæ, & charitatis legibus censendi sunt eximi, ut quidquid libet, scribere liceat; siquidem non solùm falsa scribere eis inhibitum est: verùm etiam occultos aliorum defectus, in præiudicium famæ, & honoris, propalare; incertos ex levi suspicione, vel malè fundata opinione, pro certis obtrudere, graviter lædit iustitiam. His prælibatis.

Supponendum est pręterea, quid sit propriè persecutio, & quidem persecutio multis actibus exerceri potest: unum tamen in præsentiarum ex Chronicis Religionis ad memoriam revocare contentus ero, quod de Seraphico Patre sacra Minorum Religio his ferè verbis insinuat: *dum pater hunc persequitur, latens dat locum iræ.* Et mox: *per tractum domi verberat plus cunctis furens pater obiurgans, vincit, carcerat, &c.*

Supponendum ulteriùs, verissimum esse, quod de Fr. Ludovico refert Boverius; nec denegat, aut denegare potest Speculator, Fratrem scilicet Ludovicum, cùm à Provinciali Ministro licentiam perquisijsset se conferendi ad aliquem locum, in quo iuxta mentem Seraphici Patris Regulam ad litteram observare valeret; nihil aliud à Ministro in suæ petitionis satisfactionem, quàm carceris mancipationem reportasse: videatur idem Speculator §. 3. de origine PP. Capuccinorum, ubi sic scribit fol. 17. *Sequenti anno 1526. provocatus Matthæi exemplo quidam Frater Ludovicus Forosempronianus, petijt ab eodem Ministro Provinciali Conventum pro sui reformatione; quo, primâ vice, non obtento, iterat eandem petitionem apud eundem Ministrum publicè coram Fratribus in Refectorio, instatque, ut ei licentia Matthæum Bassium accedendi concedatur; addens: si hoc sibi negetur, licentiâ*

quam

quam asseverabat à Regula sibi in hoc casu concessam, usurum, atque vel invitis superioribus Fr. Matthæum aditurum: quo agendi modo Minister offensus distulit responsum, donec seniores, & discretos Patres Conventus desuper consuleret, de quorum consilio Fr. Ludovicum in vincula coniecit. paulò pòst mitiùs, & amicabiliùs mittit agens Fratres, qui ei suadeant mutarè propositum, ac Ludovicum amphibologicè assentientem solvit à vinculis, benevolè, & humaniter excipit, omnemque favorem, si acquiescat, ei promittit. Non solùm autem Fr. Ludovicus, verùm etiam ipse P. Fr. Matthæus ejusdem Reformationis causâ fuit carceri mancipatus: imò etiam P. Fr. Franciscus Ælinus, ut videre est apud Boverium. Hoc jam supposito, non video, quânam ratione negari queat, hanc verè fuisse persecutionem pro iustitia, eidem consimilem, quam à proprio parente Seraphicus Pater sustinuit, de qua paulò antè: Quare nescio, quomodo Speculator Ministrum à persecutionis nota vendicare, & vice versâ Ludovicum culpæ, ac pœnæ reum constituere valeat, ut videre est pag. 105. ubi iterùm relatâ ex Boverio supplicatione Ministro factâ, ut locum Reformationi aptum deputaret, concludit: *Nihil ergò miri, sed summè rationabile fuit, quod propter hunc excessum, non exauditus, sed punitus fuerit.* Sistendum est tantisper hoc loco, & morosè considerandum tam grave piaculum quod carceris pœnâ condignè foret luendum. Speculator totam excessus gravitatem in duobus positam esse insinuat: primo, quod Fr. Ludovicus falsò improperavit Ministro, coram toto Conventu, generale totius observantiæ naufragium: secundo, quod minatus fuerit, si licentia petita denegaretur, se absque ea facturum, quod per Leonem X. verbis expressis erat prohibitum, ne videlicet absque expresso Ministrorum consensu novæ in ordine

ordine Reformationes inducerentur. Cæterùm pro ſincera hujuſce puncti intelligentia ſupponendum eſt, tanquam indubitatū, quod de Fr. Ludovico nuper ex Boverio, & Speculatore retulimus, ipſum ſcilicet Fr. Ludovicum ſemel à Miniſtro Provinciali privatè locum, in quo reformatè viveret, poſtulaſſe, quo non obtento, eandem petitionem apud eundem Miniſtrum publicè coram Fratribus in Refectorio iterat, inſtatque, ut ſibi licentia Matthæum adeundi concedatur; addens: ſi hoc ſibi negetur, ſe uſurum licentiâ ſibi in hoc caſu à Regula conceſsâ, &c. Itaque Fr. Ludovicus ex conſilio diſcretorum totius Conventus, talem, pro prætenſo illo exceſſu, pœnam ſubire compulſus fuit: ubi quæſo hîc benignitas, & charitas, ſecundùm quam præcipit S. Franciſcus cap. 10. à Miniſtris recipiendos, qui ad ipſos pro pura Regulæ obſervantia recurrunt? Niſi fortaſsè Speculator benignitatem, & charitatem baptizare velit, quod Fr. Ludovicus in vincula coniectus fuerit. Si fuit exceſſus, zeli, ac pietatis error fuit: & dato, at non conceſſo, Fr. Ludovicum verbis exceſſiſſe, cùm pro quantitate, & qualitate exceſſus, ſive culpæ, debeat eſſe pœna, ſecundùm omnia iura: Attendat hîc quilibet, qui non eſt affectione commotus, utrùm carceris pęna tali culpę reſpondeat: Sed quorſum illa Fratrum deſtinatio ad Ludovicum, ut ſuadeant mutare propoſitum? quorſum illa favoris omnis, ſi quieſcat, promiſſio? En quo tendebat incarceratio, ut Ludovicus defatigatus ærumnis, aut promiſſis, falſiſvè, & ſimulatis, an veris, Deus ſcit, incitatus, à ſententia de Reformatione quærenda deterreretur. Ait Speculator, Fr. Ludovicum falsò improperaſſe Miniſtro generali regularis obſervantię naufragium. Eſto, nunquid propterea

erat conijciendus in vincula? Dolet, quod minatus fuerit, ſe abſque licentia Matthæum aditurum, ſi ea denegetur, & hoc ſibi Regulâ permittente. Ponamus hæc omnia fuiſſe à Fr. Ludovico conficta: Nunquid, repeto, ob ejuſmodi verba veniendũ erat ad carceris verbera? Comminatio faciendi non eſt factum, ac proinde non eſt pro facto punienda: ſicut enim facta pro factis, ita verba pro verbis dare ſolemus, inquit Gloſſa quædam ſingularis: hic verò facta pro verbis accepit; nam conjectus eſt in vincula: cujus cauſa, perſecutionis ne titulo, an zelo juſtitiæ, alijs iudicandum relinquo: ad omnem tamen æquivocationem vitandam, ego perſecutionem dicerem materialiter, prout puto de ea loqui Boverium; quia non poteſt negari, eſſe actum perſecutionis ſubditum Reformationi, etiam nimio, ac indiſcreto zelo, vacantem carceri mancipare. Quod ſi cauſam carcerationis à Iure exquirere voluerimus, addemus doctrinam celebrem Iuriſtarum aientium: ubicumque effectum habemus, cauſam verò ignoramus, ab ea effectum productum præſumi, quæ eſt effectui proportionata: Cùm ergò pœna Ludovico inflicta (eſto etiam verè culpabilis extitiſſet) non correſpondeat culpæ; vindictæ potiùs livore, quàm zelo juſtitiæ, ventum eſſe ad carceres, in Iure probata præſumptio eſt. Quid poſt hæc ſperare poterat Ludovicus: ſi enim ſemel malus, ſemper præſumitur malus in eodem genere mali; & metus ſemel incuſſus, eâdem causâ permanente, ſemper adeſſe præſumitur: utique iuſtiſſimam cauſam habuit, aut eadem, aut etiam peiora à Miniſtro, & Fratribus ſuſpicandi, niſi fortè mutaret propoſitum, quod exſtimulante conſcientiâ non poterat, dicente S.P. Franciſco 10. regul. cap. *Et in quocumque loco Fratres ex-*

existant, qui scirent, & cognoscerent se Regulam spiritualiter observare minimè posse, &c.

Dices saltem debuisse Fr. Ludovicum ad Generalem Ministrum pro impetranda Reformatione recurrere, atque ab eodem expectare responsum. Sed, si fecit & hoc, ut verè fecit, teste eodem Speculatore, ex Boverio, utroque loco superiùs citato: Quid ulteriùs facere debuit? quid ad hæc respondit Generalis? verba suavitatis plena, quibus non contentus Fr. Ludovicus, aut moræ impatiens (ut verbis Speculatoris utar) scribit ad ordinis Protectorem, quo etiam se excusante, tandem absque alia licentia cum Fr. Raphaële noctu è Monasterio egreditur, Matthæum adit, simulque cum ipso Ducissam Camerini conveniunt, à qua litteris commendatitijs ad summum Pontificem acceptis, Romam veniunt, & à sua Sanctitate maxima cum facilitate, & benignitate obtinent, quod hactenùs à superioribus obtinere minimè potuerant. Quid in hac recursus serie culpæ inveniri potest, quod Fr. Ludovico adscribatur? à Provinciali enim habuit recursum ad Generalem, à Generali ad Protectorem, à Protectore ad summum Pontificem: Culpat nihilominùs Speculator fol. 18. quod moræ impatiens, noluerit aliquantisper expectare, quid circa Reformationem, quā brevi futuram Generalis suo responso pollicitus erat, resolveretur: Culpat, quod absque licentia contra Bullam Leonis, &c. à Monasterio, Reformationis inducendæ causa, recesserit. Culpat hic tertiò, quod falsò summo Pontifici narravit, non posse ulteriùs cum sana conscientia in Observantium domibus immorari. Primum facilè eluitur: Peto enim, quid sit hoc aliquantisper expectare; si enim

post acceptum Generalis responsum scripsit ad Protectorem, & ab eodē responsum accepit, id fieri non potuit absque aliquo temporis intervallo; & cùm ageretur de periculo animæ, quod moram non patitur, optimè moræ impatiens fuisse conceditur. Prætereà, quod solùm verba in Generali suspicari valeret, iustissima causa erat, sibi certò persuadens, Ministrum Provincialem de his, quæ nuper ab ipso in Ludovicum acta erant, Generalem certiorem fecisse, & exitus actus probavit: nunquam enim de facto actum est cum Ludovico, ut ei locus Reformationis concederetur. Secundum, quod toties in Ludovicum Speculator improperat, quod scilicet absque obtenta licentia recesserat, faciliùs extruditur: Cùm enim Leo in Clementem potestatem minimè haberet, iuxta illud: par in parem non habet imperium: Bulla Leonis non potuit retrahere Ludovicum, ne à Clemente novam Reformationem exquireret. Quod verò absque licentia è Monasterio recesserit, cùm se à Ministro Provinciali notabiliter gravatum agnosceret, à quo certè licentiam ampliùs se obtinere posse animo desponderet, nullius certè culpæ esse potuit, eâ non obtentâ, abire: ubicumque enim in Iure cavetur, non sufficere petere licentiam, nisi etiam obtineatur: ejusmodi regula habet exceptionem in casu, in quo non solùm iniustè licentia denegatur, verùm licentiæ loco mala ulterius irrogantur, prout in casu nostro. Tertium jam satis abactum fuit; cumque sit quæstio facti, in quo alter aiebat, observantiam non vigere: alter contra affirmabat: iuremeritò res delata fuit ad summum Pontificem, ex parte Fr. Ludovici, cui Bulla ab ipso Pontifice data ita favet, ut nisi aliunde probetur, omnis subreptionis præsumptio

tio excludatur. Et de Fratre Ludovico hactenùs.

Quid ad hæc dicet Speculator de carceratione P. Fr. Francisci Æsini, & P. Fr. Matthæi de Bassio, qui & ipsi eadem de causa, propter reformationis zelum nimirùm, in vincula coniecti fuère. Videat ergò, utrùm, an non, ejusmodi persecutiones verè censeri debeant? Sed dicet, non omnia vera, sunt litterarum monimentis consignanda, præsertim autem occulta. Fateor, & quantum est in me, sive vera, sive occulta, sive non, quæ Boverius suâ narratione in Annalibus complexus est, vellem, aut omninò ab ejusmodi enarrandis abstinuisset, aut maiori brevitati, quantum historiæ veritas patiebatur, studuisset; sed num properteà malè fecit, aut contra charitatem, & iustitiam? planè non puto, maximè suppositâ veritate: tum quia non possunt censeri occulta, tam publicè facta, tum quia vere nullum damnum sequitur, aut contra personas, aut contra ordinē: Alioquin, quomodò excusari posset ab ejusmodi, Auctor quartæ partis Chronicorum, quem tantoperè Speculator commendat, qui maximè in principio illius voluminis, sepiùs Reformatos ab alijs Patribus de Observantia malè fuisse tractatos, afflictos, & angustiatos inculcat; licet fortasè non utatur formali nomine persecutionis, quod certè parum interest. Videatur lib. 1. c. 3. ubi dicitur, Observantes contra Reformatos apud Regem Hispaniarum multum institisse, & in margine habentur hæc verba: *Riformati sono travagliati dalli Osservanti.* Rursum c. 4. *gli Osservanti s'oppongono con ogni sforzo al Ministro, perche non favorisca la Riforma.* Et paulò pòst: *Riformati travagliati, dispersi, &c.* Et alia ejusmodi leguntur etiam primâ parte Chronicorum. Sed enim cæteris omnibus prætermissis, pauca quædam ex

multis, quæ de similibus persecutionibus tertiâ Chronicorũ parte hinc inde R.P.Marcus Vlyssiponensis ex familia Observantium Auctor Chronicorum, celebrisq; apud omnes Historiographos habitus, scripta reliquit, in medium afferre contenti erimus. Inprimis itaque hæc formalia habet: *Hebbe da questo admirabile Padre suo cominciamento la famiglia della Riforma della Osservanza, à cui non mancorno ne'. primitempi travagli, essendo fieramente balestrata dalla Communita dell' ordine, &c.* Et paulò pòst. *Successore al B. Fra Giovanni in questa santa Riforma fu fra Gentile da Spoleti; questo vedendo non potere nell' Osservanza, è purità della Regola con li compagni perseverare, è vivere, supplico il Papa, che volesse concedergli qualche luogo, dove, potesse custodire la purita della Regola, non osservata nell' ordine con quella poverta, chela fondo il Padre S. Francesco.* Ne autem aliquis fortasse obijciat, Auctorem ejusmodi Chronicorum ita quidem narrare tribulationes, quas Observantes à Conventualibus, præsertim ab exordio reformationis passi sunt, ut tamen nunquam easdem persecutionis nomine appellare ausus fuerit, prout ubiq; semper easdem appellat Boverius; licet, ut aliàs advertimus parum referat, quovis nomine eas appellet: quia non ex nomine res suam trahit essentiam, sed potiùs res secundùm suam essentiam nomen sibi vendicat: unde quod Moyses Gen. 21. ludum nominat, ibi: *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac.* Paulus ad Gal. 4. persecutionem appellat, sic fatus: *Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnẽ natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, &c.* Nihilominùs respondetur etiam sub nomine proprio persecutionum ab eodem Auctore describi, ut videre est potissimùm toto cap. 29. ibi: *Ricorsero i Frati Minori di Francia à questo Concilio, come zelosi della*

della Riforma dell' ordine, à domandare rimedio di poter vivere nell' osservanza della Regola da essi professata, la qual cosa non potevano fare per la persecutione fattagli da' Ministri, è Prelati Conventuali. Et infrà. *Si perseguitarono malamente, &c.* Et rursũ. *per questa persecutione gli Osservanti furono sforzati di ricorrere al Concilio Constantiense.* Et iterùm c. 61. *In questo tempo gli Osservanti passorno molte tribulationi, è persecutioni di Conventuali.* Et iterùm lib. 3. c. 50. ibi. *Come haveva à portarsi co' suoi nemici, che non volevano mai cessare di perseguitar la sua fameglia.* Loquitur autem de Patribus Conventualibus, quos & inimicos, & persecutores familiæ Observantiũ, etiam inimicitiæ titulo appellat, quo profectò vix aliquid peius in proposito esse, aut dici posse videtur. Quod si fortasè aliquis dicat, allegare inconveniens, non esse solvere. Respondeo, non ideò hæc à me allegari, quia sint inconvenientia, imò potiùs, ut ostendam nec esse, nec hactenùs à quopiam ut inconvenientia fuisse habita, quasi cõtra charitatem, aut iustitiam, aut historiæ veritatem pugnantia: Atq; hinc propterea optimè arguo, neq; pro inconvenientibus, aut justitiæ charitati, & veritati pugnãtibus, in Boverio fore, aut esse habenda, cũ lex veritatis, charitatis, & justitiæ, nõ minùs ceteros, quã Boveriũ, obstringat, est enim lex divina, ac naturalis.

Quoniam verò huc sermo noster persuasit, lubet rem planè mirabilem in hujus calce quæstionis adnotare: Inter oppositiones, quas Patres de Observantia Boverio inurunt, hæc, quas ipse vidi, & in manibus habui, reperiunt: Quod scilicet PP. Cõventuales iniuriosè tractet. Primò illis verbis ex pag. 377. num. 30. *Generalis verò Magister, ne arctiori regularis observantiæ iugo suos subiugaret, ab ordinis sigillo, quàm à privilegijs maluit abstinere.* Secundò, his alijs verbis ex pag. 597. num. 13. *Minores Conventuales ob*

Regulæ inobservantiam à Primatus honore, atque à vera B. Francisci successione deturbatos fuisse, ipsosq́; solos non esse veros S. Francisci filios. Hęc de Conventualibus malè à Boverio tractatis. Eodem modo Boverio opponunt, quod adhuc iniuriosiùs ipsos RR. Patres de Observantia afficiat: Primò quidem, asserendo, Patres de Observantia in primos Cappuccinos iniustè persecutiones concitasse. Secundò, ordinem ipsorum fuisse ab observantia dilapsum gravesq́; abusus signanter contra paupertatem in ordine, conniventibus etiam superioribus, fuisse introductos, specialiter verò Boverium notat, eò, quia dicit pag. 881. num 13. quod cellaria, & granaria passim in ordine admitterentur. hæc, inquam, profectò res mirabilis est, quod ejusmodi in Boverio corrigenda prætendant illi, qui eadem in suo Speculatore approbant. Legātur, quęso, quæ de PP. Conventualibus Speculator in suo speculo scripta reliquit, primò pag. 14. ibi: *Cumque in illo*, id est generalissimo Capitulo. *Conventualibus à Commissarijs Pontificis proponeretur, an ad modum vivendi Observantium transire vellent, id ferè omnes unanimiter renuerunt, ac protestati sunt, se velle frui privilegijs, &c.* Deinde pag. 15. ibi: *E contrà Patres Conventuales post maturam deliberationem resolverunt se malle in antiquo more cum privilegijs vivere, quàm ad Observantium viam transire.* Pręterea pag. 27. ibi: *Cæteros verò Patres, & Fratres, qui nolebant Regulam S. Francisci purè, & ad litteram observare, à corpore ordinis sequestravit in aliud Religionis corpus, sub nomine Minorum Conventualium, adiudicato sigillo ordinis Generali Ordinis Observantium, tamquam legitimo B. Francisci successori.* Quid, quæso, hæc aliud sonant, quàm PP. Conventuales noluisse arctiori regularis observantiæ iugo se ipsos subiugare? atque ob Regulæ inobservantiam à verà B. Francisci successione fuisse deturba-

deturbatos? ac demum maluisse ab ordinis sigillo, quàm à privilegijs abstinere? Legantur præterea, quæ de ordine Conventualium scribit Speculator pag. 38. ibi: *Essetne aliquis, qui dicere audeat, Conventualium ordinem, &c. esse à B. Francisco institutum? hoc sine blasphemia vix arbitror posse affirmari.* Iunctis, quæ pag. 27. tradiderat, ubi concludendo hæc habet: *En verum ordinem Fratrum Minorum.* Loquitur de ordine Observantium per comparationem ad ordinem Conventualium, jam ab ipsis Observantibus sequestratum. Quid papę hæc aliud important, quàm ordinem Conventualiũ nõ esse verum S. Francisci ordinem? ac proinde ipsos Patres Conventuales non esse veros S. Francisci filios: In eo ergò dumtaxat Speculator Boverium superat, quod Boverius solos PP. Cõventuales à vera filiatione, & legitima S. Francisci successione excludit, cùm Speculator vice versâ solos Observãtes veros S. Francisci filios, ac legitimos ejusdem successores, & solùm ipsorum ordinẽ verum esse contendat, excludendo tam Conventuales, quàm Capuccinos. Superat etiã Speculator Boverium; Nam Speculator pag. 148. ait, Patres Conventuales abusus contra Regulæ observantiam, quantum ad vestium mollitiem, & pretiositatem, habuisse, contra quorum abusus Observantes ferventer zelasse adiungit. Itaque Conventuales indefinitè sugillat de abusibus contra Regulam; cùm tamen abusus vocari non possit, quidquid legitimis privilegijs efficitur. At de Conventualibus hactenus, quos certè Boverius nusquam tam acriter sugillavit.

Quod attinet ad Patres de Observantia, quos item à Boverio iniuriosè tractatos opponunt, &c. Inprimis idem Speculator, ut patuit, factum persecutionum concedit, nempè Ludovi-

cum, & alios in vincula fuiſſe conjectos: Quemadmodum item, magna ſaltem ex parte fatetur ordinem fuiſſe deformatum, relaxationeſque, & abuſus contra obſervantiam irrepſiſſe, ita ut penè emortuus eſſet. Et quod ſpecialiter ad cellaria, & granaria ſive annuas proviſiones ſpectat, quæſt.20.in ordine fuiſſe admiſſa non negat: ſolùm verò ejuſmodi cellaria, & granaria habere, non eſſe abuſum contra Regulæ puritatẽ, ut Capuccini, & Boverius prætendunt, ibidem oſtendere, & declarare conatur: ſed hæc eſt quæſtio juris: habere autem cellaria, & granaria eſt res facti. Itaque Speculator, ſicut & Boverius, concedit factum: Ac propterea non video, quâ ratione aut opponere poſſint Boverio, aut prætendere corrigi debere in Boverio, quod ipſimet approbant in Speculatore, niſi fortaſsè opponere velint Boverio, quod annuas proviſiones cellaria vocet, & granaria, quæ planè, ſi in ſolo nomine perſiſtamus, eſt nullius oppoſitio momenti: Nam abuſus contra Regulæ puritatẽ, de quo tota eſt querela, cõſiſtit in re, non nomine: Regula quippe ipſas annuas proviſiones prohibet, nõ granaria, vel cellaria materialiter sũpta; Nec primi Capuccini, aut Boverius Patribus de Obſervantia objecerũt, quod circa tẽpus exortæ reformationis granaria, aut cellaria materialiter haberent; verũ, quod annuas proviſiones facerent, ut patet ex ipſo Speculatore, totâ eâ quæſt. 20. cujus titulus eſt, *An proviſiones annuas, &c.* Quod ergò Speculator annuas proviſiones vocat Boverius granaria, & cellaria appellat, prout etiam appellat Clemens V. in Clementina, imò etiam ipſa ſacra Scriptura, accipiendo loca, in quibus proviſiones ejuſmodi detineri, & conſervari ſolent, qui eſt frequentiſſimus in omni genere loquendi uſus. Itaque negari non

poteſt

poteſt, à Speculatore admitti, quod Boverio iniuritur.

Si dicas Boverium prætereà uti termino, *paßim*, à quò Speculator abſtinuit. Reſpondeo, eodem ſenſu uti Boverium termino, *paßim*, in propoſito, quo pariter utitur Speculator pag. 50. ibi: *quæ Boverius paßim, &c.* unde non vult dicere, quod granaria, & cellaria ubique indiſtinctè admitterentur, quo ſenſu accipi ſolet terminus, *paßim*, in Iure: ſed vult dicere, quod generaliter admittebantur ejuſmodi annuæ proviſiones in ordine; quod etſi Speculator expreſsè non affirmat, neque tamen negat, quia non tam fuit ei curæ, ac cordi, quid fiat, quantum ad annuas proviſiones in ordine Obſervantium de facto, quàm quid Iuris de ipſis annuis proviſionibus, quas utique fieri indubitatè ſupponit: Solùm ergò, ut dixi, probare contendit, ejuſmodi non eſſe abuſum contra Regulæ puritatem. Quid plura? Speculator utique non minùs iniuriosè tractat, non dicam Boverium, ipſum audacem, ſive audentem, inſtar pictoris, & Poetæ appellans, ut pag. 27. Et 51. ſuæ ſalutis immemorem. ibidem, revelationes fallantem, ut pag. 102. ſed Capuccinos, abuſus obijcientes, obloquutores, ut pag. 143. ibi: *videant hìc obloquutores, &c.* Ex quibus omnibus ritè conſideratis concludere libet (ut tandem finē quæſtioni faciamus) remanere probatum, Boverium neque falſa contra veritatem, neq; aliqua eorū, quæ Speculator eidem opponit, contra charitatem, aut juſtitiam, ſuis Annalibus inſeruiſſe. Quod non falſa contra veritatem, patet: Quia, ut dixi, neque ipſe Speculator negare poteſt, aut negat, Fr. Ludovicum, & alios fuiſſe carceri mancipatos, ordinemq́; fuiſſe deformatū, ita ut Reformatione eguerit: Ac ſimiliter in ordine annuas proviſiones, ſive cellaria,

& granaria fuisse admissa,&c. Quod verò neque contra charitatem,aut justitiam,hoc ferè modo ostenditur: Lex charitatis, & justitiæ,divina prorsùs,ac naturalis existit,sicut etiam Lex veritatis; atque adeò omnes ad sui observantiam obstringit: si ergò reus esset Boverius violatę charitatis,& justitiæ,describendo persecutiones,& lapsum ordinis: cur non esset reus Auctor tertię partis Chronicorũ,eadem omninò,imò etiam fortassè maiore notâ persecutorum,sive persecutionũ Patres Conventuales in Observantes passim afficiens? Cur,inquã,non foret reus violatę charitatis,& justitiæ idemmet Speculator improperans PP. Conventualibus abusus cõtra Regulę observantiã,& alia,prout suprà,imo ipsũ quoq; ordinis lapsũ taliter describens,ut ferè emortuũ fuisse constanter asseveret! Cur nõ item existeret reus violatæ charitatis, simul ac justitiæ & charitatis Reverendissimus P. Gabriel Faber,qui in libello cõfutationis fol.29.talia satis quidẽ consideratu digna ad rem nostrã scripta reliquit. *Reformatio Capuccinorũ cœpit contra dispositionem Bullæ Leonis, & contra intentionẽ Ministrorum Observantiũ,quod dura nimis, & longa persecutio,quã Observãtes in eos gratis excitarunt,probè ostendit.* In his paucis verbis, plura planè hic Auctor de persecutionibus uno loco cõplexus est,quàm pluribus,& prolixâ oratione Boverius expresserit: Nã inprimis asserit, excitatã esse in Capuccinos à Ministris Observantiũ persecutionẽ. Secundò,durã nimis,& longã fuisse: tertiò, iniustam; id quippe relevat terminus ille, *gratis*, iuxta illud: *Quia odio habuerunt me gratis*; Et *Principes persecuti sunt me gratis.* Quod tãdem ipsa persecutionis causa magis ostendit,quia fuit ad impediendam reformationẽ,quam Ministri nolebant. Nec tamen, aut ipsum Speculatorẽ, aut Patres de Observantia credo id facilè

cilè admiſſuros,ſaltem de ſuis:quod nimirùm Auctor Chronicorũ,aut Speculator rei exiſtant violatæ veritatis, charitatis,& juſtitiæ talia narrãdo,qualia Boverius:Cur ergò magis reũ prætendant eſſe Boverium,cùm præcipuè Boverius ejuſmodi videre potuerit apud præfatos omnes; præſertim apud Fabrum,cujus liber impreſſus fuit anno 1629. cùm Annales Boverij ſolùm anno 1632.

Quod autem prædictus P. Gabriel de diſpoſitione Bullæ Leonis attigit,infrà opportuniùs diſputabitur,ubi oſtendemus, Reformationem Capuccinorum minimè contra ejuſmodi Bullæ diſpoſitionem eſſe introductam. Interim concludendo ſtatuimus, Boverium nil eorum, quæ ei Speculator opponit, aut contra veritatem,aut contra juſtitiam,& charitatem ſcripta tradidiſſe: An verò alia, & ex alio capite correctione digna, ijs,ad quos ſpectat,iudicandum relinquo, quorum etiam iudicio mea omnia ſubiecta eſſe volo,atque ſubijcio.

Libet tamen adhuc aliquid ampliùs, ad hanc veritatem roborandã adijcere: ſi enim abuſus adverſus aliquam cõmunitatem in genere ſcripturæ committere eſſet peccatũ contra legẽ charitatis,aut juſtitię,videri poſſet quodammodò reus violatæ charitatis,& juſtitię,Moyſes deſcribens in ſua Mundi hiſtoria, totius Mundi lapſum,inquiens omnem carnem corrupiſſe viã ſuam,& terram iniquitate fuiſſe repletam. David prętereà clamans:*omnes declinaverunt,nec eſt,qui faciat bonũ,&c.*Et adhuc magis ad rem Euangeliſta Ioannes,inquiens, totum Mundum poſitũ eſſe in maligno:quâ loquendi phraſi,etſi fortaſsè exaggerativâ, nullus iure cenſeri poteſt offenſus : neque per hoc excluſum creditur, quod ſemper in Mundo aliqui fuerint Deo accep-

ti, divina ipsius mandata servantes; ut patet ex ipsa Genesi, ubi adhuc Noë in suis generationibus vir iustus fuisse describitur, prout etiam Boverius in ordine quantumvis deformato, semper aliquos, & plures Regulam adlitteram servantes fuisse, ac futuros esse commemorat, iuxta promissum S. P. Francisco factum, de cujus intelligentia alibi: Ideò illæ locutiones, etiam si videantur universales, aut intelliguntur de generibus singulorum, aut salvo iure bonorum. Suppositâ ergò semper veritate historiali, quæ est veritas humana, non divina (loquendo de ea, quam Boverius contexuit) nullâ ratione censeri potest à charitate, aut justitia alienum, ut Speculator prætendit, quod dixerit irrepsisse abusus in ordine, ita ut omnes à pura declinarent observantia; sive ut totus ordo positus esset in abusu, sive quod repletus esset ordo abusibus, &c. Quia hæ sunt usitatissimæ sacræ Scripturæ, ac divinorum Scriptorum loquendi phrases, in quibus nil utique correctione dignũ, non solùm contra veritatem, de qua non est ambigendum, utpotè quæ sit historia divina; sed neque contra justitiam, & charitatem invenitur.

Sed enim legant quæso, aut saltem audiant, & attentè perpendant, quid de ordine Seraphici Patris Francisci Leo X. Pont. Max. in Bulla, *Ite & vos*, quæ omnium videtur esse epitome gratiarum, quam propterea ad ordinis indeficientiam, continuamque, ac nunquam interruptam successionem comprobandam toties Speculator cum suis in medium afferre fategit, scripta reliquerit: *His* (verba Bullæ) *successerunt viri Religiosi, qui duce B. Bonaventurâ muros huius vineæ, Seraphicæ nimirum Religionis, jam utrinque ruinam minantes, horâ tertiâ reparârunt.*

pararunt. Post hos, veluti horâ sextâ, prodierunt spiritu ferventes Fratres nonnulli, qui à sacro Viennensi Concilio, tamquam à Deo, missi, & confortati enervatam penè disciplinæ censuram ad sua principia revocaverunt: Horâ verò nonâ, moriente Domino, surgentibus indies malis, & scandalosis huius vineæ agricolis, suscitavit Dominus spiritum adolescentis, aliquorum videlicet Fratrum, qui signifero nominis IESV *B. Bernardino ductore, & præside; sacri Constantiensis Concilij freti præsidijs, languentem, imò penè mortuum, per orbem universum ordinem vivificarunt.* Hactenùs Pontifex de ordinis lapsibus, ac deformationibus, & reformationibus: Porrò nescio, An quis ipsum quoque Pontificem, talia de ordine promentem, quod scilicet non modò langueret, verùm etiam penè mortuus esset, & non quidem in una orbis parte, sed per universum, reum violatæ veritatis, charitatis, aut justitiæ, facere, aut asserere ausurus sit: Reor tamen, neque ipsum Speculatorem, aut alium ex suis id admissurum: Supposito nihilominùs illorũ fundamento, ordinem nimirùm nunquam fore deformandum, sive à pura observantia relaxandum, esseque contra charitatem, justitiam, ac veritatem talia de ordine narrare, aut scripturæ committere, necessariò videtũr esse fatendum, sed absit à nobis, quod tantum, ac talem Pontificem reum esse censeamus. Quid igitur? Dicemus ne summum Pontificem sibi ipsi esse contrarium, eò quòd in una Bulla sacram Fratrum Minorum Religionẽ, veluti propriam cælestis Patris vineam esse affirmet, ad quam excolendam, hoc est, ab abusibus, & alijs, quæ ipsam vineam languidam, enervatam, desertam, ac penè mortuam faciunt, purgandam, sanandam, & vivificandam cultores, sanctos scilicet Fratres Reformatores, per omnes, ac singulas diei horas

Deus

Deus hujuſce vineæ Dominus mittere curavit :- In altera verò incipiente, *licet alias*, ordinem in pura Regulæ obſervantia ſemper fuiſſe, ac ſine aliqua interruptione, ſive diviſione, divinâ favente gratiâ, futurum eſſe innuat; Apage, non eſt planè ſummus Pontifex ſibi ipſi contrarius: verùm, ut nos aliàs quoque advertimus, ſignificare voluit, ordinem Seraphicum inſtar cujuſdam vineæ eſſe, quæ deficientibus cultoribus, ſuccreſcentibuſque propterea inobſervantiæ vepribus, ſpinis,&c. foret deformanda: ita nihilominùs, ut Deus ſemper cultores tranſmitteret, qui vineam præfatam, id eſt, ordinem ferè collapſum, languentemvè, ac penè mortuum, ſanando, & vivificando ad priſtinum revocarent: Ita pariter, ut nullo unquam tempore deeſſent in ordine taliter languente, &c. etiam multi Fratres zelantes, Regulamue purè, & ad litteram ſervantes: quæ duo invicem optimè cohærent, ut ex alibi traditis liquet: Quemadmodum etiam mirè cohæret, quod ſine aliqua interruptione, ſive diviſione à tempore editæ Regulę uſque ad pręſens, & etiam in futurum, extiterint veri obſervatores; quia etiam ſi unus tantùm exiſteret Frater Minor in toto ordine, qui eſſet puræ Regulæ Obſervator, in eo quodammodò cenſeri poſſet, continuari puram Regulæ obſervatiam, quod Seraphico Patri promiſſum fuiſſe concedimus: Cum quo tamen ſtat, ordinem debuiſſe languere, &c. unde quod dicitur, ordinem per totum orbem aliquando fuiſſe languentem, ac penè mortuum, non excludit, quod in ordine taliter languente, &c. nullus penitùs verus puræ Regulæ obſervator extiterit: ſicuti ex eo, quod aſſeritur, ſemper in ordine fuiſſe, ac futuros eſſe aliquos, imò & multos puræ

Regulæ obſervantes, non excluditur, quod ordo etiam per totum orbem languerit, ac penè mortuus fuerit. Pulchrè propterea Pontifex ordinem ſimpliciter languentem, non autem ſimpliciter, ſed penè mortuum appellat; licet enim inobſervantia ordini mortem afferat, quia tamen ſemper aptus eſt per reformationes vivificari: ideò infirmari potiùs, quàm ſimpliciter mori, aut mortuus eſſe perhibetur, ut alibi etiam explicavimus. Dicitur etiam penè mortuus: quia niſi Deus ſuâ miſericordiâ ordini languenti ſubveniret, immittendo Reformatores, &c actutum ad mortem corrueret.

QVÆSTIO. IX.

Vtrùm Boverius talia interdum inveriſimilia in ſuis Annalibus apponat, quæ ex illo capite præcisè eundem falſitatis ſuſpectum reddant.

SVppono, alia eſſe inveriſimilia facti, alia inveriſimilia Iuris: Quo ſenſu ea opinio inveriſimilis eſſe cēſetur, quæ ſaltem ex aliqua apparente ratione, ſive auctoritate comprobata non ſit. Suppono item inveriſimilia in Iure non tam inducere falsū, quàm falſi ſuſpicioné, quæ duo ſunt valde inter ſe diverſa, ut per Iuriſtas in l. 1. §. ſi quis neget. ff. quemadm. teſt. & in c. fin. de crim. falſ. ſicut autem varius eſt inveriſimilitudinis gradus, ita varia, quæ ex his oritur ſuſpicio; prout pariter eſt tritum in Iure. Quibus ſuppoſitis, quæ à Speculatore, tanquam inveriſimiliter per Boverium narrata ſunt, breviter examinare oportet.

Duo occurrunt, quæ Speculator veluti inverisimilia in Speculo objicit, aut repræsentat.

Primum inverisimile est, quod de dura summi Pontificis Clementis VII. in Reverendissimum Patrem Ioannem Pisottum Ministrum Generalem increpatione scribit Boverius, & congerit Speculator totâ quæst. 12. sub titulo, *An sit verosimile, &c.* & primò inverisimilitudinem colligere gestit ex illis Boverij verbis: *Pontifex, qui eo usque Religionis rebus leviter animum intenderat*: Ait enim, hæc verba præterquam quod omnes licentias, &c. ab isto Pontifice à Capuccinis impetratas, suspectas efficiant; in ipsius Pontificis insuper ignominiam redundare: Inverisimile est ergò, quod de Pontifice ait Boverius, ipsum nimirùm leviter Religionis rebus animum intendisse.

Secundò inverisimilitudinem conatur ostendere ex eo, quod ait, Pontificem simul increpasse Ministrum Generalem: ac nihilominùs Generalē iterùm cum suis novas apud eundem Pontificem adversùs Capuccinos transmisisse querelas; si enim Pontifex Ministrum tam acriter increpaverat, quomodo credibile est (nisi dicamus ipsum insanijsse) iterùm cum Pontifice contra Capuccinos agere voluisse. Prætereà ait inverisimile, imò etiam falsum esse convinci, quod scribit Boverius, Pontificem nimirùm, pertæsum de hujusmodi litibus, duobus Cardinalibus causam commisse, &c. si enim Pontifex jam ad favorem Capuccinorum sententiam diffinitivam protulerat, ut quid rursùm causa fuerat Cardinalibus committenda? Et quia de commissione Cardinalibus facta dubium esse non poterat, cùm id expresè habeatur in Bulla de, & super hâc re editâ: inde

de Speculator infert, falsum esse, quod de ejusdem litis diffinitione à Pontifice verbo tenus facta Boverius glorianter affirmat.

Tertiò ait inverisimile esse, quod de unione, ac subiectione Capuccinorum ordini Observantiæ à prædicto Ministro Generali apud Pontificem præstitum narrat Boverius: Quomodo enim verisimile est, ait, voluisse Generalem prætendere superioritatem, & subiectionem Capuccinorum, quos idem Pontifex immediatè antè ipsi Generali odio plusquam vatiniano esse infensos asseruerat: *Non videntur hæc* (inquit Speculator) *alicui in mentem posse incidere, minus tanto, ac tali superiori, tali, ac tantâ prudentiâ prædito.*

Quartò ait, inverisimilia esse, imò præcedentibus omninò contraria, quę de eodem Generali agente apud eundem Pontificem scribit Boverius, nempè Generalem, obtentis à diversis Principibus litteris ad Reformationis interitum, eas Pontifici pręsentasse, qui, omnibus lectis, primùm quidem hæsit animo, quid foret faciendum: postmodùm verò Capuccinos de medio tollere deliberavit; at repentinâ, & mirabili tempestate perterritus, consiliũ quidem de Reformatione delenda mutavit: ad morem tamen in aliquo Principibus gerendũ, omnes Capuccinos ad tempus ab urbe deijcere decrevit, quod & factũ est. *Quis hæc tam inter se pugnantia, tamque indigna Pontifice credere potuit?* exclamat hic Speculator: si enim Pontifex jam agnoverat odiũ Patrũ Observantium in reformationem, unde & tam durè Generalem increpaverat, quippe qui reformationi obsistebat, an non ex se ipso tot litteras Regum, & Principum ab Observantibus ad Reformationis ruinam subreptitiè procuratas fuisse,

excogitasset? vel credi potest, Pontificem sententiam, semel à se justè, & maturè prolatam, propter homines, tam brevi post tempore, secundo scilicet anno, contra Deũ, & conscientiam retractare voluisse? His ferè similia protulerat idem Speculator quæst. 8. pag. 74. Concludit tandem post hujusmodi inverisimilia in medium allata: *En quo tales fabulæ suos Auctores deducunt! ut vel necesse sit, summum Pontificem levitatis, imò & iniquitatis arguere, utpotè qui contra manifestam iustitiam, ex humano respectu, procedere paratus fuerit: vel istiusmodi fabularum Auctores in una, vel altera Pontificis resolutione falsum dixisse convincantur. Nobis potiùs videtur, Boverium in ijs, quæ contra nostrum Generalem, & Pontificem scripsit, erroris arguere, quàm ut Sedi Apostolicæ tales imprudentiæ, levitatis, aut iniquitatis notas inuri permittamus.*

2um. Inverisimile est, quod Boverius scribit videlicet quo tẽpore Provinciales Capuccinorum ad palatium Pontificium, ipsius Pontificis mandato, qui ob turpem Ochini apostasiam graviter offensus erat, fuerant accersiti, tot Observantium habitus ad ejusdem palatij pontificij vestibulum esse delatos, &c de quo facto sic scribit Speculator pag. 22. in fine: *Quod hic Boverius immiscet, &c. vix videtur in hominem sanæ mentis cadere potuisse, adeóque est à ratione alienum, & per se incredibile, ut aliâ ratione ad illud rejciendum opus non videatur.*

Huc pariter spectare, sive revocari potest, quod de contentione super primatu ordinis inter Patres Conventuales, & Observantes, & de sigillo ordinis, Capuccinorũ Congregationi dando à Patribus Concilij Tridentini Boverius describit, & ex Boverio refert Speculator pag. 23. ait enim, id cum alijs quibusdã à Boverio exaggerando potiùs, quàm simplicem veritatem narrando,

rando, describi, quod vitium in eodē Boverio multoties inculcat: adeò ut pag. 109. rursum perpendens, quod Boverius excusare volens duos Fratres Ludovicum, & Raphaëlē, qui absque licentia Prælatorū, habitu immutato, è Monasterio egressi ad Matthæum se contulerunt, asseverat, Dei videlicet opus illud fuisse, quo Capuccinorum reformationi viam sterneret. Talia de Boverio enunciat: *Nimio tamen rerum suarum amore usque adeò cœcutit Boverius, ut hoc Dei opus, & à Deo profectum esse, evinci putet, &c.* Et statim: *Non inficior, si eo modo intelligat Dei opus, quo venditio Ioseph, maledictio Semei, Christi interfectio, Dei opus dicuntur, non positivè, & specialiter cooperante, sed tantùm permittente.* Hæc sunt, quæ inverisimilia, aut etiam falsa à Speculatore in Boverio notantur. Iam discurramus per singula.

Quod ad hoc ultimum attinet, satis respondi superiùs, quomodo scilicet Reformatio opus Dei à Boverio appelletur.

Quantum verò ad factum illud, utrùm Fr. Ludovicus fuerit in culpa, nec ne? quæstio Iuris est: Excusat, imò etiam & commendat Boverius: Contrarium contendit Speculator, volens ipsos paupertatis, & obediētię reos fuisse, ut patet fol. 108. & 109. Sed quidquid sit de hoc, quid inde ad quæstionē alterā, An talia divino in ordine ad Reformationem fuerint gesta consilio? Nam, ut dixi, potuit Deus Fr. Ludovicum etiam peccantē positivè ad teformationē ex gratia gratis data pręordinare; quæcūque autē contra Ludovicū affert Speculator, ut ejus opera nullatenùs opera Dei esse ostendat, nil prorsùs ad rē faciunt: quia aliud est opus gratiæ gratū facientis, aliud gratiæ gratis datæ. Peccata utique non possunt esse cum gratia gratum faciente, nec possunt esse à Deo, nisi permissivè: opera verò gratiæ gratis

datæ operatur Deus in peccatore,non permissivè tantùm , sed etiam positivè: aliàs prophetia Caiphæ dicenda esset opus Dei solùm permissivè,quod falsissimum est;solus enim Deus,sicut est auctor operum gratiæ gratum facientis, ita pariter operum gratiæ gratis datæ: Videat ergò Speculator,quantam vim ipsius argumentum habeat, & discat æquivoca priùs distinguere, ut rectè definire agnoscat, & valeat.

De contentione autem illa, &c. Et sigillo à Patribus Concilij Capuccinorum Congregationi dando , cùm Speculator non probet , quod dicit , hanc nempè esse Boverij in laudem suæ Religionis exaggerationem , nullum nobis responsionis locum relinquit.

Quantum ad Secundum inverisimile.Primò Respondeo in communi,non omne inverisimile propterea posse falsum censeri,esto aliquam falsi suspicioné inducat:Cumq; historiographus non teneatur maiorem, quàm humanã exhibere veritatem,quæ eo ipso potiùs verisimilitudo est,cum quadam inverisimilitudinis mixtione,quàm ipsa veritas: si enim res in historijs humanis relatæ, omni prorsùs carerent inverisimilitudine, plusquam humanam fidem facerent ; neque ut ait Philosophus,eadem in omnibus certitudo,addi potest,etiam verisimilitudo,sive probabilitas quærenda est.Secundò nihilominùs ad primũ inverisimilitudinis caput excludendum,observandũ duxerim,quod dicit Boverius,Pontificé eò usq; rebus leviter animum intendisse,neque in Pontificis ignominiam resultare,neque suspectas illius concessiones efficere: ut summũ autem indicat,Pontificem nondum animum suum applicasse rebus Religionis eâ gravitate,quâ posteà:unde terminus,leviter,non absolutè,

ſolutè,ſed comparatè intelligi debet,ſicut in Iure minùs grave reſpectu maioris,ſive gravioris,leve cenſetur.

Ad ſecundum,& tertium inveriſimilitudinis caput elidendum,poſſem innumeras ſimiles referre hiſtorias de perſonis nimirum acriter increpatis, quæ tamen ſæpiùs cum perſona increpante etiam ad aliquid obtinendũ egiſſe feruntur. Sed ſatis, ſuperq; erit,factumChananææ in mediũ afferre,quæ à Chriſto duriùs increpata,adhuc tamen poſtChriſtũ clamabat,ut habetur [a] Matth. 15. Ratio eſt,quia ardens deſideriũ rem aliquã conſequẽdi,omnes,etiam graves,facit ſuperare difficultates:quàm verò ardens fuerit deſideriũ Obſervantiũ, aut ſubducendi Capuccinos,aut ipſos reducendi ad ordinẽ,nullus eſt,qui ignoret, eſtq; ex ipſo Speculatoris ſpeculo ſatis compertũ. Attuliſſẽ libentiùs exemplum Phariſæorũ, qui ſæpè ſæpiùs à Chriſto duriùs increpati,eundẽ tamẽ iterùm tentare nõ deſinebant,ut vel mediocriter in hiſtoria Euangelica verſato patere poteſt:Parco tamẽ,ne ejuſmodi exemplo Patres ObſervantesPhariſęis conferre voluiſſe videar:licet nõ ignorẽ,eo Pontificem uſum fuiſſe exẽplo GeneralẽObſervantium Miniſtrum increpando, ut ex Boverio ſupponit Speculator,eâ quæſt. 12. quod tandẽ dicebatur de cõmiſſione cauſæ duobus Cardinalibus à Pontifice facta,&c. Miror tanquã inveriſimile à Speculatore adduci, cùm imò valdè familiare ſit apud Principes, aliqua vivæ vocis oraculo concedere, quæ cùm eam omnimodam firmitatem minimè habeant, aliquo præſertim in contrarium nitente, ſicut quæ per legitimam Bullam in ſcriptis manârunt, ſolent aliquorum examini committi, ut ſuper his tandem, etiam pro foro externò,ſententia in ſcriptis feratur.

a *Matth.* 15.

Hinc

Hinc etiam tertia inverisimilitudinis ratio manet elusa: Etsi enim Generalis Minister odio prosequeretur Capuccinos, etiam in Pontificis existimatione: non inde tamen sequitur, inverisimile esse, Generalem apud eundem Pontificem agere voluisse, ut sibi Capuccinos subijceret; potuit enim id ex desiderio acriori talis subiectionis, & unionis, sive bono, sive malo, ortum habere; cùm certissimum sit, eandem unionem tentatam fuisse, ut patet ex ipso Speculatore quæst. 15. Ratio à priori est, quia secundùm Philosophum vehementior, & acrior affectio minùs acrem evincit, sicut maior præsumptio elidit minorem, ut habetur in Iure.

Postrema inverisimilitudinis prætensio, quantum ad litteras Principum, &c. facillimè etiam circumducitur: In primis, quod ad ipsas litteras spectat, Nonnè Patres Observantes similes litteras ad Sixtum IV. procurârunt? ne ipsi Observantes Convẽtualibus submitterentur, prout idem Sixtus submittere intus in animo disposuerat: Ad quarum receptionem idem Pontifex illis perlectis, miratus dixit: *Putabam me cum pediculosis Fratribus negotium tantùm, non autem cum omnibus mundi Principibus habiturum.* mutatoq; proinde proposito, operante etiam aliquo Cardinali, nihil eorum egit contra Observantes, quæ facere sibi in animũ induxerat. Refert hæc Speculator ex Gonzaga pag. 13. Cur non ergo etiam in hoc facto ipsemet notare potuisset, quæ notavit in alio per Boverium relato? Certè Põtifex erat Sixtus, sicut & Clemens: Proposuerat ille subijcere Observantes Conventualibus, &c. sicut decreverat Clemens aut delere Capuccinos, aut eos Observantibus nequaquam subijcere: Procurârunt ibi Observantes litteras Principũ, quibus Pontificẽ à proposito remo-

removerent,ſicut & hîc:propoſuerat Sixtus ſubijcere Conventualibus Obſervantes,ſicut Clemens nō ſubijcereCapuccinos: Sixtus lectis litteris mutavit propoſitum;fecit & Clemens.Hactenùs utrobique aut omninò,aut ferè eadem;cur non utrobique eundem protulêre effectum? Cur à Speculatore potiùs inveriſimile dicitur,quod de Sixto ſcribit Gonzaga,quàm quod de Clemente narrat Boverius?an non poterat Sixtus ejuſmodi litteras fuiſſe pariter ſubreptitie procuratas exiſtimare,ſicut & Clemens?Nunquid non erat inSixto piaculum propter homines,ſententiam paulò antè iuſtè,&maturè in animo conceptā, contra Deum,& conſcientiā retractare,ſicut erat in Clemente? Quid ad hæcSpeculator?niſi velit,totam inveriſimilitudinē in eo uno puncto conſiſtere, quod Sixtus in aliquo Principibus morē gerere minimè curavit,ſicut curavitClemens,decernens, Capuccinos ad tempus ex Vrbe debere recedere.Sed ſi in eo ſolùm unum factum ab alio diſcordat, ut quid unum factum in omnibus tanquam inveriſimile prædicat,&nō prædicat aliud? Poſſumus nos certè in Speculatorē retorquere,& dicere:*En quo tales fabulæ?*Nam non minùs ipſe cùm Gonzaga levitatis,& iniquitatis arguit Sixtum,quàmBoveriusClementem:utiq; enim contra manifeſtā iuſtitiā ex humano reſpectu aliqua facere paratus fuit Sixtus,perindè ac Clemens:Nā nō minùs erat contra juſtitiā,ſaltem inPontificis mente,ſive cōſcientia,Obſervantes Conventualibus velle ſubijcere, quàm Capuccinos ad Obſervantes velle reducere,aut etiam omninò delere.

Vltima inveriſimilitudo,de habitibus ad palatiū pontificiū delatis,eodem modo excluditur:ſummè enim deſideranti nullum remedium intentatum relinquitur. Poteſt etiā omnis in-

verisimilitudo unico verbo excludi, asserendo, aut nullam esse, aut saltem modicam, & extrinsecam potiùs, sive invisibilem, quàm intrinsecam, & visibilem, ut terminis Iuristarum utar, quæ propterea potiùs fundat suspicionem hominis, quàm Iuris, atque adeò varia est pro vario hominum arbitrio; unusquisque enim in suo sensu, abundat, & arbitrio.

QVÆSTIO X.

Vtrùm dato, & non concesso, Boverium, quantum ex ipso est, in suis Annalibus texendis, præripuisse RR. Patribus Observantibus titulum Fratrum Minorum, atque Observantiæ beneficium, ut contendit Speculator, plus ipse eripuerit prædictis RR. Patribus de Observantia, quàm Auctor quartæ partis Chronicorum in sua illa historia, honoris ac laudis Capuccinis detraxerit.

HActenùs vidimus, an in rei veritate contra iustitiam, & charitatem quippiam noster Boverius RR. Patribus de Observantia, maximè verò titulum ordinis Fratrum Minorũ cum Observantiæ beneficio præripuerit, ostendimusq; nervosè, ut credimus, partem negativã, declarando, in quo consistat ratio formalis veri ordinis Fratrum Minorum, &c. sed esto Boverius verè eripuisset, ut conqueritur toties Speculator: Videamus saltem, an plus eripuerit Boverius RR. Patribus de Observantia in suis Annalibus, quàm detraxerit, aut abstulerit Capuccinis Auctor quartæ partis Chronicorum (quisquis ille fuerit, nam Barecio de Barecijs, qui se Auctorem facit, bibliopola potiùs, ut patet, quàm Auctor extat) Id autem, ut clariùs legentium oculis opponamus.

Sup-

Supponendum eſt in primis, ut ex ipſa epiſtola ad lectores colligitur, ipſum ſibi ſcribenda propoſuiſſe in modum Chronici acta, & vitas ſervorum Dei omnium Fratrum Minorum quocumque nomine nuncupatorum, id eſt, tam Obſervantium de Familia, & Conventualium, quàm Reformatorum Italiæ, Diſcalceatorum Hiſpaniæ, & Capuccinorum, atque ita in ſua hiſtoria omnium iſtorum geſta, & vitas commemorat: verùm quantâ partialitate, nemo eſt, qui rerum geſtarum notitiam habens facilè non videat, res Capuccinorum ita jeiunè, ut vix aliqua ex infinitis, quæ interſerere potuiſſet, attingat, & illa modica, adeò etiam perfunctoriè, ut incidenter potiùs, & per tranſennam tranſcurrat: Exemplis poſſem ferè in omnibus illis paucis aſſertam veritatem oſtendere: verùm cæteris omnibus miſſis, ad duo, vel tria, prolixitatis vitandæ gratiâ, me converto. Scribit ipſe lib. 8. vitam noſtri B. Felicis, quæ quàm fuerit plena virtutum, bonorum operum, miraculorum, &c. etiam circa illud tempus, quo Auctor ſuam hiſtoriam texuit, anni ſcilicet milleſimi ſexcenteſimi octavi, vix eſt, qui ignoret: eandem autem unico capite unius dimidij folij complexus eſt: Conferat modò lector vitam ab hoc Auctore de B. Felice conſcriptam cùm vitis ab eodem de B. Paſchali, & alijs Patribus de Obſervantia longiſſimè diſtenſis, facileque perſpiciet, utrùm hic Auctor, ut decet hiſtoriographum, res Capuccinorum fideliter agat, & an Capuccini maiorẽ de tali Auctore querelæ rationem habeant, quàm Speculator de Boverio: Concludit tandem totum volumen, ſatis amplum, in cujus ferè calce Capitulorum, quædam ad Capuccinorũ Generales attinentia

 tangit:

tangit: An autem veritatis historiographæ zelo,& stylo,judicet,qui res omniũ indifferenter (omni prorsùs affectione postpositâ) considerare nôrit,statimque videbit, posse huic historico,quantum ad res Capuccinas attinet, illud aptari, quod de quodam alio historiographo,res Venetorum simili ferè modò tractante,legisse me memini,quod nimirùm potiùs rerum Venetarum (dicam egoCapuccinorum) hostem præ se ferat,quàm testem: Iubet ipsius verba in medium afferre: *Non pariastrano à niuno se de Generali de' Padri Capuccini, che qui sequono, non ne diciamo di essi quello, che dire si doverebbe, come negli altri precedenti habbiamo fatto, perche non havendo trovato di loro memoria niuna presso ad alcun Scrittore, ci è convenuto ricorrere da i medesimi Padri,da i quali per diligensa, che s'habbi usato, non se ha potuto da loro havere, se non quanto segue qui appresso.* Hæc ille, qui nil aliud dicit,quàm simpliciter referre electionem,nominando personam electam,tempus electionis cum duratione: Sic *del* 1584. *successe nella dignità, è carico di Generale il P. Giacomo da Mercato, è governo anni* 3. & sic de sex alijs successivè electis. Circà quæ tria notanda sunt: primò excusatio, quæ cùm non sit petita, excusare se volentem magis accusat. Secundò, quod ait, se ad eosdem PP. Capuccinos ad effectum, &c. habuisse recursum, à quibus, ex quacumque adhibita diligentia, nil haberi potuit, quàm aliqua aliquorum ipsorum Generalium nomina, quos etiam ibi simpliciter nominat. Peterem ab ipso libenter, qui sunt illi Capuccini, ad quos se recurrisse affirmat,&c. Quis non videt artem hujus Auctoris ad res Capuccinorum deprimendas! quâ arte usus est in describenda vita B. Felicis: imò in reliquis omnibus: Eâ enim ratione voluit innotescere, se

re, ſe pariter in ſua hiſtoria res Capuccinorum fuiſſe complexum, ut pauca perſtringendo, legentibus nil aliud glorioſum, aut præclarum in tota Capuccinorum congregatione tot annorum curriculis geſtum, quod hiſtoriâ dignum ſit, etiam omni diligentiâ adhibitâ, potuiſſe reperiri. Tertiò, utrùm veriſimile ſit, quod ait ſe conſuluiſſe Capuccinos, reſpondiſſeque, &c. Certè nulla vel levis ratio occurrit, ut credere debeamus, Capuccinos ab ejuſmodi Auctore pro habenda rerũ ſuarum notitia fuiſſe conſultos: Aut dato, fuiſſe conſultos, ipſos reſpondiſſe, ſe nil aliud hiſtoriâ dignum, omni etiam diligentiâ adhibitâ, quàm quod à prædicto Auctore in ſua hiſtoria inſertũ eſt, invenire potuiſſe: vel deniq; ipſum pro conſilio eos Capuccinos conveniſſe, quos de rebus, ad hiſtoriã Religionis ſpectantibus, informatos eſſe vix poſſe, ſciebat: ſi enim conſuluiſſet peritos, prout par erat, utique non reſpondiſſent, ſibi nil aliud hiſtoriâ dignũ ſuppetere; quia ita in veritate reſpondere non poterant, cùm tot, tantaq; poſteà invenerit Boverius, quæ non aliunde habuit, quàm ex ipſis manuſcriptis Capuccinorũ, paucis quibuſdam exceptis, quæ apud alios Auctores jam enarrata reperit. Verùm adhuc maiora me manent argumenta, quibus ars prædicti Auctoris deprehenditur, quâ uſus eſt ad præripiendam Capuccinis illam gloriam, quàm ſapientes filij parentibus ſuâ ſapientiâ afferre ſolent, dicente Philoſopho divino. *Gloria patris eſt filius ſapiens*. ſcribit ipſe lib. 10. vitam Patris Fr. Alphonſi Lupi, qui cùm à RR. Patribus DiſcalceatisHiſpaniæ ad Capuccinos tranſierit, atque inter Capuccinos multis annis vixerit, tandemque apud ipſos glorioſè vitam finierit, atque in eorumdem Capuccinorum Conventu, qui Montis Calvariæ dicitur,
 Barci-

Barcinonæ ſepultus fuerit, nunquam tamen nequidem ſemel, eundem Capuccinum fuiſſe nominat, ſed ſimpliciter Fratrem Diſcalceatum Regularis obſervantiæ appellat, imò in ultimis verbis cap. 6. quo ejus tranſitum ex hac vita, ac ſepulturam deſcribit, noluit Capuccinos nominare, ſed ita concluſit: *coſi ſentado lo ſepellirono nella ſepoltura de' Religioſi nel ſudetto Convento del Monte Calvario.* Quem adhuc noluit nominare Conventum Capuccinorum. Quid ad hæc dicent, qui de noſtro Boverio tantoperè conqueruntur? ubinam Boverius tam evidenter gloriam ordini Obſervantium eripuit, aut eripere voluit, prout hic Auctor gloriam tanti filij Capuccinorum Matri omni iure debitam ſurripere, atq; Obſervantibus arrogare geſtijt? quis tantam, ac talem injuriam tanto tempore ſuſtinuiſſet? ſuſtinuerunt tamen Capuccini, dolentes quidem intus in animo, at non exteriùs verbis conquerentes, nec hiſtoricum falſitatis hactenùs arguentes, &c. Quid in hoc caſu egiſſent RR. Patres de Obſervantia? ſi Boverius, aut aliquis alius vitam S. Antonij Vlyſſiponenſis deſcribens dixiſſet, ipſum eſſe ex ordine Canonicorum Regularium, nunquam exprimendo, ab ipſis ad Fratres Minores tranſijſſe? &c.

Sed jam gratias admodum R. Patri Vuadingo, qui in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis Seraphicæ Religionis, verbo, *Alphonſus*, quem Auctor quartæ partis ſubripuerat, Congregationi Capuccinorum reſtituit, dum ait, P. Alphonſum ad Capuccinos tranſijſſe, & inter ipſos mortuum eſſe, &c. De eodem ita ſcribit etiam R. P. Bonitus: *Magnus, & apud omnes celebris ille concionator Lupus, neſcio quid in Capuccinis excellentius præter alios animaduertens, ex Diſcalceatis ad ipſos tranſivit, dum inter*

ter eos sanctè , & utiliter vixit , ac mortuus est.

Hinc igitur notari velim, quanta in hac historia fide dignus existat vir (cui tamen Speculator tantum tribuit) qui veritatem tam apertam, adeoq; omnibus perspectam, & quam ille utique ignorare non potuit, obnubilare nō est veritus, his omnibus ritè expensis, ferat de proposita quæstione æquus lector iudiciū.

Non omittam hîc pariter rem, quæ elapsis diebus inter Capuccinos super quibusdam punctis, ad Missiones Orientis spectantibus ac RR. Patres de Observantia contigit, enarrare, ut inde clariùs appareat, quàm familiare sit ejusmodi adversùs Capuccinos querelas, non tantùm scriptis, verùm etiam verbis publicè jactare. Orta fuit aliqualis controversia inter R. Patrum Guardianum Hierusalem ex una parte, & inter Missionarios ex alia: delata fuit, ut moris est, ad sacram de propaganda fide Congregationem: Causæ Ponens, deputatus est unus ex Emin.mis ac Reu.mis Cardinalibus, cujus nomen justis de causis reticetur, qui benignissimè omnes toties, quoties opus fuit, audivit. Conquerebantur RR. Patres de Observantia, quod Capuccini loca sancta eis eripere vellent: protestatus est Procurator Generalis Capuccinorum, non semel, neque se, neque suos de hac re solùm etiam cogitare. Nihilominùs RR. Patres hoc punctum sæpiùs etiam coram Eminentissimo inculcarant. Respondit ille semel, atque iterùm, de hoc non esse quæstionem, neque in causa esse, ut vel minimè suspicentur: eadem tamen semper repetebant, prout etiam apud alios id multum exaggerasse, ad exacerbandos animos Eminentissimorum adversùs Capuccinos, certa notitia compertū est. Emin.mus Cardinalis audiens semper eadem repeti, semel tandem

dicere

dicere eſt compulſus: videmini mihi moleſti, & vana ſemper proponere. Procurator Generalis Capuccinorum hîc coram vobis toties proteſtatus eſt, ſe non modò nõ intentare rem hanc: verùm neque ſponte oblata loca à Congregatione recepturum; & nihilominùs vos ſemper de hoc conquerimini: Res tandem definita fuit, manavit Decretum, ad cujus favorem, RR. Patrum de Obſervantia, an Miſſionariorum, videri poteſt. Antequam publicaretur Rev.mus Pater Vicarius Generalis de Obſervantia ſcripſit ad plura ſuæ Religionis Monaſteria, maximè Reformatorum, ut Deo gratias agerent, ac Te Deum præcinerent, quia jam litem contra Capuccinos, qui loca ſancta eis eripere volebant, evicerat. Hic eſt caſus tantum à vero alienus, quantum terra à Cœlo: Teſtis eſt Eminentiſſimus, teſtis illuſtriſſimus Secretarius; teſtes denique ipſi quoq; Patres, qui poſſent (ut verbis utar S. Auguſtini) ſi vellent, vera nunciare.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm magis expediens fuiſſet, Reformationem Capuccinorum intra Ordinem fieri, Et an verè præiudiciale fuerit alicui extra ordinem factam fuiſſe.

NOn omnia, quæ licent, expediunt, indicavit Apoſtolus: unde & in Iure cavetur, in omni opere tria illa ſemper attendi debere, quod licet, quod decet, quod expedit; Cùm ergò hactenùs nervosè, ut credimus, licitè introductã eſſe Reformationẽ Capuccinorũ, proprieq; imò veriſſimè Reformationem cen-

censendam fore,& esse comprobaverimus, quippe quæ est reformatio in toto,& in integro: Nostri jam ordo instituti efflagitat,ut etiam, utrùm expediens, ac decens fuerit,talem reformationem extra ordinem fieri,referemus(si tamen extra ordinem dicenda est,ut Speculator contendit,at verè non probat) Ad quam quæstionem nos ipse vocat, dum integram quæstionem facit, quæ est decima in ordine, sub hoc titulo: *Quàm fuerit præiudicabile, Reformationem extra ordinem velle instituere.* In cujus resolutione quæstionis,duo dicit.Primum est,Reformationem extra ordinem, qualem putat Capuccinorum,non tam esse reformationem ordinis,quàm ipsius destructionem : quibus autem argumentis id probet, ex superiùs narratis liquet. Secundum est,quod etiam suopte ingenio ex primo consequitur,Capuccinorum Reformationem,utpotè ab ordine separatam, eidem non profuisse, nec prodesse valuisse: Quare, dum Boverius,tanquam de re eximia,gloriatur,quod sua Reformatio extra ordinem cæperit, & ab ipsius initio, auctoritate Pontificiâ, ab eodem fuerit disiuncta,ad gloriationẽ malam potiùs,quàm bonam pertinere insinuat his verbis pag.85. *Viderint ergò, qui de istiusmodi separatione tantoperè gloriantur,an bona sit eorum gloriatio, &c.* Hinc Speculator plura deducit; Et primò,rationabiliter Superiores ordinis Observantium, ac ipsum ordinem, exorienti Capuccinorum Reformationi sese opposuisse : de quo totâ quæst.9 in cujus calce hæc habet: *Sanè absque ratione factam fuisse oppositionem huic reformationi ex eo concluditur, quod quidquid unquam poterat in ulla nova reformatione rationabiliter displicere,timorem incutere, ad æmulationem,& oppositionem excitare,totum in hac videatur fuisse conglomeratũ;ut discurrendo per singula luce clariùs patebit.* hęc ille. Ego planè

de hac re nolo contendere; unde libenter concedo, iustas, præsertim à principio sese opponendi reformationi Observantiũ ordini causas suppetere potuisse: Addo nihilominùs, primò, id fuisse moderatè faciendum, non veniendo ad carceres, & si quidem dubitabatur, nõ tam opus esse Dei ad ordinis reformationem, quàm Diaboli ad ejusdem ordinis destructionem: meminisse tamen poterant viri prudentes, & docti illius, quod in actis Apostolorum ferè in simili omniquaq; proposito de exoriente Ecclesia scriptum his verbis legitur act. 5. *Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini.* Eò præsertim, quod, ut scribit Boverius ad annum 1631. num. 8. tale omninò responsum Rev.^mo Patri Observantium Generali, super nova Capuccinorum reformatione, à quodam Eremita commendabilis vitæ, eodem Generali sciscitante, datum fuerit.

Quod verò attinet ad Leonis Bullam, præter alia superiùs adnotata, lubet ulteriùs in pręsentiarum evidentem in Speculatore advertere contradictionem. Bulla Leonis prohibebat, ne novę in ordine introducerentur reformationes: hoc patet per te pag. 6. Reformatio Capuccinorum fiebat omninò extra ordinem, ut tu pariter sæpiùs inculcas: ergò, &c.

Deducit prætereà, optimè factum esse à Patribus Observãtibus, dum unionem Capuccinis offerrent; unde conqueritur, quod Capuccini ab ea unione, ad quam Rev.^mus P. Vincentius Lunellus eosdem reducere studuit, oblatis conditionibus rationabilibus, &c. se alienos ostenderint: de quo ipsemet pag. 21. & iterùm pag. 88. sed uberiùs quæst. 15. sub titulo An unionem,

nem,&c. Video nil plus displicuisse Observantibus, quàm ob oculos ubique terrarum intueri novam hanc Congregationẽ, quam nunquam sustinere valuerunt. An verò Capuccini eandem unionem rationabiliter respuerint, veraque sint, quę à Capuccinis ad unionem respuendã adducta fuere: aliam quæstionem postulat. An scilicet reformatio, ubi in ordine non speratur ex integro, possit, ac debeat extra ordinem fieri? hoc interim adnotabo, cùm Leo Observantes à Conventualibus separandos, nedum bonum, verùm etiam melius, & optimum putârit, ob rationes, quas refert Speculator pag. 15. inde clarissimè sequi, non omnem separationem esse malam, atque adeò neque omnem unionem bonam.

Deducit postremò, Boverium ineptè voluisse reformationi Observantium suam Capuccinorum assimilem facere, nam reformatio Observantiũ fuit omninò diversa: reformatio quippe Observantium fuit in ordine, atque ita ordini proficua; reformatio verò Capuccinorum extra ordinem, ac proinde ordini nociva: omnis namque separatio nocet; quare reformatio Observantium, quod attinet ad quæstionem, quam versamus, utilis fuit, ac insuper ordini decora, pacis, & unitatis conservativa, &c. Cùm vice versâ reformatio Capuccinorum non solùm nociva, verùm etiam ingloria, & indecora: hæc ferè habet Speculator eâ quæst. 10. ubi fol. 86. quasi recapitulando quæstionẽ, ita concludit. *Hinc patet, quantũ, & quàm intolerabile præiudiciũ antiquo Observantiũ ordini per Reformationẽ ab eo separatã illatũ, vel saltẽ intentatũ fuerit, tale profectò, quale matri adhuc viventi, & de sanitate nõ desperãti, fieret per obtrusionẽ medicinæ, quâ, ut proles eius nasceretur, ipsa tãquã desperata occideretur.* Et paulò pòst. *Hoc pro fine huius quæstionis dissimulãdũ*

 non ex-

existimo, quod semper, & ubique Boverius Observantium reformationem cum sua conetur involvere. Sed parcat nobis Boverius: nam alia prorsùs fuit Observantium reformatio, alius omninò inchoandi, & procedendi modus. In quo ostenderem, omnia intervenisse, quæ non tantùm ad decorem, & gloriam conferunt: verùm etiam ad pacem, & charitatem conducunt. Et tandem: *hæc porrò unio, quamvis non omnimoda, & plena, tantum tamen boni effecit, ut conspicantibus semper capitibus cum membris sanioribus, ordinis puritatem, ac Regulæ observantiam zelantibus, totus tandem ordo, expurgatione factâ, sanatus, & in observantia stabilitus fuerit, paucis, ut dixi, annis, septem scilicet, vel ad summum octo, antequàm PP. Capuccini prætensam suam reformationem aliâ prorsùs viâ, contrariâ unitati, & valetudini corporis, aggrederentur; omnis siquidem scissio, & separatio per se mala est, & membrum separatum nihil boni in corpus à quo separatur, potest influere, nec ab eo ullum potest accipere influxum.* hæc ille. ex quibus patet, quàm benè de sua, ac malè de Capuccinorum reformatione sentiat: quo tamen veritas ex suis principijs, ut par est (quod nihilominùs Speculator vix unquam in suarũ resolutione quæstionum præstare voluit) clariùs appareat, aliqua præsupponenda sunt.

Et primò, bifariè unitatem alicujus corporis posse, ac debere attendi. Prima unitas attenditur in corpore vivente, ab ortu nativitatis usque ad ultimum terminum vitæ, quam unitatem retinet corpus vivens per continuam suiipsius durationem. Secunda unitas est, per secundam ejusdem omninò corporis jam præmortui resurrectionem, sive reformationem: nam resurrectionem reformationem vocat Apostolus illis verbis: [a] *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ.* hæc porrò unitas in eo à præcedente

a *ad Philip.* 3.

dente diſcriminat, quod ubi prima continuam in corpore vitã exigit, hæc ſecunda omninò refugit. Primo modo contendit Speculator unitatem in ſua Obſervantium Congregatione, ut etiam ſuperiùs advertimus. Secundo modo vice versâ, Boverius unum eſſe corpus noſtram Capuccinorũ Congregationem indigitat; ut ſæpiùs in eodem, non ſine ingenti animi ſui moleſtia Speculator advertit. Vt cætera verò omittã, lubet tantummodò in medium afferre, quę ex Boverio refert idẽ Speculator pag. 85. ibi: *Viderint ergò, qui de iſtiuſmodi ſeparatione tantoperè gloriantur, an bona ſit eorũ gloriatio de re, quæ reformationis fini omninò contrariatur; adeò ut potiùs deſtruere ordinẽ antiquum voluiſſe, quàm eundẽ reformare videantur.* Hęc ille. In quibus duo adverto: Primũ eſt, non ita Boveriũ reformationem Capuccinorũ illi Obſervantium similẽ efficere voluiſſe, ut nullam prorsùs agnoverit differentiã: Nam hîc evidentiſſimè reformationẽ Obſervantiũ cuidam generali totius corporis purgationi confert, in quo per omnia eidẽ Speculatori cõcordat: Nam & ipſe (ut ex verbis nuper allatis liquet) nõ aliter Obſervantiũ reformationẽ contigiſſe cõmemorat, quã per ejuſdem corporis expurgationem; hæc enim ſunt verba illius: *Totus tandem ordo expurgatione factâ ſanatus eſt.* At verò reformationem Capuccinorum confert Boverius reſurrectioni novi corporis: Itaq; ratio aſsimilationis in eo eſt conſtituta, quod quẽadmodum Obſervantes tandem ſejuncti ſunt à Conventualibus, ut fatetur idem Speculator §. 2. ubi eam ſeparationem ex Pontificis mandato factam eſſe percenſet: Ita Capuccini ſeiuncti ſunt à PP. Obſervantibus, cum hoc tamen diſcrimine, quod Capuccini ſtatim in exordio, eam ſeparationẽ Clementis auctoritate conſecuti ſunt, quam non niſi longo poſt

tempore Obſervantes impetrârunt: Ita verius apud Speculatorem pag. 86. qui tamen de Boverio conqueritur, quod falsò ejuſmodi ſeparationem ab ordine Obſervantibus tribuat: *Nunquam enim* (ait ille) *Obſervantium ordo eam ſeparationem voluit, nunquam inſequi intendit*, *nunquam etiam eſt conſequutus*, *prout ex elucidatione noſtra hiſtorica* §. 1. *&* 2. *& præcedentibus noſtris quæſtionibus facilè videri poteſt*. Hæc Speculator, quæ an ſint vera, velim conferantur cum his, quæ habentur tertiâ Chronicorum parte c. 30. cujus titulus eſt. Quello, che domandorno nel Concilio di Coſtanza i Frati Oſſervanti. ubi hæc leguntur: *E perche s' è viſto, che la riforma fatta da Clemente V. nell' ordine, ſubito s' eſtinſe, per eſſer fatta nell' ubidienza de' Padri Conventuali, & il medeſimo s' è viſto altre volte, che i zeloſi della profeſſion loro s' affaticarono per riformarſi, perche ſubito furono perſeguitati, è diſperſi da' Prelati della Religione. Domandavano al ſacro Concilio, che li ſeparaſſe dall' ubidienza de' Prelati Conventuali, dandogliene de' ſuoi medeſimi, accioche in tal modo ſi poteſſero conſervare, & accreſcere nella oſſervanza della Regola.* Videat ergò quilibet, utrùm verum ſit, an non, quod ait Speculator, nunquam ſcilicet Obſervantes voluiſſe ſeparationẽ ab ordine, nunquamque eam inſequi intendiſſe. Videat item utrùm inſulſum ſit dicere, ut, ipſo teſtante pag. 118. affirmabant Capuccini nunquã ſcilicet, in ordine hactenus reformationẽ diu incolumem ſtare potuiſſe. Certè Chronica Religionis loco citato apertiſſimè habent, Patres de Obſervantia petijſſe à Concilio Conſtantienſi ſeparationem ab obedientia Prælatorum Conventualiũ: & quidem circa exordium reformationis eorundem Patrum de Obſervantia. Atque eam ob cauſam, *Perche s' è viſto* aiunt, *che le riforme fatte nell' ordine, come quella fatta da Clemente V. & altre, ſubito*

si sono estinte , per essere fatte nell' ubidienza de' Padre Conventuali , da quali i zelosi erano subito perseguitati, è dispersi: Verum tamen est, Concilium Constantiense noluisse concedere omnimodam separationem, quemadmodũ posteà concessit Leo X. circa annũ 1617. solùm enim Concilium Constantiense subtraxit Observantes à regimine Provincialium Conventualium, remanentibus nihilominùs omnibus sub obedientia Prælatorũ Generaliũ ordinis, ut etiam affirmat Speculator pag. 64. & ideò verissimè Boverius asserit, reformationem Observantiũ non potuisse obtinere, neque obtinuisse separationẽ ab ordine reformando, nisi post multa temporum intervalla, quã Capuccinorum Reformatio obtinuit in suo exordio: In quo tamen Speculator Boverium non semel carpit, ut cùm ait, non rectè Boveriũ reformationẽ Observantiũ assimilare Capuccinorũ reformationi, &c. pag. 64 & pag. 86. Quod ergò verissimè Boverius dixerit, Observantes non potuisse obtinere separationẽ, &c. constat ex petitione facta apud Conciliũ Constantiẽse, & magis ex causa allata: quia nimirùm experiẽtia comprobatũ erat, reformationes in ordine factas subitò fuisse extinctas, &c. ubi notãda sunt verba illa: *Perche s' è visto, che le riforme fatte nell' ordine sotto l' ubidiẽza, &c* hæc enim omnia nõ solũ petitiones factas à Capuccinis Clementi VII. ut eos nimirùm ab obediẽtia Prælatorũ ordinis, zelo firmioris observãtiæ subtraheret, iustificãt; verũ etiã Speculatorẽ coarguunt; qui fol. 118. inducẽs Capuccinos recusantes unionẽ, quã obtulisse scribit R. P. Vincẽtium Lunellum Observãtium Generalẽ, hæc habet: *Quod verò dicãt, id est, Capuccini, in ordine nunquã hactenùs diu potuisse stare incolumẽ reformationẽ.* Ac proinde se petijsse à Pontifice separationẽ, & refugere unionẽ, falsum evidenter est; si enim

ſi enim id falſum eſt,non Capuccinis tantùm,ſed & Obſervantibus primò hæc falſitas congruit: Nam verba Capuccinorum ſunt ipſiſsima verba Obſervantium, Patribus Concilij Conſtantienſis expoſita, ut ſeparationem ab ordine, ſive reformationem extra obedientiam Prælatorum Conventualium obtinerent. Quod verò addit,ejuſmodi non eſſe reformationem, ſed potiùs ordinis deſtructionem,&c. non minùs item quadrat Obſervantibus, quàm Capuccinis, in quantum Obſervantes ejuſmodi ſeparationem intentârunt,licet nõ obtinuerint,quod præter eorum intentionem fuit. Sed ut ad rem redeamus,contra modum loquendi Boverij hæc opponit Speculator pag. 85. *Verùm hoc non eſt Religionem ab interitu vendicare, ſed eâ pereunte, & conſumptâ, tanquam ex cineribus antiqui Phœnicis novum reſuſcitare; ſicque non conſervaretur eadem Religio,ſed alia eiuſdem rationis produceretur.* Hæc ille, in quibus hoc jam ſecundum adverti debere exiſtimavi,nõ ſatis Speculatorem vim Reformationis percipere: Reformatio enim eſt veluti quædam ejuſdem reparatio,aut etiam reſurrectio,in qua multò magis conſervatur identitas,quàm in ſola expurgatione,ut eſt per ſe manifeſtum.

Notandum prætereà,Reformationem ſupponere deformationem,aut ex parte,aut ex toto, ut pleniore ſtylo ſuperiùs oſtenſum eſt. Reformatio ex parte, cùm ſit ſimilis ſanitati, aut expurgationi,nil aliud exigit,quàm ut recidantur mẽbra mortua;atque ita geſtum eſſe in ſeparatione Conventualiũ ab Obſervantibus,verbis ſuperiùs allatis Speculator affirmat: ad hoc autem, ut fiat diviſio hoc modo, omninò neceſſariũ eſt,ut maior,ac principalior pars corporis ſana exiſtat: longè verò minor pars infirma; ſi enim caput eſſet præcidendũ,totũ corpus periret:

ret: similiter si varia corporis membra forent mortua, ipsum quoq; corpus ad internecionem deducerent. Deniq; nō potest esse separatio utilis, membri à corpore, nisi talis sit, ut, membro præciso, corpus adhuc integrum maneat. Quod si totum corpus mortuum fuerit, aut saltem morti vicinum, ita ut remedia vix applicari valeant, alia non suppetit via reducendi corpus ad pristinam vitam, nisi ex totali, & integra novi corporis formatione, quod tamen non dicitur novum corpus, quia sit à primo diversum: sed quia totum est de novo reformatum: sicut novum appellari solet corpus, quod ex mortuis vivum resurgit: Tota itaque difficultas in eo est constituta, utrùm corpus Religionis esset totum deformatum, aut ita ægrum, quo tempore exorta est Capuccinorum Congregatio, ut verè sanari, ac reformari egeret; Nam ex eodem Speculatore totâ quæst. 6. clarè habetur, pro varia corporis ægritudine varia esse adhibenda remedia; ita ut etiam aliquando ad sectiones, & resectiones veniendum sit. Speculator quidem conqueritur, Boverium pluries asserere, totum Observantium ordinem fuisse mortuum, aut saltem morti jam proximum, quod ille omninò negat; imò in injuriam ordini factam Boverij verba reportat. Ego tamen stando in terminis vitæ, & mortis, in quantum nimirum vita, etiam eodem Speculatore teste, in pura regulæ observantia consistit, sine qua propterea ordo mortuus esse perhibetur (prout de ea semper loquuti sumus, & loquimur; non autem de ea, quæ ex fidé pendet, quæque semper in ordine etiam deformato sincerè viguit, sicut & semper viguit sana fides) non puto sibi debere ad injuriam referre, quod & ipsi Observantes respectivè de Conventualibus jactarunt, & jactant,

se nimirùm ideò à Conventualibus esse disiunctos, quia erant veluti membra adeò dissidentia, ut nulla spes futuræ unionis adesset; Cùm autem asserimus totum ordinem fuisse deformatum, ita accipiendum esse hoc loco volumus, quemadmodum superiùs in propria, ac particulari, de reformationis natura, quæstione explicavimus: quod nimirùm non ita omnes, ac singuli Religiosi essent deformati, ut nullus prorsùs existeret, qui reformatè viveret: aut taliter totum ordinem fuisse deformatũ ut voléti reformatè vivere omnis prorsùs via salutis præcluderetur: Cùm imò totis præcordijs concedamus, ac fateamur, aliquos semper, & quidem etiam plures fuisse in ordine, quantũvis deformato, qui Seraphici Regulam ad litteram observarent, iuxta promissionem illam Seraphico Patri à Christo Domino factam: In tantum ergò totum ordinem deformatum dicimus, in quantum, generaliter loquendo, ordo ipse eò deductus erat, ut aliquâ generali reformatione indigeret, prout aliquâ indiguisse idem Speculator ingenuè confitetur.

Fateor itaq; convenientioré fore totalé reformationẽ intra ordinem, etiam ex toto jam deformatũ, accedente voluntate, in quo totus hujusce negotij cardo convertitur: atq; adeò in ordine, si fieri posset, fore, vel fuisse faciendam. Dixi, accedente voluntate, quia cùm mors, de qua loquimur, spiritualis existat, cooperante divinâ gratiâ, ipsum totũ corpus resurgere potuisset ad vitã, si omnibus reformatio placuisset: At ubi hi, ad quos spectat, corporis reformationi non vacant, omninò necessariũ est, extra ordinem reformationem instituere: quod tamen non est extra ordinem, nisi ut summum materialiter, & in foro externo coram hominibus. unde etiam in Iure habetur, interdum esse

esse secundùm ordinem, agere contra ordinem.

Hinc omnium patet solutio argumentorum: Non enim potuit obesse corpori mortuo, ac nolenti resurgere ad vitã, quod novum corpus materialiter formaretur, quod idem esset formaliter cum eodem corpore jam olim vivente: Sed non est, cur immoremur narrantes maximas utilitates, quæ ex Capuccinorum reformatione toti obtigerunt Ecclesiæ, ac ipsis Capuccinis, hoc enim est plusquam per se notum: ordini autem Observantium, nisi fortassè per accidens, istuc ipsum obesse non potuit. Quare non est, ut tantoperè doleant RR. Patres de Observantia, de re, quę nobis, & toti Ecclesiæ profuit: Illis autem, non nisi fortassè per accidens, nocuit: Considerabam autẽ, utrùm in hunc casum quadrare posset, quod ferè in simili legitur in Act. Apost. 13. *oportebat quidem primùm vobis prædicare regnũ Dei: sed quia repellitis illud, convertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Deus.* Itaque nisi comparatio videri posset odiosa, talia & mihi fari, integrũ esse existimarem. oportebat quidẽ primũ intra ordinẽ intentare reformationẽ, sed quia illam repulistis, ecce extra ordinẽ novã inducimus, Deo ita nobis suggerente, ac præcipiente. omissâ ergò hujusmodi cõparatione, nullatenùs tamẽ præteriri debuit, quod cuidã Fratri à Dño revelatũ fuisse scribit Boverius, nec reprobat Speculator, imò & approbat, ut videre est pag. 78. ubi nõ solũ ex Boverio, verũ etiã ex Auctore tertiæ partis Chronicorum, refert, improperatũ fuisse Reu.mo Patri Licheto, ipso invito, reformationem extra ordinem, aut ordinis obedientiã (ut verbis Speculatoris utar) Deo disponente, fuisse faciendã, eò, quòd superiores eundem minimè zelarent in ordine, & sic patent omnia: quod enim dicebatur, omnem separationẽ esse

præiudicialem, verum eſt, ubi corpus vivit, habetque omnia ſua membra viva: at ubi reſcindendum eſt membrum mortuum, aut etiam ex corpore mortuo corpus vivum eſt reproducendum, non poteſt obeſſe, imò valdè prodeſſe. unde & Apoſtolus clamat: *Separamini ab eis, dicit Dominus.* Sed de his aliqua adhuc quæſtione ſequente: Interim hinc obiter inferre libet, utrùm verum ſit, an non, ſuperiores ordinis, quantum fas erat, reformationi ordinis ſollicitè fuiſſe intentos, ut alibi Speculator contendit.

Quid plura? ijdemmet Patres teſtes eſſe poſſunt, quanta orta fuerint ſcandala, quantæ lites, causâ ſtrictioris obſervantiæ, ſive reformationis intra ordinem faciendæ, inter ipſos, quos vocant ſimpliciter de Obſervantia, & Reformatos, dum Reformati, ſub ſtrictioris obſervantiæ prætextu, Monaſteria Obſervantibus auferre, ſive eripere intentârunt: Sed de his plura in medium afferre nolumus. Ipſimet norunt, experti ſunt, & utinam quotidie non experiantur. Dixi proptereà ſuperiùs, convenientiorem fore totalem in ordine reformationem: Nam ubi ſolùm efficitur, aut efficeretur ex parte, ſemper, etiam præcisè ad ſervandam reformationẽ, extra ordinem fieri longè præſtantius eſt; præcipuè, quia tunc non eſt propriè extra ordinem fieri, ut ex dictis patet.

QVÆ-

QVÆSTIO XII.

Declaratur adhuc melius, Quomodo Congregatio Capuccinorum non sit Ordo separatus ab Ordine primitus à S.P.Francisco instituto, siue Fratrum Minorum.

TÆdet non parum, quod diu in ejusmodi quæstionibus immorari compellimur: At non debent molestè ferre, qui nos ad hanc quæstionum disceptationem vocant, quin etiã trahunt utique invitos. Speculator dixerim, nec non & superiores ordinis RR. PP. de Observantia, qui etsi eundem pœnis à Iure indictis, pro eo, quod sui fines mandati excesserit, afficere nolebant, corrigere saltem debebant: Non modò autem non correxerunt; verùm etiam excessum approbârunt, facultatem facientes imprimendi Speculum, in quo, licet protestatus sit, se defensionis partes duntaxat agere velle, ac similiter confessus, se habuisse in mandatis ea retundere, quæ manifestæ calumniæ ac imposturæ, contra honorem, famam Religionis, veritatem historiæ, &c. in Annalibus Patris Boverij deprehendisset: Attamen non semel, atque iterùm, sed ferè semper, ipsam veritatem potiùs impugnare, quàm propugnare aggressus est; ut etiam superiùs advertimus.

Conqueritur toties, quod Boverius Capuccinorũ Congregationẽ corpori ex mortuis resurgenti cõparet, statimq; ab ordine Observantium separatã esse glorietur; Primum enim falsum; secundũ malã, non bonam gloriationẽ esse gestit. Vt ergò appareat manifestè, utrùm hęc sit veritas, & bona gloriatio, nec ne?

Notandum est, longè diversa esse dicere, sive putare, Congregationem Capuccinorum esse ordinem omninò distinctũ ab ordine Fratrum Minorum, sive à S. Francisco instituto, & dicere esse ordinem distinctum ab ordine RR. PP. Conventualium: non enim idem sunt ordo Conventualium, & ordo Fratrum Minorum, sive à S. Francisco institutus (loquor ad hominem, & ex sententia Speculatoris) qui apertissimè ait, vix sine blasphemia dici posse, ordinem PP. Conventualium, iuxta normam vivendi, quam profitentur, esse ordinem à S. Francisco institutum.

Hinc pariter ad hominem necessariò sequitur, quamcumque Congregationem quocumque nomine nuncupatam, hoc est, sive Conventualium, sive Observantium, sive Capuccinorum, nec esse, nec posse nominari ordinem Fratrum Minorũ, sive à Seraphico Patre institutum, in quo observantia Regulæ secundùm suá puritaté minimè viget: non enim ideò ordo RR. PP. Conventualiũ, ordo à S. Francisco institutus nõ est: est verò alius ordo; quia ille est ordo Conventualiũ, hic non, sed aut Capuccinorum, aut Observantiũ; verùm quia ille est ordo, in quo pura Regulæ observantia minimè viget: hic contra ordo, in quo pura Regulæ observantia colitur: ergò pariter, ubi in ordine Observantium, aut Capuccinorum, regula secundùm suá puritatem minimè observaretur, sumendò observantiá modo superiùs exposito, non esset verè ordo FF. Minorum, sive primæ Regulæ, sive à S. P. Francisco institutus. Et ratio est, quam toties in hac tenui opella prodidimus, quia ordo, sicut & quęlibet alia res, suam ab observantia, tanquam à forma, accipit essentiam, ac proindè unitatem, & veritatem, quæ sunt in-

diuiduæ

dividuæ entis, & eſſentiæ paſſiones, ut eſt tritum in ſcholis; Neque ob aliam rationem aſſerere poteſt Speculator ordinem RR. PP. Conventualium, non eſſe ordinem à S. Franciſco inſtitutum, niſi quia per privilegia, ſive diſpenſationes pontificias, receſſerunt à puritate regulæ, quam Seraphicus Pater edidit, & ad litteram à ſuis obſervandam, omni diſpenſatione ſemotâ, eſſe voluit.

Adijciendum prætereà, quod ſuperiùs etiam advertimus, unum eſſe ordinem, non duos, Congregationem hierarchicam, & Regulæ obſervantiam, ſive regulæ, ac vivendi formulam: Nam Congregatio ipſa hierarchica, ſe habet ad ordinem ut materia: obſervantia verò, ſive vivendi formula, quam ejuſmodi Congregatio profitetur, ſe habet ſicut forma. Ex quo rursùm neceſſariò ſequitur, impoſſibile eſſe, Congregationem quamcumq; eſſe ordinem illum à S.P. Franciſco inſtitutum, in qua non viget vivendi regula, & norma ab ipſo S. Patre ipſi Congregationi, ſive Fratribus tradita, etiamſi illa Congregatio eſſet antiqua, antiquior, & antiquiſsima; omniũ enim antiquiſsima eſt Congregatio PP. Conventualiũ: implicat enim eſſe eandẽ rem abſque eadem forma, multò magis, quàm abſq; eadẽ materia, ut patet ex Philoſophia. Quare, ſi implicat (loquor ad hominẽ) Congregationem Capuccinorũ ideò eandẽ eſſe numero cum ordine à Seraphico Patre inſtituto: quia licet in Congregatione Capuccinorũ, eadẽ regula, ac vivendi formula vigeat: non eſt tamen eadem Congregatio, quantum ad corpus, ſive materiam, ut prætendit Speculator pag. 40. argumento ducto per ſimilitudinem ad entia naturalia: *Sicut enim, inquit, pro eodem homine conſtituendo non ſatis eſſet, quod eadem*

anima duo corpora à se invicem distincta, & separata, simul, vel successivè informaret: Ita & in corpore ordinis religiosi, vel alterius cuiuscumque Communitatis philosophandum est. Hactenùs ille. Si, inquam, nequit esse una, eademque res, ubi non est eadem omninò materia; multò magis implicat, esse eundem ordinem absque eadem forma, argumento pariter per eandem similitudinem perducto; Neque enim esset idem homo, ubi una, eademque materia simul, aut successivè à diversis omninò formis, & animis informaretur: quod Speculator ipse fatetur, inquiens pag. 50. ad veram ejusdem ordinis successionem, corporis, & animæ identitatem necessariò correquiri. Quod cùm ita sit, ob eandem rationem nequit censeri idem homo, homo deformatus, id est, à quo recessit anima, eodem etiam remanente corpore exanimi, ut per se patet. Quid verò aliud in quacumque cujuscumq; ordinis deformatione evenit, quàm remanere Congregationem, quæ est veluti corpus, absque anima, quæ est Regulæ observantia: non enim destruitur totus ordo, scilicet quantum ad materiam, & formam, sed destruitur sola forma, eâdem remanente materiâ: sicut cùm reformatur, non producitur necessariò nova materia, & nova forma; sed forma antiqua, & prima in eadem materia identitate formali, aut identitate successivâ introducitur: Atque adeò nomen deformationis, & reformationis magis congruit ordini, quàm nomen generationis, & corruptionis: quia totum quod geritur in deformatione, & reformatione est circa formã: Deformatio enim est ad corruptam formã deductio, & Reformatio ad eandem reductio: Magis item assimilatur deformatio, & reformatio, morti, & resurrectioni; nam in morte corpus, animâ

animâ abeunte, remanet absque alia productione novæ formæ, secundùm unam opinionem: unde mors potiùs dicitur privatio, quàm aliqua positiva productio; quia est ab habitu, sive à forma ad ejusdem carentiam: sed quidquid sit in naturalibus, in proposito deformatio ordinis est deductio ad formam corruptam, ut ex Ambrosio aliàs pleniori stylo digessimus.

Sit ergò jam unica assertio. Congregatio Capuccinorum non est ordo separatus, sive distinctus ab ordine Fratrum Minorum, sive Seraphici Patris Francisci. Probatur, hoc cum primis argumento. Petentibus sanè Capuccinis à summo Pontifice Clemente VII. facultatem se subtrahendi ab Observantibus, summus Pontifex petitioni annuens, eandem benignè tribuit facultatem, editâ peculiari Bullâ. Aut ergò Pontifex talem tribuens facultatem, novam nimirùm extra ordinem Observantium instituendi Congregationem, voluit scindere ordinem in duos, simulque dispensare Capuccinos in potissimo Regulę præcepto, quo ordinatur unicum debere esse ordinem: unum Generalem Ministrum S. Francisci successorem: Aut non. Si non, habetur intentum, nempe Congregationem Capuccinorum non esse scissam, sive divisam, & separatam ab ordine S. P. Francisci. Si secundum, nempe Pontificem voluisse scindere ordinem. Inprimis absque gravi summi Pontificis injuria credi, nedum asseri potest. Deinde ratio etiam evidens obstat: Cùm enim Capuccini ejusmodi separationem ad Regulam purè servandam peterent, potuisset utique Pontifex respondere: Petitis à me facultatem, &c. ut possitis Regulam purè, & ad litteram observare, & simul petitis separari ab obedientia ordinis, An non videtis hanc esse evidentem in adjecto

contradictionem? Præterea arguo sic ad hominem: Capuccini sunt veri Regulæ observantes, ut Pontifices attestantur: ergò facientes Generalem, & Congregationem extrà ordinem Observantium, non faciunt contrà Regulam. Totum argumentum est Speculatoris in alio proposito: ut enim probet, non esse contrà Regulam deferre caputium rotundum, &c. facit hoc argumentum: RR. Patres de Observantia sunt veri Regulæ observatores, ut testantur Pontifices: ergò portantes caputium rotundum non faciunt contrà Regulam: Implicat enim esse veros Regulæ observatores, & facere contrà unum tantùm Regulæ præceptum. Denique quod Pontifex nullâ cum Capuccinis usus sit dispensatione, patet ex resolutione illius casus consciẽtiæ super illo Regulæ præcepto Fratri Ioanni à Christo factâ, de quo satis suprà: Quamquam verò prædicta argumenta nostram intentionem satis, superque, ut credimus, comprobent: Quia tamen post hæc scripta ad manus devenit liber nunc primùm in Vrbem invectus, cujus titulus est, *Theologia Regularis*, Auctore quodam Monacho Cisterciensi nomine Ioanne Caramuel, in quo idem Auctor similem omninò controversiam inter Benedictinos, & Cistercienses exortam, longè, lateque disputat integrâ disputatione, quæ in ordine est 35. cui titulum indidit, *Benedictinum, & Cistercienſem ordinem nullatenùs distingui.* Optimè consultum duximus totam ejus disputationis seriem in præsentiarum, breviusculum tamen, transferre, mutatis nominibus Benedictinorum, & Cisterciensium, in Franciscanorum, sive Minorum, & Capuccinorum.

Inprimis hic Auctor præmittit, ejusmodi quæstionis intel-

ligen-

ligentiam omnibus, qui Divi Benedicti vexilla sequuntur, utilissimam fore, & necessariam. Quare & nos quæstionem, quam in hoc nostro Opusculo, sumptâ occasione à Speculatore, ventilandam sumpsimus, utilissimam pariter esse jure-meritò asserere possumus.

Secundò, idem Auctor titulum disputationis clariùs exponit illis verbis: *Vtrùm scilicet nostri, qui prima Cistercij fundamenta jecerunt, novum ordinem à Benedictino distinctum constituerint? an verò ipsum conservaverint?* Eadem itaque est quæstio in præsenti titulo à nobis proposita. Vtrùm Capuccini, qui Congregationis Capuccinorum posuerunt fundamenta, novum ordinem à Franciscano distinctum instituerint? an verò ipsum conservaverint?

Tertiò, idem Auctor refert opinionem contrariam, illis verbis: *Contrà me video communem penè omnium opinionem, qui nos credunt à Benedictinis defecisse, & novam Religionem instituisse.* Et statim de hac opinione quid sentiat, declarat, inquiens: *Dicunt, sed huc usque nullam apparentem rationem scriptis publicarunt.*

Quartò, vice versâ Benedictinorum nomen nullis aptiùs, quàm Cisterciensibus competere, idem constanter asseverat: *Ipsi enim*, inquit, *sunt, qui verè sunt Benedictini.* Eadem respectivè quispiam ex nostris, & fortasse etiam veriùs dicere potest: negare quidem aliquos, Patres nimirùm de Observantia, Capuccinos verè esse Franciscanos: quippe qui, ajunt, à Franciscanis defecerint, & novam instituerint Religionem: Adhuc usque tamen nullam apparentem suæ opinionis attulisse rationem. Porrò illud indubitatum est, contrà nos utique in proposito communem minimè extare opinionem: Nam

(si Obſervantes excipias) aut neminem, aut vix facilè reperies, qui Capuccinos verè Franciſcanos minimè eſſe affirmet, aut exiſtimet.

Quinto, idem Auctor efficaciter contrarium, nempe Ciſtercienſes nullatenùs à Benedictinis defeciſſe, aut novam, & à Benedictinis diſtinctam Religionem conſtituiſſe, probare geſtit, atque adeò argumento quaſi ad hominem, ad adverſarios ſtringendos, Ciſtercienſem familiam non eſſe ordinem à Benedictino diſtinctum, hoc ferè modo demonſtrare proſequitur. Si Ciſtercienſis Religio eſt novus ordo, neceſſarium eſt aliquando habuiſſe exordium: hæc major eſt indubitata: tunc ſubſumit: Aut ergò cœpit, quandò primi Ciſtercienſes ex Moliſmo egreſſi fuerunt, & ingreſſi ſunt Ciſtercium: Aut quando Ciſtercij ſecundam emiſerunt profeſsionem: Aut quando ex Pontificis privilegio exempti ſunt, ac ſummò Pontifici immediatè ſubjecti: Aut quando novas ipſi Conſtitutiones in proprio Capitulo condiderunt: Aut quando habitum mutaverunt: Aut quando aliquot jam Monaſterijs erectis chartam, ut inquiunt, charitatis fecerunt; hæc eſt enim ſufficiens partium temporis enumeratio. Tunc iterùm ſubſumit: Sed in nullo horum actu hæc nova Ciſtercienſium Religio, ut à Benedictinis diſtincta, ſuum exordium ſumpſit: ergò ordo Ciſtercienſium non eſt Religio diſtincta ab ordine Benedictinorum. Vltimam minorem, quoad ſingula membra, diſtinctis articulis probat. Et primò quoad primum, nempe non mutaſſe Religionem Ciſtercienſes, cùm primò egreſſi ſunt ex Moliſmo, toto art. 1. in quo oſtendit, langueſcente ordine Benedictino in Gallia, Deum, qui ſuâ providentiâ omnia

omnia gubernat, misisse robur contrà infirmitatem, & contrà morbum, medicinam: hæc enim sunt formalia ipsius verba, ex quibus semel, bis, & iterùm concludit hoc ferè modo: Mens igitur primorum Cisterciensium non fuit valedicere S. Benedicto, sed separari ab his, qui valedicerent; Neque novum ordinem diversum instituere: atqui solùm nova erigere Monasteria, in quibus antiquus conservaretur, & avita. S. Benedicti perfectio perennaret: Ac demùm non aliud Institutum profiteri, sed juxtà mentem D. Benedicti, ac sanctissimæ Regulæ præcepta, vitam instituere: Non ergò in egressu à Molismo, vel in fundatione Cistercij, nova incepit Religio. Hæc omnia ferè verbum pro verbo ille, quæ planè non minùs de primis Capuccinis enunciari posse, nullus videtur relictus ambigendi locus: Languescente enim ordine Minorum, ut testatur ipse quoque Speculator, sicut jam patuit, Deus, qui gubernat omnia, misit primos Capuccinos, robur contrà infirmitatem, &c. quorum mens utique non fuit valedicere S. Francisco, aut novum diversum instituere ordinem, sed nova erigere Monasteria, ubi juxtà mentem S. Francisci, & sanctissima Regulæ ipsius præcepta viverent: Non ergò ex eo, quod Capuccini exierint ab Observantibus, aut Observantium Monasterijs, & nova extruxerint, in quibus avita S. Francisci Regulæ observantia coleretur, viritim affirmari potest, primos Capuccinos novam instituisse Religionem, & non potiùs antiquam conservasse.

Secundò probat quoad secundum membrum eandem minorem toto art. 2. Quia scilicet primi Cistercienses non tam fecerunt novam professionem, quàm veterem Molismi pri-

mitùs emiſſam confirmârint. Quod argumentum quantum ad noſtros eſt validiſſimum: Nam primi Capuccini neque etiam profeſſionem ſemel in ordine Fratrum Minorum emiſſam, cùm ab ipſis egreſſi ſunt, & ad nova ſe loca contulerunt, ratificârunt. Quo fit, ut ſemper fuerint veri illius ordinis Religioſi, cujus emiſerunt profeſſionem: Emiſerunt autem utique in Ordine, ſive Religione S. P. Franciſci: ergò fuêre ſemper veri Seraphici ordinis filij. Quod ſi primi Capuccini fuêre Seraphici ordinis alumni, utique & cæteri omnes, qui eorum veſtigia ſunt ſequuti. Quod ſi primi Capuccini ab ordine Obſervantium ſe ſeparârunt, non alia profectò de cauſa præſtiterunt, niſi ut magis S. P. Franciſco adhærerent, & Regulam ab eodem traditam, quamque profeſſi erant, magis ad litteram, & ad mentem Seraphici Patris obſervarent. Quod non eſt ſeparari à Seraphico Patre, aut ejus Regula, & ordine; atqui eidem magis adhærere, ſive conjungi, ut optimè Caramuel.

Tertiò, idem Auctor probat eandem minorem quoad tertium membrum toto art. 3. inquiens, non valere conſequentiam, Ciſtercienſes non ſunt ſubjecti juriſdictioni Moliſmenſium, aut Caſinenſium, ſed immediatè ſubduntur Pontifici: ergò non ſunt Benedictini: Quia exemptio novum minimè conſtituit ordinem. Eodem nos quoque modo reſpondere valemus: Non ideò, quia exempti ſumus à juriſdictione RR. Patrum de Obſervantia, & ſumus ſubjecti noſtris Prælatis, novam, & diſtinctam facere Religionem. Cæterùm, ut verum fatear, hoc argumentum aliunde nos urgere videtur: Nam ſi exempti ſumus ex privilegio, prout exemptos eſſe Ciſtercienſes ſuppo-

ſupponit Caramuel, jam non ex vi Regulæ, atque ita, ſecluſâ Regulæ diſpenſatione, de jure, erimus ſubjecti RR. Patribus de Obſervantia, ac demùm de jure Regulæ, Generalis Patrum de Obſervantia, erit Generalis totius ordinis Minorum, etiam RR. Patrum Conventualium, & Capuccinorum (ſi verè Fratres Minores ſunt) Ac tandem Capuccini non erunt obſervantes regulæ ad litteram, quantum ad duo præcepta, quibus cavetur, unum eſſe debere totius ordinis Generalem Miniſtrum, cui omnes Fratres obedire tenentur, tanquam ſubditi ſuperiori, ſive Prælato: Quare nos negandum potiùs eſſe cenſemus antecedens, nempe Capuccinos exemptos eſſe, propriè loquendo, à Prælatis ordinis Minorum, ſive S. P. Franciſci: Exemptio quippe ſupponit ſubjectionem in exempto de jure: Licet autem primi Capuccini ex vi ſuæ profeſſionis, eſſent ſubjecti Prælatis ordinis RR. Patrum de Obſervantia: Ex quo tamen licentiam à ſummo Pontifice Clemente VII. obtinuerunt, ſeparandi ſe ab ordine prędicto, ad effectum purioris vitę, juxtà avitã S. Franciſci Regulam, inſtituendæ; non plus cenſeri debent fuiſſe exempti à juriſdictione RR. Patrum de Obſervantia, quàm ipſimet à juriſdictione RR. Patrum Conventualium, quando ex Decreto Leonis X. ob eandẽ cauſam, nempe Regulam puriùs obſervandi gratiâ, ab ijſdem PP. Conventualibus ſegregati ſunt. Quare notandum eſt, aliud eſſe exemptionem propriè, aliud ſeparationem, ſive receſſionem ordinis ab ordine, ad ordinẽ ſanandum, reformandum, & ad avitam Fundatoris perfectionem reſtituendum: in quo non ſatis cautè videtur loquutus Caramuel de ſuo ordine Ciſtercienſi: ſi enim miſſi ſunt Ciſtercienſes robur contrà infirmitatem, & contrà

mor-

morbum medicina, utique Cistercienses potiùs in Benedictinorum jurisdictione, saltem quoad Deum, successerunt, quàm à Benedictinorũ jurisdictione exempti fuerint: Rectiùs igitur censeri possunt exempti à Molismensium Prælatis, quorum Monasteria eo ipso, quo erant languida, & infirma, censeri minimè poterant Monasteria primæ Regulæ, aut Instituti S. P. Benedicti.

Quartò, idem Auctor probat eandem minorem quoad membrum quartum, & quintum, toto art. 4. negans antecedens, & consequentiam: Consequentiam, quia non valet: Congregationes habent diversas constitutiones: ergò sunt diversæ Religiones; quippe per constitutiones non mutantur Religiones, cùm constitutiones sint quædam solùm extrinseca Regulæ observantiam coadjuvantia. Antecedens, quia non potest dici, constitutiones Cisterciensium esse diversas ab ipsa S. Benedicti Regula: Argumentum utique concluderet, ubi constitutiones ita distraherent Cistercienses, ut S. Benedicti Regulis, & ordinationibus contraria statuerent: secùs ubi constitutiones sunt Regulæ consonæ, vel Regulæ declaratoriæ, &c. Cùm autem Constitutiones FF. Capuccinorum, ut patet ex prologo, & multò magis ex ipsa Constitutionum serie, Regulæ S. P. Francisci non adversentur, quin potiùs eidem Regulæ consonæ existant, ex hoc capite nullatenùs inferri potest, Congregationem Capuccinorum esse ab ordine Minorum, sive S. Francisci distinctam.

Quintò, idem Auctor probat eandem minorem quoad sextum membrum, negando item antecedens, & consequentiam: Consequentiam, quia sola habitus mutatio nõ immutat Religio-

Religionem. Antecedens, quia Cistercienses non immutârunt habitum primævum S. P. Benedicti. Hoc argumentum pro nostris magis etiam est validum; sive enim habitus immutatio immutet Religionem, sive non (quod non esse indubitanter nos quoq; credimus) cùm nostri Capuccini habitum S. Francisci non immutârint: Nam ut ex testimonio Speculatoris infrà probabitur, habitus Capuccinorum is est, quem S. P. Franciscus cum suis socijs gestavit: si qui autem ejusmodi habitum immutasse dicendi sunt, alij magis utique, quàm Capuccini: Atque ita alij potiùs S. P. Francisci Religionem immutassent: Capuccini verò, habitu restituto, eandem pariter Religionem ad pristinum reduxissent.

Sextò, idem Auctor satisfacit cuidam tacitæ objectioni: Pontifices, inquit, vocant Religionem Cisterciensium nomine proprio, id est, ordinis Cisterciensis: ergò Religio Cisterciensium est ordo distinctus à Benedictino: negatque consequentiam, Nam qui vocant, ait, ordinem Cisterciensem, non propterea negant Benedictinum, & si diceretur ordo Benedictinus Cisterciensis, plura verba inutiliter ponerentur: Nam sub differentiæ nomine tota species intelligitur. Vnde idem est dicere, ordo Cisterciensis, ac ordo Benedictinus: quia Benedictinus est veluti species: Cisterciensis verò veluti differentia individualis. Quod clariùs idem Auctor alibi explicat, inquiens, plures esse Congregationes Benedictinorum, quæ tamen non sunt plures ordines, sive Religiones diversæ; sed plures, & differentes ejusdem ordinis Congregationes, aut etjam Provinciæ. Ita ille disp. 34. circà finem: Atque per hæc satisfacit etiam alteri objectioni, quam proponit art. 9. sic

arguens. Si ordo Cisterciensis est idem cum Benedictino, erit ergò licitus transitus ab uno in alium, absque nova professione, ex sola Superiorum licentia, sicut licet transire ex una Provincia in aliam, &c. Concedit enim totum argumentum, & de facto sæpiùs transitum utrinque contigisse multis exemplis commemorat.

Tota hæc doctrina mirè aptatur ad nostros: In primis enim Congregatio Capuccinorum, non simpliciter ordo Capuccinorum, sed ordo S. Francisci Capuccinorum, aut Capuccinorum S. Francisci à Tridentino Concilio, & summis Pontificibus appellatur: Quod additum non est superfluum, ut non satis cautè Caramuel; Quia saltem est ad majorem veritatis expressionem, & ad omne dubium removendum. Mirum est autem planè, quomodo Speculator etiam stante illo addito expresso in Tridentino, adhuc Congregationem Capuccinorum propriè non esse ordinem S. Francisci, asserere minimè vereatur. Quantum verò ad illud de mutuo transitu, concedi potest, quod asserit Caramuel, duobus suppositis. Primum est, omnes unius ordinis Congregationes quantum ad puræ Regulæ observantiam esse æquales; secùs ubi una Congregatio à pura Regula, sive ex privilegio, sive ex abusu etiam, solùm in aliqua essentiali parte, putà in uno Regulæ præcepto defecisset: alia verò in pura Regula permaneret. Vnde non est licitus transitus à Capuccinis ad PP. Conventuales, neque ad alios quoscunque, quorum ordo à pura Regulæ observantia defecit. Secundum est, ejusmodi transitum non esse ab his, ad quos spectat, interdictum. Vnde hodie non licet ab una Congregatione ad alteram transire, obstante Pontificis prohibitione.

bitione. Quod denique ait Caramuel, unum esse ordinem, plures autem Congregationes, sive Provincias: non est omniquaque verum, quantum ad nos; si enim essent plures unius ordinis Congregationes, aut Provinciæ, singulæ profectò forent unius totius ordinis partes: ac proinde necessarium esset, ut hæ omnes partes suo capiti connecterentur; ac demùm, quod unum esset omnium caput, nempe unus Generalis Minister, ut est notissimum, præsertim in ordine Fratrum Minorum, in quo, ex Regulæ præscripto, unus tantùm debet esse Generalis Minister, cui omnes Fratres, nedum omnes Congregationes, parere tenentur. Veriùs itaque, & congruentiùs asseritur, esse veluti unum, & eundem ordinem infirmum, & sanum, sive deformatum, & reformatum, &c.

Quod ex ipso etiam Caramuele liquet: Nam toto art. 8. non aliâ ratione positivâ probat, ordinem Cistercienſium non esse distinctum, sed eundem: Quia Cistercienses non tam fuêre Institutores alicujus novi ordinis, quàm antiqui, nempe Benedictini, Reformatores, & Renovatores, ut ibi per eum. Et ideò hoc argumentum maximè facit pro nostris: Nam primi nostri Capuccini ubique Reformatores, & Renovatores appellantur, & Congregatio Capuccinorum Reformatio. Potest autem dupliciter ordo languens, sive deformatus sanari, & reformari: Aut quia ipsa membra languida in individuo reformantur: aut quia manentibus ejusmodi membris in suo languore, nova succedunt membra omninò sana. Et hoc modo contigit reformatio, & sanitas in ordine Benedictino, ope primorũ Cistercienſium: ac item in ordine FF. Minorum,

operâ primorum Capuccinorum, qui ſe ipſos reformantes in individuo alia membra ſucceſsivè ſana ad ordinem formandum, ſibi ipſis, ſummorum Pontificum auctoritate, aggregârunt: ita ut à principio ſanitas, & reformatio in aliquibus membris individuè facta ſit: In alijs verò ſucceſsivè, quatenùs primis in ſe reformatis, alia quædam ſucceſsivè, juxtà primam ſanitatem, cohæſerunt. Et hoc ordine congruentiſsimo: quia prima Reformatio debet incipere à ſeipſo. Concludamus ergò, primos Capuccinos non mutaſſe ordinem, quando egreſſi ſunt ex Patribus de Obſervantia: Non quando nova Monaſteria erexerunt: Non quando nova ſtatuta condiderunt: Non ex ſecunda profeſsione, quam nunquam emiſerunt: Non ex habitus mutatione, quam nunquam fecerunt: Non in exemptione à Prælatis ordinis Minorum, ſive S. P. Franciſci: Tum, quia nunquam exempti ſunt: tum, quia dato etjam quod forent exempti, exemptio prædicta Religionem nullatenùs immutat: Manet ergò liquidum, Fratres Capuccinos verè, ac propriè eſſe Franciſcanos, ſive ordinis Minorum, ac ſancti P. Franciſci: Ac proindè tandem, Congregationem Capuccinorum unum, eundemque S. P. Franciſci ordinem per legitimam ſucceſsionem conſtituere, non autem diſtinctum, ſive ſeparatum, niſi quatenùs una pars ordinis neceſſariò ſeparata cenſetur ab altera propter ſucceſsionem: Ea eſt enim natura entis ſucceſsivi, ut una parte, priore nempe abeunte, alterâ ſuccedat; & ſic, non aliter ens ſucceſsivum unum eſſe perhibetur: non quia omnes ſui partes ſimul habeat (id quippe proprium eſt entis permanentis, & nullo modo competere poteſt ſucceſsivo, ut patet ex Philoſophia.)

Itaque

Itaque ordo ſuccedit ordini, in quantum primi ordinis Inſtitutores pereunt, & alij in eorum locum ſucceſſivè ſubrogantur: Quia verò ordo conſtat ex ſua materia, & ex ſua forma, de quo alibi: ideò ut unus, & idem ordo ſucceſſivè cenſeri valeat, neceſſarium eſt ita ſuccedant perſonæ perſonis, ut in omnibus eadem Regulæ profeſſio, & obſervantia omniquâq; integra, & intemerata quantum ad ſubſtantialia permaneat: Aliàs non erit eadem Eccleſia, ſive ordo formaliter, & univocè, atqui ſolùm materialiter, & æquivocè. Quod maximoperè notandum eſſe aliàs etiam advertimus.

Dices, non poſſe negari non eſſe factam ſciſſionem, aut ſeparationem per novam Capuccinorum Congregationem. Reſpondeo, Caveamus, quæſo, æquivocationem, & clariſſimè tota veritas apparebit. Si eſt ſermo de ſeparatione aliqua purè materiali, hanc nullus negare poteſt: Ita enim ſunt ſeparati Capuccini ab Obſervantibus, ſicut ipſi Obſervantes ſeparati ſunt à Conventualibus in generaliſſimo Capitulo ſub Leone X. de qua ſeparatione ita ſcribit Speculator pag. 15. *Videns itaque Pontifex, quod ex membris, adeò inter ſe diſſentientibus, vix poſſet conflari religioſum aliquod corpus, in quo ſpes foret, ſtabilem aliquam pacem, & unionem conſervandi, ſtatuit*, &c. En expreſſam ſeparationem Pontificis mandato factam: ac ſimiliter ejuſdem ſeparationis cauſam: Sicut ergò ex mandato Leonis ſejuncti ſunt Obſervantes à Conventualibus, & Conventuales ab Obſervantibus; nec tamen propterea ordo S. P. Franciſci propriè, & formaliter ſciſſus fuiſſe cenſetur, nec Congregatio Obſervantium ab ordine Fratrum Minorum, aut S. Franciſci ſeparata fuiſſe; benè verò à Congregatione Conventualium:

Ita ex alterius Pontificis Decreto ſejuncti ſunt Capuccini ab Obſervantibus: Ac proinde revera Congregatio Capuccinorum ex Decreto Pontificis fuit ſeparata ab ordine Obſervantium; non tamen ab ordine Fratrum Minorum, ſive Seraphici Patris Franciſci: Cauſam verò hujuſce ſeparationis, nempe Capuccinorum ab Obſervantibus, ipſe ſummus Pontifex novit, ac ſatis etiam in ſuis Bullis expreſſit.

Dices iterùm, implicare contradictionem, aſſerere Congregationem Capuccinorum eſſe quidem ſeparatam ab ordine Obſervantium, non autem ab ordine Fratrum Minorum, ac Seraphici Patris Franciſci; quia ordo Obſervantium eſt ordo Fratrum Minorum; Huic objectioni jam aliàs ſufficienter reſpondi

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm Capuccini juſtam habuerint cauſam ſuæ prætenſionis, inſtituendi ſcilicet Reformationem extrà ordinem.

NEgat acriter Speculator, præſertim totâ quæſt. 10. eâ potiſſimùm motus ratione, quod quæcunque ſeparatio eſt potiùs ordinis deſtructio, quàm reformatio: ac proinde ordini nocua magis, quàm proficua. Vnde etiam conqueritur totâ quæſt. 15. Quod Capuccini ſemel ab Obſervantibus diſtracti, unionem à Generali Obſervantium oblatam recuſârint: Verùm quod ad hanc partem pertinet, ſatis ſuperiùs factum puto: ſi enim eſt intolerabile præjudicium antiquo Fratrum Minorum ordini intentare reformationem extrà ordinem, ut loquitur Speculator pag. 86. ibi: *Hinc patet quantum,*

tum, & quàm intolerabile præjudicium antiquo Obſervantium ordini per Reformationem ab eo ſeparatam illatum, vel ſaltem intentatum fuerit, &c. Cur non conqueritur de ſuis, qui tale præjudicium intentârunt (loquor ad hominem) eo ipſo, quo reformationem extrà ordinem à Conſtantienſi Concilio ſuppliciter exorârunt: Quia verò allegare inconveniens non eſt ſolvere, magis ex directo huic Speculatoris argumento Reſpondeo, Non Reformationem eſſe, quæ deſtruit ordinem deformatum, ſed deformationem, quæ deſtruit ipſum formatum, aut reformatum: Deformatio enim propriè eſt deſtructio, hoc eſt, à bona forma ad malam corruptio: Reformatio verò eſt reparatio: quemadmodùm infirmitas, & mors, eſt, quæ conſumit, & deſtruit corpus ſanum: ſanatio verò corporis infirmi, nullo modo cenſeri poteſt ejuſdem deſtructio; ſicut neque reſurrectio poteſt dici mortui deſtructio: Itaque Reformatio Capuccinorum fuit ſanatio ordinis infirmi, ſi non mavis, Reſurrectio ejuſdem ordinis mortui: haud ſecùs, quàm Reformatio Obſervantium, per quam ferè emortuum Religionis corpus fuit ſanatum: Ita enim ferè emortuum Religionis corpus appellat idem Speculator pag. 113. qui abſolutè mortuum vocare potuiſſet; quia omnis deformatio circà ſubſtantialia ita eſt infirmitas, ut pariter mors exiſtat. Solùm poſſet nobis obijci, quod toties Speculator inculcat, non Reformationem ut ſic, ſed Reformationem extrà ordinem ab eodem appellari deſtructionem: Verùm jam oſtendimus, etiam ad hominem, Reformationem Capuccinorum non eſſe extrà ordinem Fratrum Minorum: Eſto, ſit extrà ordinem RR. Patrum Conventualium, ac etiam de Obſervantia.

Alio item argumento motus Speculator, negat Capuccinos habuiſſe aliquam juſtam rationem, ſuam introducendi Reformationem: Quia nimirùm falſum eſt, eos tunc extitiſſe abuſus contrà Regulam, quos Capuccini jam in ordinem irrepſiſſe jactabant: Quinam autem ſint abuſus, quos Capuccini Ordini Obſervantium obijciebant, habes diſtinctè apud Speculatorem quæſt. 16. Sunt autem ex aliqua parte ijdem cum his, quos Patres de Obſervantia objecerunt ordini Conventualium in Concilio Conſtantienſi, de quibus Chronica Religionis 3. part. cap. 30. ubi ſic dicitur: *La domanda, che facevano i Frati zelanti dell' oſſervanza, conteneva otto coſe, nelle quali communemente erano i precetti della Regola traſgrediti, & inoſſervati della Communità de' Conventuali.*

Porrò ut, quæ de ejuſmodi abuſibus à Speculatore obijciuntur, tamquam falſa à Capuccinis expoſita, meliùs intelligantur: Notandum eſt, in duobus poſſe eſſe controverſiam. Primùm ſpectat ad quæſtionem facti: Secundùm ad quæſtionem juris. Quantum ad primum, adhuc bifariè poteſt eſſe quæſtio: Primò in communi, An ſcilicet corpus Religionis ita eſſet deformatum, ut egeret reformatione: quo ſenſu non video, quâ ratione ſuſtineri valeat, nullum prorsùs in ordine fuiſſe tunc contrà Regulæ puritatem abuſum; Si enim nullus erat abuſus in ſubſtantialibus, nullâ prorsùs opus erat reformatione; atque ideò ridicula cenſenda foret, quæ inter ipſos poſteà facta eſt reformatio; ac ridicula pariformiter eſſet differentia inter ſtrictam, & ſtrictiorem obſervantiam. Sed de hoc ſatis alibi. Secundò igitur poteſt eſſe quæſtio in particulari, Vtrùm ſcilicet ſit aliqua deformatio, ſive abuſus particularis,

circà

circà particulare aliquod præceptum, putà si in ordine passim annuæ provisiones fiant, sive granaria, & cellaria habeantur: Atque hoc modo Capuccini quosdam particulares abusus objecerunt, ut illum nuper nominatum de cellarijs, & granarijs, sive annuis provisionibus, quas idem Speculator, quantum ad facti veritatem attinet, satis clarè admittit; solùm verò quantum ad juris rationem spectat, illud non esse contrà Regulæ puritatem, contendit: ipsum audiamus pag. 139. *Neque in hoc* (quod scilicet habeantur granaria, & cellaria, &c.) *contrà nos, sed pro nobis facit Clemens V. in sua declaratione, dicens, Non esse verisimile S. Franciscum voluisse Fratres, & filios suos habere granaria, vel cellaria, ubi quotidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam. Et idcircò non ex timore levi relaxare se debent ad congregationes, & conservationes hujusmodi faciendas; sed tunc tantùm cùm esset multùm credibile ex jam expertis, quod non possent vitæ necessaria aliter invenire. Nam subjungit: Hoc autem Ministrorum, & Custodum simul, & separatim in suis administrationibus, & custodijs* (*cùm Guardiani, & duorum ex Conventu loci discretorum Sacerdotum, & antiquorum in ordine Fratrum, consilio, & assensu*) *duximus judicio relinquendum: Eorum super hoc specialiter conscientias onerantes.* Hæc ille, quantum ad granaria, & cellaria spectat. Idipsum ferè asserit de recursu ad eos, apud quos aliqui spiritualia percipientes, deponunt temporalia ad usum Fratrum expendenda; factum enim admittit: ipsum tamen approbat, ut totâ quæst. 18. Item eodem modo excusat factum aliud quæst. 19. nempe recursum ad hæredes gravatos à testatore dare annuas eleëmosynas etiam in perpetuum.

His, quantum ad facti quæstiones pertinet, ex ipso Specu-

latoris testimonio præsuppositis, quæ vix unquam in animum meum hactenùs inducere potueram, præsertim, quæ de granarijs, & cellarijs asserit: Quod scilicet RR. Patres de Observantia, præsertim Reformati cellaria, & granaria habeant.

Quantum ad doctrinam, quam pro resolutione quæstionum juris, Speculator in illis suis quæstionibus habet, de duobus monitos esse volo puræ observantiæ zelatores.

Primum est, licet verum sit, puram observantiam non consistere in indivisibili, quantum attinet ad provisiones, ædificia, &c. quæ non sunt omninò determinata in Regula; quo fit, ut non solum ex jure speciali c. exijt. & Clem. exivi. Superiorum iudicio, sive arbitrio commissum sit judicare, quisnam in his notabilis contrà Regulam excessus, sive abusus censeri debeat: Verùm etiam ex jure communi, quo cavetur non diffinita à lege, prudentis arbitrio censeri commissa; attamen valdè periculosum esse, prudens, ac rationabile judicium tenere, non declinando ad dexteram, aut sinistram; ubi enim etiam Superiores nō prudenter arbitrarentur, eorum arbitrium nullatenùs foret sequendum: & ideò, ubi evidens esset excessus, adhuc locus reformationi quærendæ foret, aliàs vix in similibus excessus imaginari valeret; vix enim credi potest, Superiores permissuros excessus in fabricis, &c. si verè tanquam excessus contrà puram Regulæ observantiam agnoscerent.

Secundum est, quod non facilè opiniones circà Regulæ interpretationem ad laxitatem trahentes sequantur: Cujusmodi planè sunt opiniones Speculatoris: esto etiam probabiles forent; à quibus propterea, Capuccinos præcipuè, cavere omninò debere existimo. Cujus rei gratiâ.

Notan-

Notandum eſt, ſive potiùs ſupponendum, Seraphicum Patrem aliquando viſum eſſe mentem ſuam, quantum ad opiniones amplectendas, declarare voluiſſe; ut cùm ait: *Equitare non debeant, niſi manifeſtâ compellantur neceſsitate.* Et: *tempore autem manifeſtæ neceſsitatis Fratres ad jeiunium corporale minimè teneantur.* Dum enim utitur termino, manifeſtæ, excludit utique dubiam, aut etiam probabilem; nam quæ dubia eſt, aut ſolùm probabilis, non eſt manifeſta; ut optimè Caramuel in Theologia Regulari in Comment. ſuper Regulam S. P. Franciſci, & clariùs in Scholio D. Bernardi ſuper Reg. S. Benedicti num. 290. Itaque S. P. Franciſcus, ubi de Regulæ præceptis ſervandis agitur, indicavit, ſequendas eſſe opiniones certas: dubias verò, & probabiles omninò dimittendas. Vnde eſto, opinio probabilis poſsit amplecti, relictâ probabiliore, id denique tantummodò locum habere poteſt, ubi de contraria Legiſlatoris mente minimè conſtat: Secus ubi prohibitum eſſet à Legiſlatore, prout videtur prohibitum eſſe à Seraphico Patre; Quod utique fieri poſſe laudabiliter idem Caramuel omnium noviſsimè, ſcriptum reliquit diſp. 69. causâ præſertim exigente: Quænam autem potuerit eſſe cauſa Seraphico Patri præcipiendi Regulæ obſervantiam ad litteram, & non admittendi excuſationem extrà caſus manifeſtæ neceſsitatis, ex dicendis clariùs apparebit.

Notandum eſt propterea, hanc eſſe bonarum mentium conditionem, ut peccatum agnoſcant, ſive timeant, etiam ubi non eſt; & ratio eſſe poteſt, quia bonæ mentes multùm ſolent eſſe ſollicitæ, non ſolùm, ut non faciant ea, de quibus certò conſtat

esse contrà Deum: verùm etiam ea, de quibus est dubium, sive opinio; quam ob causam bonæ mentes aliter se gerunt, ubi de conscientiæ nitore agitur, circà opiniones eligendas, ac quæ ejusmodi non sunt: Bonæ enim mentes semper eam opinionem eligunt, non quæ minùs probabilis, aut quæ ad laxitatem trahit; sed quæ est probabilior, tutior, & strictior. Hoc prænotato:

Duplex potest congruenter causa assignari justæ prætensionis Capuccinorum, instituendi, nempe reformationem extrà ordinem: Altera puræ observantiæ simpliciter, quam intrà ordinem jam deformatum, & de reformationis remedio, saltem in proximo futuro, minimè sollicitantem, nullatenùs reperire poterant; quæ causa quàm sit justa, imò justissima, præter cætera superiùs allata huc attinentia, hoc uno argumento evidentissimo ostendo. Ponamus ordinem Fratrum Minorum ad eum miserum statum (quantum ad observantiam) aliquando devenisse, quod observantia abscesserit, & ordo sit deformatus in toto (hoc enim non est impossibile; nam, quâ ratione potuit deformari in una, ac pluribus partibus, prout secundùm omnes, verè aliquando fuit deformatus, ita potuit deformari in toto, accipiendo deformationem in toto, modo centies explicato; possibili autem posito in actu, nullum sequi debet absurdum) Adijciamus prætereà, pariter nullam spem, aut de præsenti, aut saltem de imminenti futuræ in ordine Reformationis subesse. Peto, utrùm hoc casu adveniente licitum foret ex pura Regulæ observantia, extrà ordinem Reformationem instituere per omnimodam separationem ab ordine deformato, reformationemque nolente,

ac renuente: an non? & utrùm talis Reformatio vivens sub obedientia Prælatorum propriorum, ex beneplacito Apostolicæ Sedis, prout factum fuit in Reformatione Capuccinorum, censenda foret servare regulam juxtà mentem Institutoris, quantum ad illud speciale præceptum capitis primi, & octavi, in quibus cavetur, omnes Fratres unum Generalem Ministrum totius Fraternitatis habere debere, qui sit S. Patris successor, cuique propterea obedire teneantur, &c. Si concedatur, hoc casu licitum esse, &c. habetur intentum, nempe verum ordinem Seraphici Patris, veramque successionem apud Deum, & Seraphicum Patrem extrà ordinem deformatum in ordine reformato posse sartam, & tectam servari, justamque causam fuisse Capuccinis extrà ordinem reformationem inducere: Si verò denegetur, ergò dari potest casus, in quo reformatè vivere volens, sive potiùs reformationem inducere, non poterit, non enim potest in ordine; nam ut supponimus, Religiosi nolunt reformari: non etiam potest extrà ordinem, quia per te non licet extrà ordinem reformationem instituere: ergò. Hoc argumentum nullo modo potest caveri, nisi fortè aiendo, præsuppositum esse omninò impossibile: verumtamen non esse impossibile, evidenter deducitur ex eo, quod tempore Leonis X. ferè ejusmodi casus advenit; Cùm enim RR. PP. Conventuales reformationem renuerint, ex Decreto Pontificis ventum est ad separationem: Sicut ergò potuit deformari pars nobilissima ordinis, ita ut neque vellet reformationem recipere: ac proinde facta fuit separatio illius partis ab altera reformationem zelante: sicque ex uno ordine duo per separationẽ facti sunt, Reformatorum

unus, alter non Reformatorum: ita potuit totus ordo deformari, ac in sua deformatione velle persistere; quo casu non solùm licitum, verùm etiam sanctum, ac Deo placitum, ac menti S. Francisci consonum foret utique extrà ordinem deformatum novum reformatum instituere, non obstante præfato Regulæ præcepto; quod præceptum quidam ex nostris & doctrinâ, & pietate insignis, intelligi debere asseruit, stante Religione in eo statu, in quo à Seraphico Patre fuit instituta, id est, in sua primæva observantia; at verò emergentibus novis, præsertim verò reformationibus, & deformationibus, prædictum præceptum, juxtà subjectam materiam, aliam recipere interpretationem, quod scilicet unus sit Generalis in uno ordine, alius in altero, in nullo tamen plures, quia monstruosum esset, duo esse unius corporis capita. Hæc igitur fuit prima causa Capuccinis faciendi reformationem extrà ordinem, quæ, suppositâ ordinis deformatione, ac reformationis in ordine proximè faciendæ desperatione, ex se justissima fuit, & est: ac propterea saltem à transgressione illius præcepti de habendo uno Generali Ministro, &c. in utroque foro excusat: An verò ordo RR. Patrum de Observantia tunc temporis esset deformatus, nec ne, satis, superque fuit ostensum: nec Speculator aliter Clementem VII. qui Bullas super reformatione edidit, ab imprudentia, nè dicam culpa, vendicare potest. Quod sine causa in tam gravi præcepto, aut præceptis, cum Capuccinis dispensare voluisset, prout dispensatum fuisse non obscurè Speculator affirmat: tum pag. 40. ibi: *permittente solo Pontifice*: est enim dispensatio veluti quædam permissio. Tum meliùs pag. 103. ibi: *Cùm Romani Pontificis*

deter-

determinatio, *qui est suprà Regulam*, &c. nisi recurrendo ad subreptionem: quæ tamen, præsertim in summo Pontifice, non præsumitur, nisi clarissimè comprobetur, prout verè in facto nostro non probatur. Et planè res mirabilis est, quod ubi Boverius ad omnem subreptionem excludendam juxtà utriusque juris doctrinam, aliquam etiam peculiarem Dei providentiam admittit: è contrà Speculator super hoc de Boverio conqueritur, & quodammodò Bullas subreptionis labe contrà omnes regulas juris inficere satagit; ut videre est pag. 151. ibi: *Non puto*, &c. Et licet fortasse non de omni Bulla reformationis talia Speculator prætendit; certissimum tamen est, illas, de quibus loquitur, ad reformationem pertinere: Nam illud diploma fuit, quo prima reformationis fundamenta jacta fuêre.

Secunda causa instituendi Reformationem extrà ordinem, Capuccinis ea esse potuit, quod Capuccini Regulam Seraphici Patris, juxtà opiniones hominum, eam à suo rigore retrahentium, observare minimè contenti erant: Verùm zelabant observantiam Regulæ in his, quæ sub opinione cadunt, juxtà opiniones trahentes ad strictionem, maximè circà paupertatem; non autem juxtà opiniones trahentes ad laxitatem. Quod ut res clariùs appareat.

Notandum est ulteriùs, bifariè posse quamcunque legem impleri: Primò per se, & in rei veritate: Secundò per accidens, hoc est, solùm in bona fide, opinione, & existimatione; & hoc rursùm dupliciter: Primò, in opinione bonarũ mentium, quę trahunt ad rigorem, & strictionem: Secundò, in opinione mentium, quæ ejusmodi non sunt, & trahunt potiùs ad laxitatem.

Capuc-

Capuccini ergò videntes, in ordine Obſervantium defeciſſe illum rigorem, maximè circà paupertatem, quam zelabat Seraphicus Pater, quæſierunt extrà ordinem reformationem, in qua Regula purè, juxtà mentem Seraphici Patris per ſe, in rei veritate, & non tantùm per accidens, & juxtà opiniones, maximè ad laxitatem trahentes, obſervari valeret. Quare, ut dixi, Capuccinis cavendum ſummoperè exopto ab opinionibus Speculatoris; quia licet fortaſsè probabiles ſint, & ut hujuſmodi excuſari valeant à culpa; verè tamen retrahunt à pura, juxtà mentem S. Patris, Regulæ obſervantia. Quod inde patet; quia aliud eſt ſine culpa legem violare, cauſâ aliquâ rationabili excuſante, prout loquitur Chriſtus in Euangelio, & de quo idem Speculator q. 24. pag. 158. Aliud eſt purè, & ſimpliciter legem ſervare, ſequendo veritatē, aut opiniones certas, & indubitatas, dimittendo probabiles, quæ eo ipſo quo ſolùm probabiles exiſtunt, ſemper ſunt cum formidine ad oppoſitum. Et hæc planè videtur fuiſſe Seraphici Patris ſententia, cùm dixit, ſuæ intentionis eſſe, Regulam ad litteram, & ſine gloſſa ab omnibus eſſe ſervandam: Cui attendentes Capuccini, id, tanquam legitimum ſempiternum circà Regulæ puritatem, putârunt eſſe faciendum, ut dimiſſis opinionibus, & interpretationibus minùs tutis, eas ſemper in praxi ſequerentur, quæ non ſolùm à culpa formali, verùm etiam à materiali tranſgreſſione immunes efficiant. Ejuſmodi inprimis eſt, quæ habetur q. 20. circà proviſiones annuas faciendas, ſive granaria, & cellaria habenda, ubi quid ampliùs prætendit Speculator, nullo nimirum modo eſſe contrà Regulæ puritatem, hujuſmodi proviſiones facere, ſive granaria habere: neque in

hoc

hoc contrà ipsos esse, imò pro ipsis, Clementem V. in sua declaratione, ubi ait, non esse verisimile, S. Franciscum voluisse Fratres, & filios suos habere granaria, vel cellaria: Nam id commisit consilio, ac judicio Prælatorum ordinis. Cæterùm Clemens V. quantum ad annuas provisiones, sive granaria, & cellaria ponit veluti casum quendam exceptionis contra Regulam, juxtà modum loquendi Iuristarum. Vnde facit hunc sensum, Fratres Minores, juxtà mentem S. Francisci regulariter non debent habere granaria: Statim verò excipit regulam, excepto nimirùm casu, in quo Superiores, attentis circumstantijs, aliud prudenter judicarent, sicut ipse S. Pater c. 2. loquens de Caparone, regulariter novitijs imponendo, excipit casum, dicens, *salvo*, &c. Si ergò Speculator intendit, licitum esse ex Regula, junctâ Clementis declaratione, regulariter habere granaria, & cellaria: Quidquid sit de hac opinione, à qua Capuccini, zelo observandi Regulam secundùm mentem Seraphici Institutoris, hactenùs semper in praxi abstinuerunt, & in posterum omninò abstinere debent; sufficit nobis Clementem VII. (cui hic inter alios primus à primis Capuccinis, tanquam principalis abusus contrà puram Regulæ observantiam fuit expositus, sicut etiam fuit expositus Duci Nucerino; ut patet ex ipso Speculatore q. 16. p. 121. sic fante. *Inter quæ primum est annua tritici, vini, cæterarumque rerum provisio, ubique ferè in ordine recepta*) justam, ac rationabilem eorundem Capuccinorum petitionem existimasse: Adeò ut propterea expediens, ac necessarium censuerit eisdem Capuccinis concedere, quod petebant. Et ne longior, quàm par est, inveniar,

eadem dicta velim quoad alia, quæ habet Speculator quæſt. 18. de recurſu ad eos, apud quos aliqui ſpiritualia percipientes, ut prædicationes, ſepulturas: temporalia etiam pro Fratrum uſu, ſive ad Fratrum uſum expendendo, deponunt, dum ait, ejuſmodi recurſum perinde eſſe, juxtà puram Regulæ obſervantiam, ac recurſum pro mercede laboris corporalis: Cùm tamen Regula, ut patet cap. 5. nihil prorsùs loquatur de petitione mercedis, atqui ſolùm de receptione. Verba ſunt iſta: *Sed de mercede laboris, recipiant neceſſaria*, &c. Similiter, quæ idem habet q. 19. de recurſu, ſive petitione ab hæredibus, qui gravati ſunt à teſtatore, dare annuas eleëmoſynas, etiam in perpetuum; dum ait, ejuſmodi non eſſe annuos redditus, aut legata perpetua ex Regula prohibita, nec eſſe contrà puritatem Regulæ, ad ejuſmodi eleëmoſynas, etiam pecuniarias, habere recurſum, dummodò Fratres nullum jus prætendant, &c. Nam parum refert quocumque nomine appellentur, ſive annui redditus, ſive legata perpetua, ſive eleëmoſynæ, præſertim autem, cùm agitur de pecunia, aut eleëmoſyna pecuniaria, quam nullo modo petere licet; ubi verò gravatus ab hærede ſpontè offerret, liceret utique recipere, exceptâ ſemper pecuniâ, aut denarijs. Itaque ex puritate Regulæ non licet recurrere ad eleëmoſynas in perpetuum obligatas, licet fortaſsè ipſe hæres gravatus teneatur ſpontè offerre, quo offerente, poterit etiam Frater Minor recipere. Idipſum tandem dictum velim circà ea, quæ habet quæſt. 21. de ſumptuoſitate ædificiorum, ac paramentorum Eccleſiæ. & quæſt. 22. de mollitie, & pretioſitate veſtimentorum, præſertim, cùm hæc Superiorum arbitrio,

trio, etiam per Clementem V. commiſſa eſſe cenſeantur. Quidquid enim ſit, an arbitrium Superiorum excuſet, certiſſimùm eſt, omne arbitrium, quod trahit ad laxitatem circà paupertatem, puritati Regulæ, iuxta mentem S. Patris, repugnare.

Hæc ergò potuit eſſe ſecunda cauſa iuſtiſſima Capuccinis, intentandi reformationem extrà ordinem: quia nimirum ita apud Obſervantes, invaluerat modus vivendi iuxta opiniones laxas, ut nulla, ſaltem pro tunc, ſpes futuræ in ordine ſtrictæ reformationis ſubeſſet.

Hinc pariter patet, iuſtiſsimam fuiſſe cauſam Capuccinis renuendi unionem: licet enim, non ſolùm Speculator, verùm etiam Bonitus conqueratur de hoc, illis verbis folio 74. *Nec video, quare aliàs hanc unionem recuſârint Patres Capuccini &c.* Vnde & ipſe ſummoperè, aut omnimodam unionem omnium Franciſcanorum in uno ovili, ſub unico Paſtore, aut ſaltem in gemina Congregatione, quarum una, pro infirmioribus, iuxta Indulta Apoſtolica, laxiùs: altera, iuxta Regulæ puritatem ſtrictiùs viveret, fieri deſiderare viſus eſt, ad tantam maximè inter Franciſcanos confuſionem cavendam: Cùm tamen triplex ſit Regulæ obſervantia, ut alibi, & omne trinum ſit perfectum, multò magis expedire cenſerem, ut iuxta triplicem obſervantiam, triplex ſit Congregatio, bona una, quæ ſcilicet eſt infirmorum, & obſervat Regulam iuxta privilegia: ſecunda melior, quæ eſt ſanorum, Regulam Obſervantium cum quadam laxitate, iuxtà opiniones probabiles: Tertia denique optimorum, rigidè, juxtà ſimplicem S. Patris

intentionem, Regulam Obſervantium; dummodò quælibet ſit in ſe uniformis, prout eſt Congregatio RR. Patrum Conventualium, ac credo indubitanter, Capuccinorum: hoc quàm maximè teſtante Bonito fol. 26. An verò hanc uniformitatem invicem ſervent Patres de Obſervantia, nec ne? ipſi, & alij ad oculum intueri valent. Ad hanc triplicem obſervantiam in triplici Congregatione diſtinctâ, ſi quis aſſereret, alludere voluiſſe illum Religioſum, qui, ut refert Speculator, ſemel ab Obſervantibus ad Capuccinos tranſierat, ac iterùm à Capuccinis ad Obſervantes redijt, cauſamque ſciſcitatus hujuſce reditus, reſpondiſſe fertur: *Sancti Conventuales, ſancti Obſervantes, ſancti Capuccini*: à veritate fortaſsè non abhorreret; neque enim dubitandum eſt, quin alia ſit, generaliter loquendo, inter Capuccinos, & RR. Patres Conventuales ſanctitatis forma: quare perbellè ad hanc triplicem ſanctitatem in triplici obſervantia conſiſtentem indicandam, dixit ille, ſanctos Conventuales, primo ſcilicet gradu ſanctitatis in prima obſervantia conſiſtentis; ſanctos item Obſervantes, ſecundo ſcilicet ſanctitatis gradu; ac ſanctos denique Capuccinos ultimo, & perfectiſſimo ſanctitatis gradu, ex tertia, id eſt, optima Regulæ obſervantia. Quia tamen res iſta in propriæ Religionis laudem excreſcere videtur, parcimus ulteriori probationi: Si quis tamen eandem rem mirè explicatam videre voluerit, conſulat Bonnitum fol. 27. ubi ex Hugone Cavello plura de optima præ omnibus Franciſcanis apud Capuccinos obſervantia præclarè ſcripta reperiet. Licet autem prædictæ duæ cauſæ ſatis ſuperque eſſe poſsint ad fundãdam Capuccinorum intentionem, addi poteſt nihilominùs & tertia: Quia nimirùm alio-

rum

rum experientiâ, aut exemplo didicerant reformationem in ordine diu incolumem minimè posse subsistere: pro quo præter alia alibi ad hanc rem adducta, mirè facit celebre quoddam S. Bernardini responsum, huic loco consultò reservatum, quod refertur 3. part. Chronic. lib. 1. c. 62. in hæc verba. *Interrogato S. Bernardino, perche diede il voto à Fr. Antonio Ruscone, è non à Fra Alberto di Sarciano, rispose, che se Fra Alberto era eletto Generale, sarebbe seguito più rouina dell' osservanza, che riforma, perche mischiati li Conventuali con gli Osservanti, i Conventuali haveriano tirati gli Osservanti à i loro difetti.* Simile est, quod non minus verè, quàm solidè, expressit alius quidam ex ordine, ut legitur in eadem 3. p. lib. 8. c. 23. ubi hæc verba habentur. *All' hora un Padre Conventuale si levo in piedi, e disse verso li Osservanti: Padri molto bene facesti à separarui da noi: Onde vi consiglio, se volete osservare la vostra osservanza, non vi unite con noi: e di questo parere furono molti altri Padri Conventuali, & con molte raggioni lo confermorono.* Ex quibus omnibus claro clariùs colligitur, non posse diu in ordine stare reformationem incolumem, ubi permixti sunt Reformati cum non reformatis. Quod tamen dictum ita in Capuccinis taxat Speculator, ut summam omnium, quæ in quadam schedula infamatoria, ut ipse loquitur, à Capuccinis contrà Observantes oblata narrantur, appellet pag. 116. Vnde quilibet judicare potest, cujusmodi sint infamiæ, quas Speculator suo ordini à Boverio impositas esse conqueritur.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm quæstio de forma habitus, ubi de reformatione morum agitur in Religione, utilis esse queat.

NEgat Speculator quæst. 23. ibi: *Levioris momenti, & minùs digna viris Religiosis, est quæstio de forma habitus.* Vnde & q. 26. non dubitavit asserere, disputationes de forma habitus esse nugas, certumque esse minimè curæ fuisse Seraphico Patri formam caputij, utpotè quæ nil facit ad internam, aut externam Religionem: Verùm hæc, quæ tam resolutè asserit, nullâ vel modicâ ratione probat, cùm nos contrà sciamus, ex sacrorum Canonum, ac Pontificiorum Decretorum præscripto, cautum esse, ut singuli Religiosi (si Clericos Regulares excipias) propriam habitus formam habere debeant: ita ut ex habitus forma, unus ordo à cæteris omnibus facilè agnoscatur esse distinctus. Et hoc planè ob justissimas causas, ob quas sanctissimè fuit per eosdem Pontifices sancitum, etiam sub pœna excommunicationis, ne Religiosi suæ Religionis habitum deponant, sed ejusdem habitus formam deferant: ita ut non solùm Religiosi, verùm etiam talis Religionis professores agnosci queant. Ita habetur c. 2. *ne Cler. vel Monac. in* 6. ubi omnes expositores, quibus adstipulantur plures alij, maximè de censuris tractatum habentes. Ex quo liquidò colligitur, vix absque injuria sacrorum Canonum asseri posse, quod tam asseveranter dictum est à Speculatore, levioris momenti nimirum, sive minùs dignam viris Religiosis, esse de forma habitus disputationem. Vnde propterea inferre voluit minimè

curæ

curæ fuiſſe Seraphico Patri habitus formam ; Cùm tamen ipſi Deo curæ fuerit, aliam maſculis, & aliam fœminis formam habitus indigitare, ut propterea maſculi à fœminis, & fœminæ à maſculis, in externa habitus forma dignoſcerentur. Quo tamen inutiles, juxta Apoſtoli monitum, devitemus quæſtiones.

Notandum eſt, in duobus totam de habitus forma controverſiam eſſe conſtitutam. Primum eſt, quænam ſit habitus forma, quâ uſus eſt Seraphicus Pater cum ſuis ſocijs, à principio Religionis, pro toto tempore, quo idem Seraphicus Pater ſuperſtes fuit. Secundum eſt, an illa habitus forma, quâ uſus fuit S. Pater (quæcumque illa ſit) de quo mox, potuerit abſque Regulæ tranſgreſsione in progreſſu temporis omitti, & in aliam commutari. Auſpicabimur à primo, tanquam à notiori, & in quo minor poteſt eſſe difficultas, ut deinde faciliùs ad poſterioris reſolutionem divertamus.

Quantum igitur ad primum attinet, adhuc præmittendum eſt, in duobus verſari difficultatem. Primum eſt, An Seraphicus Pater cum ſuis ſocijs uſus ſit caputio acuminato, prout nunc utuntur Capuccini? An potiùs rotundo, ut Patres de Obſervantia. Secundum eſt, An hujuſmodi caputium, quodcumque illud ſit, geſtârit à tunica diſſutum; aut potiùs eidem tunicæ conſutum, prout geſtant Capuccini, abſque lunula, & ſcapulari. Quantum ad hoc ſecundum, ex ipſis Speculatoris verbis lubet veritatem declarare : *Quia tamen* (hæc ſunt verba) *S. Franciſcus cum primis ſuis ſocijs geſtavit habitum cum aſſuto caputio, & de ſenſu verborum Regulæ dubitari poteſt, benè dicit idem Auctor, laudabilem, & ſanctam eſſe conſuetudinem ordinis, ab initio caputium aſſutum deſe-*

deferendi, quæ indicatur anno 1470. *adhuc durasse, dum observantia esset in flore.* Ex his patet ex testimonio ejusdem Speculatoris, & alterius Auctoris, nempe Francisci Luengo, S. P. Franciscum cum suis socijs ab initio caputium tunicæ consutum detulisse: quod etiam testatur Auctor quartæ partis Chronicorum lib. 1. c. 11. illis verbis: *A questo fedel servo di Dio tutti li Frati devono essere veramente obligati; Ma particolarmente i Padri Capuccini, poiche fu il primo, che rinovò, e comminciò in quei tempi à portare il capuccio aguzzo cuscito all' habito, come usava di portarlo il Padre San Francesco.* Hæc ille: quem Auctorem tanti facit Speculator.

Quantum ad secundum, utrùm nimirum ejusmodi caputium tunicæ consutum fuerit acuminatum, an rotundum, satis item puto probari ex aliorum testimonio. *Hoc caputium*, inquit R. P. Bonitus pag. 66. minor Conventualis, *oblongum, & acuminatum, seu pyramidale gestasse S. P. Franciscum affirmant omnes Ordinis Scriptores.* Quam assertionem idem Auctor & sequitur, & multis, tum rationibus, tum auctoritatibus, præsertim Pisani, Tossignani, Sedulij, Vuadinghi, &c. comprobat: Cui pariter subscribit Reu.mus P. Felix, RR. Patrum Conventualium Generalis Magister, ut patet ex ipsius testimonio hîc Romæ typis mandato, die octavâ Octobris, anni 1628. Similiter Auctor quartæ partis Chronicorum verbis suprà citatis: Ita ut, omnibus ritè perpensis, nullus videatur relictus ambigendi locus, quin Seraphicus Pater cum suis socijs caputium acuminatum, ac tunicæ consutum detulerit, prout deferunt Capuccini; eò maximè, quòd secundùm eundem Speculatorem, & alios ferè omnes, prima habitus forma

forma fuit in ordine immutata (à quocumque illa immutatio facta fuerit, & quocumque tempore ; de quo parum laboro) ſatis enim eſt ad hanc veritatem comprobandam, ut nobis concedatur, prout conceditur à Speculatore pag. 161. formam habitus, quam primi Minoritani ordinis Fratres deferebant, aliquando in ordine eſſe immutatam. Ex quo etiam obiter inferre libet, factam eſſe per Capuccinos habitus reformationem, quatenùs nimirum formam habitus primo Religionis tempore adhibitam, atque in progreſſu dimiſſam reſtituerunt. Et de forma, quâ S. Franciſcus cum ſocijs uſus eſt, hactenùs. De quo rursùm idem Speculator pag. 165. ita ſcribit: *Puto Patres noſtros, cùm rotundam figuram aſſumpſerunt, paupertati conſuluiſſe, ut ſuperfluitati pannorum parcerent, quandoquidem acumen ad capitis tegumentum prorsùs ſit inutile.* Ex quibus luce clariùs liquet, S. P. Franciſcum, ac totum ordinem in principio acuminatam caputij figuram geſtaſſe, quam Patres de Obſervantia paupertati, ut Speculator opinatur, conſulentes, ac ſuperfluitati parcentes, poſteà dimiſerunt, ut rotundam aſſumerent: quàm verò iſthæc ejus opinio ſit conſona, aut ſimilis veritati, judicent hi, quibus S. P. Franciſci ſectandæ paupertatis zelus, ac ingens ſuperfluitatis cavendæ cura perſpecta ſunt. Quidquid ſit ergò de hoc, quod paupertatem tangit, nobis ſatis eſt, ex ipſo Speculatoris teſtimonio, & quidem à Superioribus comprobato, S. P. Franciſcum cum ſuis, qui utique paupertatem maximoperè coluêre, non rotundam, ut ipſi Patres de Obſervantia faciunt; ſed acuminatam, ut Capuccini, caputij figuram, ac item tunicæ conſutam detuliſſe,

in qua tota hujuſce puncti controverſia, ex ipſa PP. Obſervantium ſententia concluditur.

Major difficultas eſt in ſecundo principali puncto, Vtrùm nimirùm abſque Regulæ tranſgreſsione, ſeclusâ Pontificum diſpenſatione, liceat uti aliâ formâ ab ea, quâ Seraphicus Pater uſus eſt, prout de facto utuntur reliqui omnes (Capuccinis exceptis.) Negat quidem Boverius, unde RR. Patres Obſervantes violatæ habitus formæ reos facit: non ita tamen, ut eos formaliter culpæ conſcios exiſtimet; ſiquidem Pontificis diſpenſatio ab omni culpa immunes efficit: Contrarium tamen mordicùs probare, ac defendere geſtit, non ſolùm Speculator; verùm etiam alij plures, præſertim ex ipſo Obſervantium ordine. Probat primò; Quia Seraphicus Pater nullam omninò determinatam habitus formam ſuis deferendam præſcripſit, quin potiùs eandem Superioribus determinandam reliquit; ut patet in Extravaganti Ioannis XXII. Secundò, quia multi Pontifices, etiam ſub pœna excommunicationis, cæteris omnibus (Capuccinis exceptis) formam habitus, quam ipſi Capuccini deferunt, geſtare prohibuerunt; Et vice versâ, alij Pontifices approbârunt formam habitus, quam geſtant RR. Patres de Obſervantia; Non eſt autem credibile, Pontifices ex una parte, velle Franciſcanis quibuſcumque prohibere puram Regulæ obſervantiam, & ex altera, approbare tranſgreſsionem. Quare hoc argumentum tanti facit Speculator, ut quid reſponderi poſsit, ſe prorsùs neſcire ingenuè fateatur; niſi vel admittatur, nullam certam habitus formam in Regula eſſe præſcriptam; vel quod totus ordo cum

ſum-

summis Pontificibus à verò Regulæ sensu, & intellectu, non solùm invincibiliter, sed etiam crassè aberrârint: Concludit ergò, nullum prorsùs, etiam venialis culpæ reatum esse, seclusâ omni dispensatione, aliam habitus formam gestare ab ea, quam detulit cum socijs S. Franciscus, prout gestant ipsi Patres de Observantia.

Ad illud verò, quod dicitur in Regula, in eo, habitus Novitiorum à Professis distingui, quod Novitij duas tunicas sine caputio, Professi verò unam cum caputio, & alteram sine caputio, si voluerint, habeant: Respondet Speculator, post alium quendam modernum Expositorem de Observantia, illa verba non cogere; quia quantum ad particulam, *Cum*, non importat necessariò talem unionem, sed tantum simultatem: ita ut idem sit dicere tunicam cum caputio, ac tunicam, & caputium, sive simul cum caputio: sicut si diceretur, equum cum sella, tunicam cum mantello; & vice versâ, tunica sine caputio, est idem, ac tunica, & non caputium. Pro qua interpretatione potuisset afferre, quod habet Bart. in l. Gallus. §. quidem certè. ff. de lib. & posth. nempe dictionem, *Cum*, quandam denotare simultatem, & de necessitate utriusque partis concursum exprimere, de quo plura Legistæ, hi maximè, qui de dictionibus tractatus habent: Ad illud verò de distinctione Novitiorum, & Professorum; respondet Speculator cum quodam moderno Scriptore, divisionem quidem inter Novitios, & Professos, quoad habitus formam esse assignandam; at non eam necessariò sumi ex eo, quod Novitij caputium

minimè consutum deferre debent, Professi verò contrà: imò ait, eam non esse sufficientem differentiam, nisi aliùnde, clariùs appareat, sicut in òrdine Observantium aliquando statutum fuit; atque adeò non esse argumenta Boverij tam clara, ut absque immodestiæ nota, alias expositiones ridiculas esse, asserere potuerit. Affert præterea Speculator aliam rationem portandi caputium dissutum, nempe majoris munditiæ causâ, ut pag. 68. sicut causam portandi caputium non acuminatum vult esse majoris paupertatis zelum, quasi minor panni mensura in caputio rotundo, lunula, & scapulari, quàm in solo caputio acuminato requiratur: Id autem, num verum sit, cerni potest ad oculum; sicut pariter patere potest, utrùm major in habitu munditia inter Capuccinos, an verò inter RR. Patres de Observantia servetur. Hæc ferè sunt argumenta, quibus Speculator ita probatam putat suam sententiam, ut asserere non dubitet, Boverium nimis scrupulosè se gerere, dum præsertim illam particulam conjunctivam necessariò explicandam censet, ut importet connexionem per assuturam; ut videre est pag. 171. in fin. Superest jam, ut quid de hac juris quæstione sentiamus, clariùs indicemus, præter alia jam superiùs adducta.

Notandum est, nostrum Seraphicum Patrem, ut habetur in ejus historia, audito Christi Euangelio, in quo Christus suos circà vestimenta instruebat Apostolos, ne scilicet duas deferrent tunicas, &c. totum fuisse intentum, ut in præfatam vivendi formam, non solùm notitiâ, & affectu; verùm etiam vitâ, & habitu se transformaret. Sunt verba formalia ex lectionibus ad Matutinum diei secundæ infrà Octavam. His notatis.

Asseren-

Asserendum est primò, habitus formam, quæcumque illa sit, necessariò obligare Religiosos ad eam tenendam, ex ipso jure communi *c. 2. ne Cler. vel Mon. in 6.* quo etiam necessariò fit, ut omnes, ac singuli Religiosi aliquam determinatam habitus formam habere debeant: Ita enim supponitur eodem cap. dum sub excommunicationis pæna præcipitur, ne habitus forma dimittatur: Ac denique sequitur, formam habitus, aut ex ipsis Regulæ verbis, aut saltem ex usu, & consuetudine, quæ est optima Legum interpres, præscriptam, & determinatam, etiam sub præcepto esse servandam: An verò forma semel præscripta possit in alteram mutari, seclusâ juris dispositione, paulò pòst explicabimus. Iam verò, quantum ad Seraphicum Patrem spectat.

Existimo inprimis, neminem posse jure ambigere, aliquam à Seraphico Patre suis Religiosis habitus formam fuisse præscriptam, quæcumque illa sit, aut quocumque modo determinata: mediatè scilicet, an immediatè. Vnde Speculator in calce quæst. 24. ad præcavendam vim argumenti ex determinatione habitus per Seraphicum Patrem facta hæc scribit: *Nemo nostrûm cogitat, vel dicit S. Franciscum nullam habitus formam præscripsisse; imò præscripsit tunicam cum caputio, & aliam sine caputio permittit: verùm, an illud acuminatum, rotundum, vel quadratum esse debeat, cujus formæ, ac figuræ, non determinavit; sed hoc suis successoribus, & ordini, tanquam rem minoris momenti, determinandum reliquit: Sicut Christus Dominus in Ecclesia sua aliquas materias, & formas Sacramentorum (quæ tamen majoris sunt momenti, & dignitatis) ita instituit, ut maximam in eis determinandis amplitudinem Ecclesiæ reliquerit.* Sistamus hìc, quæso, tantisper gres-

ſum, & ad novam litem, omnemque æquivocationem cavendam, concedamus Speculatori, cæteriſque eandem cum ipſo opinionem tenentibus, quod dixit, nempe Seraphicum Patrem nullam habitus formam, quantum ad caputij figuram determinaſſe; verùm ordini determinandam liquiſſe: Sed ulteriùs eundem interrogemus, Vtrùm toto tempore, quo Seraphicus Pater vivus inter ſuos permanſit, Vtrùm, inquam, ipſe cum alijs ordinis Superioribus, hanc habitus formam determinârit? Si non: ergò toto uno ſeculo, nempe primo, Religio determinatâ habitus formâ caruit: quod an ſit veriſimile, necne, cuilibet prudenti judicandum relinquo, eò maximè, quòd Apoſtoli, quibus aliquorum Sacramentorum materias, & formas determinandas à Chriſto Domino relictas eſſe, Speculatori libenter concedimus, eandem non multò poſt Domini Aſcenſionem determinaſſe, certiſsimum eſſe debet, ne toto primo ſeculo Eccleſia circa materias, & formas Sacramentorum adhuc eſſet ambigua. Quidquid ſit autem de poteſtate circà determinationem formæ, & materiæ Sacramentorum, Apoſtolis, ſive Eccleſiæ relicta, quæ eſt graviſsima quæſtio, neutiquam hoc loco decidenda, illud omnibus, tanquam à ſacro Concilio Tridentino diffinitum, indubitatum eſſe debet, totam Eccleſiæ poteſtatem circà Sacramentorum adminiſtrationem intelligi ſemper, Salvâ eorundem ſubſtantiâ. Videatur Tridentinum ſeſſ. 21. c. 2. Ex quo clariſsimè patet, determinatâ ſemel à Chriſto per ſe ipſum immediatè, aut per ſuos Apoſtolos, & Eccleſiam mediatè, Sacramentorum eſſentiâ, quæ utique in materia, & forma conſiſtit, nullam

dein-

deinceps circà materiam, & formam ſtatuendi, aut immutandi poteſtatem, Eccleſiæ eſſe relictam. Quare ſi res benè attendatur, argumentum ejuſmodi à ſimili deductum efficaciſsimè probat, totam poteſtatem Prælatis à Seraphico Patre circà immutationem habitus relictam ſemper intelligi, ſalvâ ejuſdem habitus eſſentiâ, quæ potiſsimùm in forma conſiſtit. Sed quidquid ſit de poteſtate circà Sacramentorum formam, ac materiam, Eccleſiæ à Chriſto relicta, redeundo magis ad noſtrum propoſitum: Cùm Fratres Minores aliquâ habitus formâ à principio induti deberent incedere, impoſsibile eſt ab ipſo Seraphico Patre, qui totius Ordinis Generalis fuit, minimè fuiſſe determinatam, cùm & ipſe cum ſuis ſocijs debuerit aliquam habitus formam deferre: non enim ſublatus eſt ſtatim ac Regulam ſcripſit. Quis ergò alius pro ipſo, & alijs, toto illo ſeculo potuit meliùs habitus formam determinare, ſive declarare, quàm ipſemet, qui Regulam condiderat? Ejuſdem enim eſt condere, & declarare, ſi quæ ſufficienter in ipſa conditione declarata non ſunt.

Hinc patet, omninò à veritate abhorrere, quod dicitur, à Seraphico Patre nullam fuiſſe determinatam habitus formam, habitâ præcipuè ratione ad totum illud tempus, quo idem ſuperſtes fuit. Quia dato etiam, reliquiſſe Superioribus ordinis (habitâ præcisè ratione ad tempus Regulæ ſcriptæ) determinandi facultatem, cùm ipſe, & non alius toto illo tempore ſuperior extiterit, cui incumbebat determinare determinanda; debuit planè eandem ipſe determinatio-

nationem facere; quocumque autem modo determinaverit, id est, sive quando Regulam condidit, aut posteà, quando Regula ad praxim, & usum cæpit reduci, ex quo usu humana lex præcipuè vim recipere perhibetur; ut habetur dist. 1. Can. *Omnes*. parum refert. Itaque ex omni capite videtur admittendum, à primo Religionis tempore determinatam fuisse habitus formam, quà formâ usi sunt primi Seraphici Instituti Patres, & Fratres, ac ipse quoque Fundator, & Institutor, ut una esset capitis, & membrorum habitus forma. Si ergò determinata fuit, tunc iterùm peto, aut determinatio illa fuit absoluta, & immutabilis, aut adhuc arbitraria, & mutabilis, pro varia Prælatorum Ordinis successione. Dicere, adhuc esse mutabilem, & arbitrariam, videtur omninò inverisimile: Tum quia, quod semel legitimè determinatum est, censetur absolutè determinatum; non enim putandum est, Seraphicum Patrem ita reliquisse facultatem Superioribus ordinis, determinandi habitus formam, ut omnibus successivè pro arbitrio determinare libeat: Sed quod dicitur reliquisse, intelligendum creditur immediatè de primis, & ita privativè quoad alios sequentes: Ideò ubi primi determinârunt, nulla alijs potestas, sive arbitrium determinandi remansit; sicut ubi Apostoli semel materias, & formas Sacramentorum determinârunt, ea semper immutabilis in Ecclesia usque nunc perseveravit, & perseverat; Quidquid enim hactenùs circà Sacramenta, aut Sacramentorum dispensationem ab Ecclesia Ecclesiasticâ potestate gestum est, & inposterùm geretur, extrà eorundem Sacramentorum essentiam esse ex præcitatis Synodi

ver-

verbis apertiſsimè deducitur. Sin verò à primis immutabiliter determinatam fuiſſe dicatur, ut neceſſariò videtur fatendum, quæſtio tota, quantum ad hoc primum punctum, ita reſolvitur: Quænam ſcilicet ſit habitus forma, quam cum Seraphico Patre, primi Minoritani ordinis Fratres gerebant.

Aſſerendum ſecundò, ſatis probabile eſſe, carere omni culpâ, mutare formam habitus in toto ordine: Nam in ejuſmodi mutatione ſalvatur ratio legis, quæ ſolet legis anima vocari; Adhuc enim factâ tali mutatione, poterit ordo Religioſorum exteriùs in habitus forma, ab alijs diſtinctus cognoſci: hancque exiſtimo fuiſſe legitimam cauſam, ob quam Pontifices mutationem formæ habitus, etiam in ordine Seraphico approbârint, quia cùm ſit facta in toto, adhuc remanet locus diſpoſitioni ſacrorum Canonum: Cumque in jure caveatur, leges ſpeciales, quantum fieri poteſt, à jure communi, à quo pariter interpretationem accipiunt, eſſe regulandas; ut latè per Menoch. de arbitr. caſ. 321. ſequitur, valdè eſſe probabile, etiam abſque culpa poſſe formam, à Religionis Fundatore quovis modo præſcriptam, in alteram in toto mutari. Atque in hoc ſenſu facilè poſſet concedi, mutationem formæ habitus eſſe arbitrariam: Non quia in arbitrio Prælatorum poſitum ſit, ſemel præſcriptam iterùm, atque iterùm pro libitu, abſque Pontificum facultate, immutare; ſed quia integrum eſt eiſdem Prælatis, accedente Pontificum conſenſu, vel beneplacito: ſicut enim Pontificum eſt approbare Regulam, & formam habitus in Regula præ-

ſcriptam: ita eorundem Pontificum eſt, habitus formam in toto ordine, ex cauſa, immutare; in qua immutatione propriè non cadit diſpenſatio, ſed potiùs commutatio; non quidem præcisè, ſed materiæ præcepti (ſalvâ tamen formâ, ſive animâ ipſius) Itaque illud præceptum tenendi formam habitus propriam, ſemper perſeverat: ubi tamen priùs erat in præcepto una forma, poſteà eſt in præcepto altera: Atque ita RR. Patres Obſervantes unam habitus formam portantes, & alteram portantes Capuccini, ſatisfaciunt præcepto Iuris communis, ac etiam Regulæ, quantum ad præcepti formam, ſive legis rationem: Licet Capuccini plus; cùm non solùm formam legis, verùm etiam materiam teneant. Et per hoc patet ſolutio ad argumenta Speculatoris, & præſertim ad extravag. Ioannis XXII. Nec in hac re diutiùs eſt immorandum.

Quia tamen Speculator cum quibuſdam alijs exiſtimant ulteriùs, ex ipſis Regulæ verbis, nullum validum poſſe peti argumentum, ad probandum caputium debere eſſe tunicæ conſutum, prout etiam conſutum detulit Seraphicus Pater, cujus exemplum plus ſatis ad germanam Regulæ interpretationem facere poſſe, quàm alterius cujuſcumque privati auctoritatem, nulli ſapientum dubium eſſe poſſe exiſtimo; Ideò non abs re erit oſtendere, ex ipſa Iuris doctrina, interpretationem Speculatoris ad illam dictionem, *Cum*, in re noſtra non poſſe ſubſiſtere. Et quidem re profundiùs perpenſâ, non video, qualiter talis interpretatio ad propoſitum poſsit aptari: Nam quidquid ſit de una tunica cum caputio per Profeſſos geſtanda, quod ad duas

tunicas

tunicas ſine caputio per Novitios, ex Regulæ præſcripto, deferendas ſpectat, maximum ex illa interpretatione reſultat abſurdum; nam Novitij nullo modo, id eſt, neque conſutum, neque diſſutum poſſent deferre caputium: Si enim ultrà duas tunicas deferant caputium (quomodocunque illud gerant) id eſt, aut conſutum, aut diſſutum: jam duas tunicas cum caputio, non ſine caputio induunt, ut per ſe patet: Aut ergò inepta eſt ejuſmodi interpretatio, aut neceſſarium eſt, Novitios toto Noviciatus anno, debere eſſe ſine caputio; & tamen etiam apud Obſervantes, ex Decreto ſexti Capituli Generaliſsimi, anno 1508. celebrati, Novitij ſuum caputium habent, ut teſtatur Speculator pag. 170. relatis illius Capituli verbis: *Probationis caputium Novitijs imponatur, hoc eſt, caputium diſſutum, ſive ſeparatum à tunica, habens antè caparonem, ſive panni petiam appenſam, latitudinis ſaltem quatuor, vel quinque digitorum.* Si ergò habere tunicam cum caputio nil aliud denotat, quàm habere tunicam, ac ſimul etiam caputium, cùm utrumque habeant Novitij, haud ſecus, quàm Profeſsi: jam & Novitij dicendi ſunt habere tunicam cum caputio, & non ſine caputio. Nec refert, quod Speculator pag. 169. ſecutus, prout aliàs ferè ſemper, in hac quæſtione de habitus forma, Patrem Franciſcum Luengo, contendat, adhuc habitum Novitiorum eſſe ab habitu Profeſſorum diſtinctum per caparonem; Nam S. P. Franciſcus differentiam inter utrumque habitum non in eo solùm conſtituit, quod Novitij caparonem habeant, Pro-

fessi verò non : Sed in eo etiam, quod Novitij habeant ambas tunicas sine caputio, Professi autem unam cum caputio, & aliam, si voluerint, sine caputio; præterquam quod non est hîc solùm quæstio de distinctione habitus inter Novitios, & Professos, quæ distinctio in solo caparone posset utique salva consistere; sed est quæstio de germana harum dictionum, *Cum, & sine caputio*, significatione; Si enim dictio, *Cum*, simultatem tantùm denotat, supposito, Novitios portare caputium, necessarium est confiteri, Novitios etiam habere tunicas cum caputio (quia simul habent & caputium) non sine caputio. Ex quo patet, non esse talem interpretationem verbis Regulæ convenientem, cùm ad manifestum trahat absurdum: atque adeò non esse scrupulosam, imò legitimam, & sinceram Boverij, & aliorum, præsertim Capuccinorum, interpretationem, aientium, in proposito dictionem, *Cum*, denotare non quamcumque simultatem, sed talem simultatem, quæ facit unionem: & dictionem, *Sine*, nullo modo denotare exclusionem partis, quantum ad simultatem; sed exclusionem unius partis cum parte, quantum ad unionem. Itaque dictio, *Sine*, denotat exclusionem unionis inter tunicam, & caputium; dictio verò, *Cum*, unionem: Ex qua unione fit, ut habitus Fratris Minoris, perfectam crucis formam præseferat, quam non præseferret, si caputium tunicæ minimè consutum foret, quia esset crux imperfecta à superiori capitis parte, ut patet; nec poteſt dici salvari in toto habitu quomodocumque, sic enim etiam salvatur in habitu cujuscumque hominis, &

fæmi-

fœminæ, cùm ipſe homo, ad cujus figuram, habitus, quo induitur, accommodari debet (nam quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur) brachijs extenſis crucis imaginem repræſentet. Cùm ergò habitus Fratrum Minorum, ex intentione Seraphici Patris, ut communiter aſſeritur, in crucis formam eſſe debeat, ut Fratres ſe mundo crucifixos, & mundum ipſis, agnoſcant; prout loquuntur noſtræ Conſtitutiones, cap. 2. debet pariter habitus habere caputium ſibi conſutum, prout habuit ſanctus ipſe Pater Franciſcus cum ſocijs, cujus uſus, & conſuetudo, verba Regulæ, quæ alioqui dubia eſſe valerent, clarè interpretantur. Vt ergò tandem cuncta, quæ ad hanc de habitus forma quæſtionem pertinent, clariùs ob oculos legentium exponantur; ſequentes, inſtar ſummæ, ſive compendij, adijcio propoſitiones.

Prima propoſitio. Habitus, quem detulit S.P. Franciſcus cum ſocijs, erat ejus formæ, cujus ſunt habitus, quos hodie deferunt Capuccini: non ejus, quem deferunt Patres de Obſervantia; hoc eſt, cum caputio acuminato, & piramidali, tunicæ conſuto: non rotundo, & diſſuto. In hac propoſitione, nobiſcum convenit Speculator, & quem ipſe, ut dixi, in hac de habitus forma quæſtione ſequitur, Franciſcus Luengo, ut omittam alios antiquos Regulæ expoſitores, qui hoc ipſum ipſiſsimis verbis teſtantur.

Secunda propoſitio. Vovens deferre habitum, quem de-

tulit S. Franciſcus cum ſocijs, & vovens ſimpliciter deferre habitum Fratrum Minorum, juxtà voventis intentionem, tenetur, ut voto ſatisfaciat, eam habitus formam geſtare, quam ſuâ mente, & intentione concepit. Vnde, ſi intendit ſe obligare voto ad eam formam præcisè, quam detulit S. P. Franciſcus, aut S. Antonius, non ſatisfaciet deferendo formam habitus, quam deferunt nunc cæteri (Capuccinis exceptis) quia ex eorundem teſtimonio talis forma non eſt illa, quam S. Franciſcus cum ſuis ſocijs geſtavit. Et hæc dicta velim propter ea, quæ habet Speculator pag. 152. in fine, ubi Capuccinos taxare velle videtur, quod dicant non ſatisfacere voto deferendi habitum S. P. Franciſci illos, qui alterius formæ habitum deferunt ab eo, quem deferunt Capuccini: Si enim habitus S. Franciſci ejus formæ fuit, cujus ſunt habitus Capuccinorum, certiſsimum eſt, deferentem habitum alterius formæ, non deferre habitum ſancti Franciſci: Nec valet illatio, Poteſt mutari habitus forma in toto ordine, accedente Pontificis beneplacito: ergò privatus, qui vovit deferre habitum ſancti Franciſci, propriâ auctoritate, in aliam habitus formam mutare valet. Sed de his plura videri poſſunt in tract. de voto apud Theologos Morales.

Probatur

Probatur adhuc evidentiùs, formam habitus ordinis Minoritani ab ipso S. Patre Francisco institutam, & ab eodem, ac suis delatam, esse illam, quâ nunc utuntur Patres Capuccini, id est, caputium quadratum, sive piramidale tunicæ consutum, absque mozetta, sive scapulari: occurrendo potissimùm rationibus in contrarium adductis, in quodam, ut audivimus, libro cujusdam Catalani, pro parte RR. PP. Conventualium in proximo typis mandando.

DEcreveram planè in hujus, de forma habitus Minoritani quæstionis examine, minimè diutiùs immorari: Decreveram ab ulteriore, ac longiore argumentorum serie prorsùs abstinere, jamque manui, calamo, & intellectui cursum firmaveram, tantâ hactenus usus verborũ sobrietate, loquendi modestiâ, ut ijsdẽ adversarijs testibus, si vellent, vera nuntiare, neminem profectò offensum iri potuisse, necessariò affirmandũ foret. Quando, ecce ad aures meas, famâ volante, ac insinuantibus litteris, pervenit, sub prelo, aut jam positũ, aut in proximo ponendum librum Italico idiomate compositum, sub titulo Fluminis terrestris Paradisi in quatuor capita, sive discursus divisũ, in quo Auctor certiorare intendit mundum de veritate antiquæ formæ habitus Minoritani, eamq; esse caputium rotundum à tunica dissutum, scapulari, sive lunulæ, & mozettæ adjunctum, uno verbo mozettatum nuncupatum, prout RR. PP. Conventuales utuntur. Et quoniam nobis est pro veritate, aut de veritate disputandũ, veritasq; argumentis, non verbis injuriosis famã, aut honorẽ lędentibus, atqui solidis rationibus intellectum legentium arguentibus, cognoscitur: Ideò omni ver-

verborum acrimoniâ prorsùs postpositâ, ad valida non callida, ut hypocritæ faciunt, teste B. Gregorio, argumenta texenda, totum converto sermonem.

Non miretur autem quispiam, si librum nondum in lucem editum impugnare aggredior: Nam, ut in disputationibus Theologicis versati nôrunt, Capreolus, Aureoli argumenta evertere aggressus est, quo tempore ejusdem Aureoli libri nondum typis fuerant excusi: Parcet tamẽ, si fortassè nec omnia argumenta, nec omnes eorum circumstantiæ formalibus verbis à nobis afferantur in medium, qui potiùs ex aliorum auditu, quam ex proprio visu in hanc arenam descendere compellimur. Putamus tamen, ne latum quidẽ unguem à sincera veritate aberrare, si vera sunt, quæ de præfato libro & ejus argumentis nobis relata fuêre; Quod facilè comperiet, quicunque posteà opus in lucem editum, ad manus habebit.

Antequam verò ipsam disputationem aggrediar, occurrendum censeo tacitæ objectioni. Vt quid de quæstione nominis potiùs, quàm rei, tanto studio, tanto labore, tantâ anxietate disputare? Aut enim re verâ interest, aut non, de habitus forma inter viros Religiosos haberi quæstionem, non referre quidem, aut saltem non nihil, indicavit Pater Iacobus de Riddere, ut vidimus; idem, ut audio, modernus hic Auctor, quem impugnare gestio: sed si non refert cur, aut quomodo tantum ipsi dolent? Quid, quæso, tantùm adversùs Capuccinos inclamant? Nullus sapiens conqueritur sibi collatam, aut ablatam rem, quam parum, aut nil suâ refert habere, aut non habere: Capuccini porrò, quippe qui semper rati sunt multum referre, cum pura Regulæ observantia, puram, ac sinceram

etiam habitus formam, in ordine Seraphico ſartam & tectam ſervare, non reprehendendi; ſi tam ſolicitè pro habitus forma tuenda decertant; Referre autem multum, non ita tamen, ut non magis referat obſervantia: Inde clarè deducitur, quod ad Regulæ obſervantiam, aut per ſe, aut per accidens, ſpectat formam habitus in Regula ab Inſtitutore præſcriptam tenere. Deinde, quia verum religioſum decet utrumque hominem, intrinſecum nempe, & extrinſecum decenter compoſitum habere; & ſicut, teſte Scoto, cujus doctrinam tanti faciunt RR. PP. Conventuales, Deum decet omnem, intrinſecam videlicet, atque extrinſecam ſortiri perfectionem: Vnde propterea mundum creare debuit & voluit: Ita Religionem Seraphicam Dei perfectionem æmulantem, non modò ſuam intrinſecam ex Regulæ obſervantia, ſed etiam extrinſecam ex habitus forma decet ſortiri perfectionem. Non abs re igitur eſt, neque à religioſo cultu alienum, pro tuenda ſuæ Religionis habitus forma acriter diſputare: Sed enim jam, ut ad argumenta veniamus, eo ordine procedemus, quo in ſuis demonſtrationibus de vera habitus forma compoſitis, Boverius proceſsit: quo etiam ordine iſtum modernum authorem procedere intelleximus. Per ſex vias quærit Boverius probare Piramidale caputium à Seraphico Patre fuiſſe inſtitutum. Et per ſex eaſdem vias modernus auctor, tum ſuam, caputium imò non piramidale, ſed rotundum & mozettatum fuiſſe firmare, tum contrariam Boverij, proſequitur impugnare ſententiam. Quoniam verò nec eſt eadem omnium horum argumentorum vis, & poteſtas, nec par notitia: Ideò

nullâ habitâ ratione ad ordinem, quem tam Boverius, quàm hic auctor modernus servat, iuxtà Aristolis monitum, à notioribus, aut etiam notissimis, præsentis nostræ disputationis exordium sumendum esse duximus.

Auspicemur igitur ab illo argumento, à quo Boverius etiam exoritur, nempe ab ipsa Regula; Supponamus autem tamquam omnibus confessum, formam habitus in ipso caputio esse formaliter constitutam, ita ut caputium habitui formam tribuat. Verùm, quia circà caputium duo, aut tria considerari possunt. Primum, utrùm caputium, ex Regula, debeat esse rotundum, an alterius figuræ, sive piramidalis, sive quadratæ? de quo in præsentiarum parum laboro. 2.um utrùm debeat esse mozettatum, an sine mozetta? 3.um Vtrùm tunicæ consutum, an satis sit quomodolibet esse tunicæ adjunctum? ab hoc postremo tamquam adhuc notiore incipiens, sic modernum Auctorem extorqueo. Aut Novitij Franciscanæ Religionis nullum omninò ex Regula deferunt caputium, aut deferunt: Si non deferunt, ideò erit, quia in Regula habetur, Novitios induendos esse duabus tunicis sine caputio: Verba Regulæ sunt ista. *Deinde concedant pannos probationis, id est, duas tunicas sine caputio*, &c. Ita ut terminus ille, *sine*, dicat omnimodam negationem, cui opponitur alius terminus, *Cum*, de quo loquitur Regula in eodem capite, ubi de habitu Professorum: *Habeant unam tunicam cum caputio*, id est, tunicam, & caputium; Ergò Novitij è contrà habebunt tunicas, & non caputium: tum subsumo. Aut Novitij pro toto novitiatus tempore incedent sine caputijs, ac sine aliqua alia re, quâ caput cooperiant: Aut

non

non. Primum eſt omninò impoſsibile, & repugnans nedum legi diſcretionis, verùm etiam charitatis. Quomodo enim credibile eſt, eam fuiſſe S. Franciſci intentionem, ut pro integro anno, quo Novitiatus, ex Regula, completur, Novitij ſemper, & ubique nudati capite incedere debeant; Et, nonne ſanctus Bonaventura opuſculum integrum, ſub titulo Speculi Diſciplinæ Novitiorum edidit, in quo Novitios informat, qualiter caputium deferant? quod totum otioſum eſſet, quantum ad Novitios, ubi Novitij, ex Regula, nullo prorsùs uterentur caputio. Quid plura? experientia ipſa teſtis eſt, Novitios omnes, non ſolùm apud Capuccinos, verùm etiam apud Obſervantes, & ipſos Patres Conventuales aliquo indutos caputio incedere; quod etiam ſeclusâ Regulâ neceſſarium foret, niſi pileus, ſæcularium more, aut aliud quippiam, quo caput cooperiant, Novitijs concedatur: Et tunc potius eſſet præter, aut contra Regulam, quam ex Regula, quæ nihil aliud Fratribus ad caput cooperiendum, præter caputium, impertit: Ergò neceſſariò fatendum eſt ſecundum, aliquod ſcilicet caputium Novitijs ex Regula eſſe conceſſum. Tunc iterùm ſubſumo ad hominem ſic. Novitios habere duas tunicas ſine caputio eſt expreſſum in Regula: At verò habere ejuſmodi tunicas ſine caputio, nullatenùs poteſt intelligi negativè, ut ſcilicet idem ſit, ac habere tunicas, & nullo modo caputium; quia hic ſenſus ducit ad mille abſurda; Ac proinde, iuxtà Regulas juris, ac Iuriſtarum, eijciendus; Ergò habere duas tunicas ſine caputio, idem eſt, ac habere tunicas, & caputium, quod ſit à tunica diſſutum: Vtrumque enim ſenſum facere

possunt verba prædicta, *habere tunicam sine caputio*: Id est, aut nullo modo habere caputium, sed solam tunicam; aut habere tunicam, & caputiũ, ab ea tamen dissutum. Primus sensus est omninò absurdus; ac proinde abigendus. 2.us verò conveniens, decens, ac proinde recipiendus. Tunc demùm subsumo, sed habere tunicam sine caputio, & habere tunicam cum caputio, in proposito sunt contraria, etiam in opinione adversariorum, & contrariorum eadem est disciplina; Ergò, habere tunicam cum caputio, non est solùm habere tunicam, & caputium; sed habere tunicam & caputium, eidem tunicæ assutum.

Confirmatur: habere tunicam & caputium, prout dicit solam simultatem, commune est Profeśsis, & Novitijs: Nam & Novitij simul cum tunicis induuntur etiam caputio, Et hoc ex Regula: Ergò, habere tunicam cum caputio, ut proprium est Professorum, dicit aliquid ampliùs, quàm habere tunicam, ac insuper caputium; sed non potest aliud ulteriùs dicere, quàm habere caputium tunicæ consutum: Ergò, &c.

Confirmatius fit: Accipio Novitium, prout induitur ab ipsis RR. PP. Conventualibus, & peto utrùm habeat tunicas, & caputium: An tunicam solùm, & nullo modo caputium: si habet tunicam & caputium: Ergò contra Regulam Patres Conventuales dant Novitijs tunicam cum caputio: Cùm Regula ipsa dicat Novitijs dandas esse tunicas sine caputio: Si verò non habeant caputium: Ergò habebunt pileum, aut aliquid aliud, quo caput cooperiant: quod in Regula concessum minimè reperitur: Ergò tandem habere tunicam cum caputio, est habere tunicam, & caputium tunicæ consutum:

Et habere tunicas ſine caputio, eſt habere tunicas, & caputium, ab ipſis tamen tunicis diſſutum. Hoc argumentum tanti eſt ponderis, ut nullus hactenus ei ſatisfecerit; ſed neque inpoſterum ſatisfacere valeat.

Hinc clariſsimè liquet, fruſtrà, & vanè extorquere, modernum Auctorem, cum cæteris omnibus Contendentibus, caputium ex Regula non debere neceſſariò eſſe tunicæ conſutum; Pro eò, quia terminus *Cum*, ſive grammaticaliter, ſive etiam Theologicè, & Philoſophicè accipiatur, non neceſſariò dicat unionem duorum in unum: ſed dicat plerumque ſolam ſimultatem. Vnde & in ſcripturis plerumque etiam terminus *Cum* reſolvitur in, *&*, ut v. g. *devorabit terram cum germine ſuo*; ubi Septuaginta tranſtulerunt, *devorabit terram, & germen ejus*. Et Chaldæus, *perdidit terram, & fructum ejus*: Licet enim hæc, & ſimilia abſque difficultate grammaticaliter, & Theologicè loquendo, concedi poſsint: Nihilominùs in via juris ſolet maxima vis fieri, utrùm in aliqua diſpoſitione adhibeatur terminus *Cum*, vel terminus, *&*, ut v. g. ſi dicatur, lego tibi equum, & ſellam; vel lego tibi equum cum ſella; ut apud Iuriſtas, qui utriuſque hujus termini propriam vim, & poteſtatem ſubtiliùs rimantur. Cæterum in propoſito noſtro terminus, *Cum* neceſſariò dicit unionem tunicæ cum caputio, & caputij cum tunica: quia aliàs omnia ſuperiùs expoſita ſequerentur abſurda, quæ in legibus interpretandis adeò caveri debent, ut ad ea cavenda, verba ſint potiùs impropria nda, ut eſt tritum in jure.

Sequitur præctereà, Caparonem, cujus mentio expreſſa

habetur in Regula, ubi de forma habitus Novitiorum. *Deinde concedant pannos probationis, id est, duas tunicas sine caputio, Caparonem usque ad cingulum*, &c. Sequitur, inquam, Caparonem adæquatè sumptum, esse ipsum caputium ejusdem formæ, & figuræ, cujus est etiam caputium Professorum, eo excepto, quod eiusmodi caputium est à tunica dissutum, cùm caputium Professorum sit consutum, & Caparo ulteriùs aliquam aliam partem panni caputio superadditam, quæcumque illa sit, importet: de quo in præsenti, haud multum laboro. Ratio est, quia cùm ex Profeßis, & Novitijs unus ordo coalescat: Ideò unum debet esse tam Novitiorum, quàm Professorum, quantum ad formam, caputium, per quod ita invicem conveniant, ut à cæteris religiosis alterius ordinis distinguantur: At verò, quoniam Profeßi eiusdem ordinis in aliquo à Novitijs differre debent: Ideò Profeßi caputium tunicæ consutum simpliciter habent: Novitij verò idem caputium à tunica dissutum, & petiam panni superadditam gestant, in quo utroque propria Caparonis forma consistit.

Sequitur 3.° Magis ad rem, cùm omnes Seraphicæ Religionis Scriptores, habitum Fratris Minoris cruciformem, hoc est, in formam crucis esse consentiant, necessariò caputium tunicæ consutum esse debere: Non enim esset cruciformis, si caputium à tunica dissutum existeret. Quod negare non valens modernus author, recurrit, ut audio, ad crucem superiore hastæ parte carentem, inquiens, Crucis formam in hasta inferiori, cum duobus brachijs, dextero, & sinistro tantum posse salvari, prout cernitur in signo Tau; de quo ita scribitur: *Crucis signum Tau littera.* Cæterùm non advertit

author eiusmodi Crucem esse potiùs imperfectam, quàm perfectam: Atque adeò Novitijs magis, qui nondum viam perfectionis amplexi sunt, quam Professis convenientem. Quare si vis argumenti perpendatur, hanc infert conclusionem: sicut gemina est Religiosorum sors, Novitiorum nempe una, Professorum altera: Ita geminam esse Crucem, ac demum geminum habitum cruciformem, Novitiorum unum, Professorum alterum. Vt intereà sileam Crucem Christi, ad cujus formam S. Pater Franciscus suum habitum composuit, cum hasta inferiore, ac duobus brachijs, habuisse etiam superiorem, cui titulus ille tantis nominibus insignis: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum* cernebatur affixus: Et ideò Crux sine huiusmodi hasta, erit crux quidem, at, sine titulo, & sic neque Crux Christi. Cùm itaq; Religionis Chronica, sive historiæ, & omnes Minoritani ordinis Scriptores clament, habitum à Seraphico Patre suis Religiosis præscriptum, & quem ipse amicus Crucis detulit cruciformem, hoc est, in formam crucis fuisse, utique hoc intelligitur de Cruce Christi perfecta, quam quidem non præsefert habitus, sive tunica absque caputio, maximè verò exprimit habitus, sive tunica consutum habens caputium.

Sequitur postremò ubicumque in Chronicis, aut alijs Minoritanæ Religionis codicibus legitur, sive S. Patrem Franciscum, sive alium quemcumque ex socijs sibi caputium extraxisse, ac petenti in eleëmosynam elargitum fuisse, prout sæpè legitur, id fieri minimè potuisse, nisi caputio à tunica dissuto: Cùm enim clarissimè liqueat, Professos ex Regula caputiũ tunicæ consutum gestare debere, cõpellimur dicere, aut ipsum

Sera-

Seraphicum Patrem cum ſocijs contra Regulæ præſcriptum, diſſutum detuliſſe; quod nefas eſt credere, aut verè tunc à tunica diſſuiſſe. Neque, quia in Chronicis aliud legitur, quam Seraph. Patrem Caputium ſibi eruiſſe, Italicè *caVarſi il caputio.* Inde aliquod vel leve ducitur argumentum, Seraphicum Patrem caputium à tunica diſſutum detuliſſe, ut perperam modernus auctor, ut audio, prætendit: Nam verbum Italicum *CaVarſi*, &c. Ita benè ſonat, ſive cùm exponitur de re, quæ cùm ſit alteri intimè conjuncta, ab eadem vi, vel arte ſeiungitur, ac de re, quæ non eſt aliquo modo unita; ita perbellè dicimus *CaVarſi i denti*; *CaVarſi gli occhi.* Ac dicimus *CaVarſi le ſcarpe*, *la camiſcia*, &c. Ex hac ergò phraſi, ſive modo loquendi, nullum contra nos ad favorem partis adverſæ petitur argumentum: Cùm præſertim aliundè pateat, caputium ex Regula tunicæ conſutum eſſe debere. Et ideò Auctores hiſtoriæ tali phraſi juxtà ſubjectam materiam uti cenſendi ſunt. Et de primo puncto hactenus, quod non eſt tam leve, ut fortaſsè alicui, re non ſatis perpenſâ, videri poſſet: Nam, ut ex dicendis conſtabit, potiſsima ratio adijciendi mozettam caputio, ea fuit: quia caputium, ubi non eſt tunicæ conſutum, alicui alteri rei neceſſariò, eſt conſuendum: quia omninò diſſutum capiti aptari minimè poteſt: ubi autem tunicæ conſuitur, nulla extat neceſsitas adijciendi mozettam, cui conſuatur. Quam ob cauſam S. Pater Caparonem Novitijs, cui caputium conſueretur, adjunxit.

Quantum ad 2.um punctum, utrùm, nimirum caputium piramidale fuerit, an alterius figuræ, præſertim rotundæ, ut faciliùs,

&

& evidentiùs mundum de huiuſce puncti veritate, certiorem reddere valeamus, aliqua ſupponenda ſunt.

Et primò, ad probationem huius puncti, per ſex illas vias à Boverio, & iſto moderno authore inſinuatas, nos poſſe incedere: Aut nimirum à Regula, aut à teſtimonio probatorum Scriptorum, aut à picturis, &c.

2.do Trifariè tam authores, quàm picturas, &c. hujus veritatis teſtimonium perhibere valere. Primò expreſsè: ut ſi aliquis author referat caputium à S. Franciſco inſtitutum, & delatum; fuiſſe piramidale, aut rotundum. 2.do Tacitè, & hoc rurſum dupliciter: Aut nimirum, dicendo caputium talis fuiſſe figuræ, quâ tacitè rotunda, ſeu piramidalis exprimatur: Vt ſi quis diceret, caputium fuiſſe quadratum, aut oblongum, &c. aut talia de caputio enunciando; ex quibus probabiliter, aut neceſſariò inferatur, caputium fuiſſe rotundum, aut piramidale. Vt v. g. ſi diceretur, caputiũ ita poſſe profundari, ut faciem cooperire valeat.

3.o In præſenti, noſtri eſſe inſtituti, de ſola forma piramidali, aut rotũda habere ſermonẽ: Quidquid adhuc ſit de ſcapulari, ſive mozetta: hæc enim omnia diſtinctè tractãda ſunt, ne, ſive ſimul diſſerta, Lectoris intelligentiã confundant; ſive ut per partes explanata, eiuſdẽ intelligentiã, clariùs illuſtrent. Vt enim tritũ eſt, non ſolùm apud Rethoricos, verùm etiã apud Dialecticos, & Legiſtas; diviſio claritatẽ, quemadmodũ è contrà cõfuſio obſcuritatẽ parit.

His præſuppoſitis, juxtà cõmemoratum ſapientis documentũ, à notioribus nobis eſt incipiendũ: ſtatuenda tamen, vel potiùs recolenda eſt noſtra concluſio, quæ eſt ejuſmodi. Caputiũ à Seraphico Patre inſtitutum, & ab eodem delatum, fuit formæ, ſive figuræ piramidalis, non autem rotundæ. Probatur. Primò ab authoritate, & argumentũ in hanc formã, ut magis evincat, cõſtrui-

tur. Nullus ex Capuccinis unquã etiã somniavit, nedũ opinatus est, aut ore confessus, caputium, de quo est quæstio, esse rotundũ, cùm vice versâ, non unus, sed plures, tam ex Obsêrvãtibus, quàm ex Conventualibus concesserunt, & cõcedunt fuisse piramidale; ergò, attentâ hâc primâ incedendi viâ, longè certius est, imò certissimũ, caputium S.P. Francisci piramidale, non rotundũ fuisse. Antecedens probatur. Et primò, quod nullus inter Capuccinos unquam caputium esse rotundũ asseruerit, hoc modo: si aliquis id fassus est, afferatur: Neminem enim hactenùs à quopiã adduci reperio. Deinde, quod plures ex Observantibus, & Conventualibus vice versâ, asseruerint esse piramidale, jam superiùs innotuit, ubi authores commemoravimus, in quibus ex Conventualibus P. Bonitus Combassonius, qui tam clarè ad favorẽ nostræ sententiæ loquitur, ut nullus ex nostris, pro nobis clariùs deponere valuisset. Similiter P. Felix à Casѕia, qui, dum Generalis Ordinis RR.PP. Conventualiũ officio fungeretur, publicum super hac re edidit fidei instrumentũ. Haud dubiũ, quin hæc suorũ testimonia multũ eorundẽ Patrũ ingenia torqueant. Et quid responsuri sint, prorsùs ignoro. Audio tamẽ, modernũ hunc Authorẽ, quod ad Bonitũ spectat, asserere, se maturâ etiã, ac diligenti inter Conventuales perquisitione factâ: invenire minimè potuisse eiusmodi librum, alicubi fuisse typis excusum, eamque propterea inter Cõventuales percrebuisse sententiam, Aut talẽ librum verè non esse impressum: Aut illius authorem, non aliquem ex Conventualibus, sed ex Capuccinis fuisse, qui ementito, vel adulterato nomine, quod suum est artificiosè Cõventuali adscribere voluit. Sed si modernus hic Author ad huius vim argumenti delumbandam hoc modo discurrit; videat, quęso, ne legentes, ad risum convertat. Quomodo enim vocari potest in dubiũ, an liber sub nomine

mine Boniti Combassonij verè aliquando fuerit impressus? Quomodo, vel etiam fingi, post multos exanthlatos labores, post diligentem peractam inquisitionem, id niminè reperiri potuisse? Cùm in libro, quem nuper edidit adm. R.P. Lucas Wadingus de Seraphicæ Religionis Scriptoribus, absq; tanto labore, reperire valuisset. Audiant, quæso, quid de P. Bonito Combassonio, præfatus adm. R. P. scriptum reliquerit: *Bonitus Combassonius Sabaudus, Conventualis, sacræ Theologicæ Doctor, edidit librum inscriptū, vera, & dilucida explicatio præsentis status, totius Seraphicæ Religionis Fatrum Minorum. Primò, prodijt Friburgi, apud Matthiam Nadel* 1628. *in* 12. *Secundò, Lugdini* 1629. *Tertiò, Augustæ Vindelicorū, apud Andræam Arpegerū* 1630. *Quartò, Coloniæ, apud Constantiū Munich* 1640. Hæc ille. Ex quibus duo ad rem nostram clarissimè, & certissimè inferuntur. Primum est, librum, non semel, sed bis, 3.° & 4.° fuisse impressum. Secundum, authorem non aliquem Capuccinum, sed Bonitum Combassoniū ex familia RR. PP. Conventualiū, indubiè recenseri, qui Bonitus alia etiam opera, eodem adm. R. P. Wadingo teste, ibidem, in lucem edidit: Et, quod sanè notandū est, Approbatio libri facta fuit per quatuor P. Conventuales, ut videre est in ipso libri initio, ubi talis juxtà morē apponitur, in hæc verba: *Approbatio Patrū Conventualium*. In fine verò adest eorundem Patrū subscriptio, in hæc verba, Fr. Hugo à S. Quirino, Fr. Petrus le Berger Legusianus Exprovincialis, Fr. Ægidius de Balma. Fr. Franciscus de Valle Augustæ. Quare modernus Catalanus, hæc in dubium jure vocare, nec potuit, nec debuit. Reliqua verò, quæ contrà authoris prædicti testimonium à moderno Scriptore circumferri audio, infrà oportuniori loco subijcientur examini. Cùm enim non solùm contrà personam, sed etiam contrà dicta testiū excipere liceat, hoc loco, de sola persona nobis est disputa-

tio exorta,cōtrà quam nil prorsùs valet exceptio data. Venio interim ad aliū testem,Patrē scilicet Fælicē Generalē,quem esse ex familia RR. PP.Conventualiū ,attentâq; personâ in dignitate cōstitutâ,summæ apud omnes authoritatis negare nō valens,ad callida,ut audio, argumenta cōvertitur: inquiens,prædictam fidem fuisse,metu,ac importunis precibus,à prędicto Patre Fælice Generali extortā : Ac propterea modici,imò & nullius ad litem decidendā fore,& esse momenti:cùm in Iure cautum sit,quæ vi, metusq; causa fiunt,robore firmitatis carere debere:Pręsertim,si talis vis,ac impetus intervenerit,quę atrocis nomine in Iure censeri consuevit : prout in facto præsenti, intervenisse testatus est apud nostrū Catalanū,Pater Magister Franciscus deCapranica, Secretarius ordinis illius tēporis.Sed, ut hinc incipiamus : si sint vera,prout verissima,quæ toto titulo de his,quę vi,metusq; causa,habentur,vim nimirum & metum nō pręsumi, nisi probetur concludenter per plures testes, qui non solùm deponant de ipso metu,sed etiā de modo,quo fuit illatus, verbisne tantū,an etiam minis,&c. Ac insuper de loco,de tempore,& similibus, quorum nullū noster præstat Catalanus : Dicere enim; ut audio,Patrem Secretariū pluries esse testatum R.^{mo} Patri fuisse metū illatū,pręterquā quod est dictum de dicto;caret etiam circumstantia loci, temporis,&c. Neq; prætereà, ut est necessariū, suæ scientiæ causam adducit.Videat propterea Lector,quemadmodū iste author suo se iaculo confodiat Quod ipse quoque prævidens,alijs argumentis,præfatum fidei instrumentū enervare conatur,inquiens, prædictā fidē nullius testis adminiculo esse fulcitam. Vnde propterea,nō poterit tantæ firmitatis existere, ut contrà ipsā duorū, vel trium aliorum testium;& quidē omni exceptione majorum, Sixti,nimirū quarti,& quinti habitū S.P.Francisci mozettatum

esse

esse deponentiũ prævalere nõ valeant; cùm præsertim prædictus Pater Generalis solemni se juramento adstrinxerit, ad servandas Vrbanas Constitutiones, quibus cautũ est, ut in gravibus, & arduis resolutionibus P. Rev.mus Generalis cum cõsilio, ac cõsensu duorum assistentiũ, procedere debeat. Quod præsertim locũ habere debet, ubi de ordinis præjudicio agitur: Tritissimum enim est, irritam esse Episcopi, aut Prælati donationẽ, in Ecclesiæ præjudicium, factã: Quia, cùm Prælatus non sit Dominus, sed Procurator rerum Ecclesiasticarũ, eas minimè abdicare potest. His, & similibus, ut audio, noster Catalanus sui Generalis testimonium infirmare gestit. Sed, an re verâ infirmet, adeò notum esse existimo, ut ulteriori probatione minimè egeat: Cùm enim quęstio, non super aliquo jure; sed super re facti sit mota: An scilicet caputium à S. P. Francisco in Regula præscriptum, & ab eodem, & suis delatum, fuerit piramidale, an rotundũ; quod vir sapiens, & in historijs versatus, & ut præsumitur apprimè institutus; ignorare non potuit; nemo est, qui ipsius authoritatẽ pro eiusmodi quæstione decidẽda ad favorẽ Capuccinorum validissimam esse, non videat: quæ verò contrà ipsius testis dicta opponi possunt, infrà pariter discutiemus: In ore itaq; horum duorum testiũ domesticorũ stare debet omne verbũ, nempe caputiũ, non rotundũ, sed piramidale fuisse. Præter autẽ testes ex ipsa PP. Conventualiũ & Observantiũ familia citatos, unum prorsùs exterũ interponere optimè consultũ duxi. Hic est R. P. Ioannes Marquez Augustinianus, cujus verba sunt adeò perspicua, ut nulli tergiversationi locus esse valeat: *Quãto alla forma*, sic ille disserit, *è da notar che il caputio alto, & agutto, che hoggi usano li Patri Capuccini, fu l'habito originale della Religione Seraphica, come osserva Renato Coppino.* Quid clariùs? Et in proprijs terminis expressiùs? In hac itaq; opinione adstruẽda,

adstipulantur expressa, tam exterorũ, quàm interorũ testimonia.

Veniamus ad testes, qui hoc ipsum tacitè, seu implicitè attestantur; & primus omnium sit Seraphicus Doctor S. Bonaventura, qui in Speculo disciplinæ Novitiorum, hæc scripta reliquit. *In omni siquidem publico loco, sive Chorus, sive Refectorium, sive alius fuerit locus, Fratrũ, Congregatione præsente, & multò magis inter extraneos, operto decenter capite, Religiosus incedat: Non est tamen caputium, sive coram Fratribus, sive coram extraneis, nimis in capite, sine trationabili causa profundandum, operta enim sub caputio facies, quandã hypocrisis notã infert.* Hactenùs S. Bonaventura. Quibus verbis informare volens Seraphicus Doctor, Franciscanum Religiosum, tam Novitium, quàm Professum, circà disciplinam deferendi caputium in publico; primò admonet, ut operto decenter capite, incedat. 2.do ut caputium nimis in capite, non profundet, ita ut opertam sub caputio faciem teneat: Cujus rei, causam reddit: quia nimis profundare caputiũ, quandam hypocrisis notã infert. Quare ita concludit: *Decet ergò caput in publico, non faciem operiri.* Ad perfectam porrò Seraphicæ monitionis intelligentiã, duo prętereà, in præfatis verbis expressa sunt, sedulò adnotanda. Primũ est, quod dicitur de nimia caputij profundatione in capite, intelligi in loco publico: Et ratio est etiam manifesta: quia in loco secreto, nemine præsente, nulla potest esse hypocrisis nota, profundatũ scilicet tenere caputium: Vt enim ait S. Hieronymus, hypocrita est, qui quodcumq; facit, ut ab hominibus videatur. Secundum est, adhuc in publico ex rationabili causa caputium in capite ita profundari valere, ut faciem cooperiat: Ait enim S. Doctor, id fieri nõ debere, absq; rationabili causa; ergò ex rationabili causa, absq; nota fieri potest. Et ratio eadẽ est, quia rationabili causâ existente, omnis hypocrisis causa evanescit. Ex his omnibus, hoc jam modo libet arguere. Caputiũ

ex

ex S. Bonav. quo Franciſcanus Religioſus adutitur: Vel ita poteſt profundari in capite, ut facies ſub caputio operiatur, vel nõ: hoc dici nequit: tum, quia S. Bonav. verba, expreſsiſſimè contrarium ſupponunt: Tum, quia inutile planè fuiſſet Novitios, aut Profeſſos inſtruere, quomodo caputium in capite nimis profundare, ad hypocriſis notam cavendã; non debeant: Nam monitio, ſive conſilium, non eſt de re impoſsibili, aut neceſſaria: ſed de re cõtingenti, quæ benè, & malè fieri poteſt; ergò, neceſſariò fatendum eſt, caputium ita poſſe profundari, ut profundatum, faciem operiat. Tum ſubſumo, ſed caputium ſimpliciter rotundum, cujuſmodi eſt illud PP. Cõventualium, & Obſervantium, nõ poteſt profundari in capite, ut facilè intuentium oculis patere poteſt: Et quilibet eorũ experientiâ, in ſe ipſo cognoſcere valet: Caputium enim rotundũ inſtar clanticæ; ſi à parte faciei profundetur in capite, operiet quidẽ faciẽ, ſed caput operire jam deſinet; imò etiam in terrã decidet: vel ſi erit ſcapulari cõſutum, ipſum ſcapulare ſecum ad caput cooperiendũ deferet. Ergò caputium, ut poſsit profundari in capite, ita ut ſimul cum capite faciem cooperiat, debet eſſe oblongũ. Et hoc eſt quod omnes Seraphicæ Religionis Scriptores cõmuniter aſſerunt, caputium à S. P. Franciſco delatum, tantæ fuiſſe longitudinis, ut faciẽ operiret. Quorum authorũ ſeriem, deſcribit etiam P. Wadingus, (nec hunc Catalanum latere potuit.) Ita præ alijs loquuntur idẽ P. Wadingus, Sedulius, Toſignanus, Piſanus, Angelus, Clarenus, Martyrologiũ Franciſcanum: Ac demùm omnes hujus Seraphicæ Religionis authores. Quid ad hæc reſpõdere valeat Catalanus noſter, ignoro: Audio tamen in primis concedere, caputium debere quidẽ faciem operire, non tamẽ totam, quo fit, ut ejuſmodi cooperimentum ab alio, quàm à piramidali caputio fieri valeat. 2.do obſtare communi aliorum

autho-

authorum aſſerto, ſanctũ Bonaventuram, loco nuper citato, aientem, opertam ſub caputio faciem, quandam hypocriſis notam inferre, & decere caput in publico, non faciem operire. Quomodo enim (fortaſsè ita arguit) aiunt authores, S.P. Franciſcum caputiũ tam longum habuiſſe, quod faciem operiret, ſi faciem operire eſt quædam hypocriſis nota? Si decet caput in publico, non faciem operire? nunquid hypocrita S.P. Franciſcus? Aut mendax in ſuis verbis Seraph. Doctor, ſanctus Bonav.? Quod ergò dicunt authores, caputium tantæ fuiſſe longitudinis, quod faciẽ operiret, non ita debet intelligi, ut volunt Capuccini, quod ſcilicet frontem, & oculos operiret, ac ſuper naſũ infrà deſcenderet: Iſtiuſmodi enim delatio caputij, tamquã hipocritalis, à S. Bonaventura reprehenditur: ſed accõmodatè debent præfata verba exponi, quod nimirum, caputiũ ita per frontẽ deſcenderet, ut in ſignũ pudoris, & modeſtiæ oculos adumbraret; ad quem effectum minimè opus erat, ut caputiũ piramidale foret, teſtis quippe ocularis eſt mundus, qui pluries è ſuggeſto vidit P.P. Cõventuales, & Obſervãtes, ita ſuum deferre caputiũ, ut ipſorũ faciem decenter operiat. Cæterùm, qui ſic argueret, neſcio quam apud homines cordatos, & pios notam ſibi inureret. Certè S. Bonav. docuit, caput caputio ita eſſe operiendum in publico, ut minimè facies operiatur: Addit tamen inſuper, ita poſſe profundari caputium, ut faciem operiat. Neq; ait S. Doctor eſſe hypocriſis notam, tale habere caputium, ut ſi nimis profundaretur, faciẽ obtegeret, ſed re ipſâ ita profundare, & quidẽ in publico, & abſq; rationabili cauſa. Quare tam ſecundùm S. Bonoventurã, quàm ſecundũ omnes Religionis authores, S.P. Franciſci caputium ita erat oblongũ, ut ſi quis voluiſſet nimis in capite profundare, faciem cooperire valeret. Quod ſatis expreſsit Marcus Vliſsiponenſis, Chronicorum author, p. 2. l. 7. c. 31. illis verbis:

Il

Il caputio era di forma quadra, è tanto grande, che volendo copriva la facia. hoc ipsum supponit sanctus Bonaventura, ut scilicet tale foret caputium, quod esset in voluntate Fratris ipsum ita profundare in capite, ut faciem obtegeret. Velint ergo PP. Conventuales suum profundare caputium, & profundent, si possunt; ita ut eo profundato quantum volunt, & possunt caput, & faciem operiant. Et tunc confitebimur ad hunc effectum nó esse necessarium piramidale caputium. Fateantur ergo ipsi è contra hanc necessitatem, quando Capuccini pro libito suum tam in publico, quàm in secreto profundare possunt caputium, ut sub ipso totam faciem operiant: Nec tum eis quispiam hypocrisis notam inurere poterit, quia tale caputium habeant: Poterit verò si in publico, & sine rationabili causa, ita in capite profundatũ gerant, ut sub caputio faciem cooperiant. Et de hujus vi argumenti, quod sanè est optimum, hactenus. Id ipsum probant Authores, qui aiunt sanctum Franciscum quadratum habuisse Caputium. Hi autem sunt omnes superiùs citati ex ordine Franciscano, nemine excepto; Quod cùm noster Catalanus, nullâ ratione tergiversare valeat, ad alia argumenta convertitur, inquiens, inde nullatenus caputium piramidale fuisse, posse inferri. Cum enim figura quadrata, & piramidalis differant, tam secundùm Grammaticã, quàm secundùm Artes omnes liberales, scientias, historias, sanctos Patres, Ac ipsam denique sacram Scripturam: Et à disparatis, ut est tritum in Iure, non fiat illatio, dum Capuccini, ex eo quod ab omnibus asseritur, quadratum S. P. Francisci fuisse caputium, inferre volunt, fuisse piramidale, hoc est velle confundere Grammaticã, scientias omnes, ac artes, atque à genuino sacrarum Scripturarum, ac

sanctorũ Patrum sensu deflectere: Sed uno verbo tale ipsius argumētũ datâ distinctione cōvellitur: Alia enim est figura quadrata perfecta: alia imperfecta: sicut pariter alia est figura circularis perfecta: alia imperfecta: Terra namq; asseritur esse rotunda, nō tamē rotunditate perfectâ, propter montiũ altitudinē, Et vallium concavitatē: ovum itidem rotundum dicimus, nō tamen perfectè: Res adeò inter omnes, nedũ sapienter, sed etiam rusticos manifesta, ut in ea explicanda, diutiùs pudeat immorari. Quod ergo Religionis Authores asserunt, nimirũ quadratũ S. P. Francisci fuisse caputium, nō de quadrato perfecto, sed imperfecto debet intelligi: Nec Capuccini adeò sunt, aut fuêre insipientes, & stolidi, ut cum à Clemente VII. facultatē quadratũ deferēdi caputium perquisierint, quale detulit seraph. P. S. Frāciscus, de quadrato perfecto loqui voluerint: Petierunt enim, & obtinuerunt facultatē deferēdi caputiũ piramidale, quo jā actu pariter erant induti, cũ ad pedes summi Pontificis se contulerunt: Adeò ut Pontifex oculis suis figuram caputij, quā deferre intendebāt, & petebant, videre potuerit. Pōtifex ergo quadratum accepit, pro ut in petitione cōtinebatur: Cumq; verè illud esset piramidale, sequitur evidentissimè, etiam ex iudicio summi Pōtificis, idem esse in proposito quadratũ, ac piramidale caputium. Et Catalanus, qui, ut audio, contendit Capuccinos piramidale deferendo caputium ipsi Clemētis VII. adversari cōcessioni, pro eo quod Clemens quadratũ deferendi facultatem tribuit, ipsi verò acuminatũ gestent, longè à veritate abhorrere convincitur, nimisq; acriter, & audacter loquitur, dum addit, Capuccinos acuminatum deferentes caputium ei excōmunicationis pœnæ esse obnoxios, quam olim contra ejusmodi deferen-

ferētes caputium Ioa. XXII. fulminarat: Nā quidquid ſit de illa excommunicatione, dum Capuccini à Clem. VII. obtinuerunt facultatē quadratum deferendi caputium, quale corā ipſo Pōtifice induebant, nō eſt, quod hic Author decretum Ioa. XXII. opponat. Imò Clemens VII. quantū ad hanc partē hujus Authoris, redarguit mordacitatē, qui pro eodē caputium quadratū, & piramidale accepit: quia re verâ caputiū piramidale quadratum exiſtit, nō quidē quadratura perfecta, ſed imperfecta. Et certè intolerabile eſt, quod ad deprimendos primos Capuccinos idē Catalanus, ut audio, adiecit, ad delationē, nempè caputij piramidalis per ſeipſos fuiſſe intruſos: nō enim ex intruſione, ſed ex legitima cōceſſione caputium piramidale deferre cœperunt: cumq; ſcire leges, nō ſit earū ſonum tenere, ſed vim & poteſtatē, pro ut habetur in jure, verbumq; quadratū ſecundū ſuā vim, & poteſtatē, optimè de piramidali accipiatur, huic Catalano ſonum, ac corticē verborū ſimpliciter attendēti illud clari in ſimili propoſito adaptari poſſe videtur, quod ſcilicet Iuriſperitiā profitens, vel de Iuris brodio quippiā ebiberit. Et ſanè mirandū eſt, quomodo verbum quadratū ad ſuum rotundum caputium tuendum, aut æquè, Aut etiam magis rotundo, quā piramidali cōvenire poſſe geſtiat, cū figura circularis, neq; perfectè neq; imperfectè, quadrata cēſeri valeat: Licet enim figura circularis ſit omnium perfectiſſima, Et ſub hoc ſēſu alias figuras virtualiter, & eminenter contineat: Attamen realiter, & phyſicè loquendo; figura quadrata, neque directè, neque indirectè, ſive reductivè ad circularem pertinere poteſt, ſicut piramidalis ad quadratum, Et ovata ad circularē reducitur, eo propè modo, quo quatuor primi, ac principales venti diſtingui cō-

ſueverunt, ad quos reliqui veluti laterales, & medij revocantur.

Denique probatur eadem veritas ex Authoribus, qui aſſerunt caputium tale à S. Patre fuiſſe delatum, quale deferre cõſuevêre homines illius Regionis agreſtes: Ita enim teſtantur, præcipuè Toſsignanus, & Wadingus. Quorum primus ſic habet. *Caputium ſancti Patris Franciſci tale erat, quale deferre conſueverunt agreſtes homines illius Regionis.* Secundus ſic. *Eo more, quo paſtores ad arcendas cœli inclementias exterius tegumentum gerunt.* Certiſsimum eſt autem, neminem inter ſęculares in tota Italia, nedũ in Vmbria conſueviſſe deferre caputium mozettatum, aut etiam rotundum, pro ut deferunt RR. PP. Convẽtuales, & Obſervantes. Nam ejuſmodi caputium rotundum æſtivo tempore, minùs autem hyemali, aptum cenſetur ad arcendas cœli inclementias, pręſertim verò pluvias. Et velim planè ipſi RR. Patres, ſi in via, aut itinere cum ſolo caputio rotundo in capite, dum maximè imbres è cœlo deſcendunt, invenirentur; velim, inquam, ſincerè fateantur, utrùm, an non ad arcendas hujuſmodi inclementias, ſive aëris iniurias ſufficiat. Non ſufficere planè, ipſa experientia eoſdem docuit: Nam propterea, ni fallor, ſupra caputium, pileum, more ſæcularium deferre compulſi ſunt. Fatendum eſt ergo caputium tale à ſeraphico Patre fuiſse inſtitutum, ut ex una parte ad paupertatem ſervandam non ſuperefflueret: ex altera verò, ad arcendas cœli intemperies per ſe ſufficeret: Nam ſanctus Pater Franciſcus, ut eſt indubitatum, nil aliud, quam caputium ſuis fratribus præſcripſit portandum; caputium autem quadratum, ſive piramidale, abſque ſcapulari, & mozetta: Neque ſupereffluit contra paupertatem, neque deficit contra diſcretionem, ſed ita protegit, ut pauperes decet, Et paſtores, ac homines

homines agreſtes ſe tueri conſueverunt. Exclamare tamen intelligo Catalanum noſtrum. Ecquis unquam vallis Spoletanæ ruſticis piramidale caputium vidit in capite? Concedo quidem libenter, Toſsignano, Wadingo, & alijs, caputium, quo præſertim à ſuæ converſionis exordio S. P. Franciſcus uſus fuit, fuiſse, quale agreſtes homines, aut etiam Paſtores deferre conſueverant: Non inde tamen ſequitur fuiſse piramidale: Nam nunquam in illa valle viſi ſunt Paſtores, ejuſmodi piramidali caputio, capite cooperto incedere: ſed ſi non ſint viſi cum tali caputio piramidali, quale eſt Capuccinorum; Minus utique viſi ſunt cum caputio ſimpliciter rotundo, quod ipsâ experientiâ teſte, neque ad arcendas cœli iniurias, maximè verò pluvias, Paſtoribus, ac ruſticis in via, aut in agris demorantibus in nullo ſufficere poſſet. Et Wadingus expreſsiſſimè ait, caputium Seraphici Patris Franciſci fuiſſe acuminatum, ac piramidale; aliquando quidem magis, aliquando minus. Vnde & alibi caputium Capuccinorum magis ad formam illius ſeraphici Patris Franciſci accedere ingenuè faſſus eſt: Nec quiſpiam negare poteſt (Quidquid ſit de uſu ejuſmodi caputij moderno tempore) à tempore ſancti Patris Franciſci à Paſtoribus, & agreſtibus deferri ſolitum fuiſſe. Quod etſi caputium Capuccinorum aliquantò in piramide, ſive acumine illud ipſum ſancti Patris Franciſci excederet; ut ait P. Wadingus, adhuc tamen parum referret, Nam forma piramidalis ſemper eſt eadem, identitate ſpecificâ, ſicut ſemper eſt eadem figura rotunda maior, & minor, ut eſt certiſsimum: Nam ita eſt figuræ rotundæ terra, & orbis inferior, ſicut & ſuperior: Et tamen ſine dubio, unus orbis longè eſt alio maior. Et licet figura quadrata,

ſi cum piramidali conferatur ſpecie, ſaltem inadæquatè diſtincta cenſeri poſſet; ſemper tamen piramidalis ad quadratam redigitur. Sive ergò Authores caputium ſancti Patris Franciſci quadratum, ſive tam longum, ac latum, ut profundatum in capite faciem cooperiat, ſive quale agreſtes illius temporis deferre conſueverant, adſtruant, neceſſariò piramidale, non rotundum fuiſſe evincitur, in quo hujus etiam puncti diſputationem explicit.

Tria autem, vel quatuor potiſſimùm ſunt, quæ contra piramidalem caputij formam à noſtro Catalano obijci intellegimus. Primum eſt, piramidale caputium non tam S. P. Franciſci, quàm Fratris Eliæ fuiſſe invectum 2. à Ioa. XXII. tale caputium deferentes, ſub excommunicationis pœna, ad illud deponendum fuiſſe compulſos 3. è contrà, rotundum, ac mozettatum caputium à pluribus ſummis Pontificibus, Sixto præſertim IV. & V. fuiſſe cōmendatum 4. vix credi poſſe, quomodo Deus permittere debuerit piramidalē caputij formā tanto tempore in ordine ſeraphico fuiſſe deperditam; ſi verè illa fuit à ſeraphico Patre, pro ſui habitus forma, ordini præſignata: Cùm præſertim à nemine hactenus oſtendi valuerit, quo tempore, Cujus rei cauſâ, & à quibus, tanta, ac talis in toto ordine immutatio circa habitus formam fuerit inducta: Et eſt tritum in Iure, non præſumi mutationem. Vnde eam prætendi onus probationis incumbit. His obiectionibus, explicatâ tertij puncti difficultate, An ſcilicet caputium ſancti Patris Franciſci fuerit mozettatum, An ſine ſcapulari, & mozetta, faciliùs, Et commodiùs ſatisfaciemus.

Quod igitur ad 3. propoſitę quæſtionis punctum ſpectat, utrùm

trùm ſcilicet caputium mozettatũ an ſine mozetta, & ſcapulari fuerit præſcriptum. Exclamat, ut audio, Catalanus in laudem caputij mozettati ab eodem nuncupati, contendens illud à S. Patre in Regula fuiſſe inſtitutum, & ab eodẽ cum ſuis præſertim in 3. & ultimo vitę periodo delatũ: Ipſe enim, ut intellexi, tres Seraph. Patri ſtatus aſſignat, de quibus oportuniori loco infrà.

Iã verò quibus in ſpecie probet argumentis pro ultimo vitæ ſtatu mozettatum caputium à ſeraphico Patre fuiſſe delatum, prorsus ignoro: Audio tamen per ſex vias, ad ſuam probãdam ſententiam incedere. Primò per viam Imaginum. 2. Reliquiarum, ſive caputiorũ, quæ adhuc inter reliquias aſſervantur: Ait enim extare Imagines, & caputia antiquiſſima S. Patris Franciſci & divi Antonij ejuſmodi formã præſeferentia. 3. Per viã Regulę: Adducitq; potiſſimùm duo illa Sixti IV. & V. teſtimonia, qui ſummi Põtifices in Bullis à ſe editis, verbis expreſſis, ſe ſeraph. Patris habitũ ſimul cum Religione devotè aſſumpſiſſe teſtati ſunt: Ex quo ſic arguit. Habitus, quẽ Sixtus IV. & V. induerunt, fuit habitus S. P. Franciſci: ſed ejuſmodi habitus, quem nimiium prædicti ſummi Pontifices induerunt fuit habitus PP. Conventualium, Cujus uterque inſtituti, ac Religionis extitit. Ergò habitus RR. PP. Conventualium, non Capuccinorum, eſt habitus ſancti Patris Franciſci. Ergò tandem caputium ſancti Patris Franciſci mozettatum, & rotundum, non piramidale, aut quadratum fuit. Hoc argumentum tanti facit Catalanus noſter, ut non habens quid fortiùs atteſtationi Rev.mi Patris Felicis opponeret, horum duorum Pontificum teſtimonium obiecit. Id autem ex varijs Chronicorum, ſive hiſtoriarum Religionis locis confirmare geſtit, in

in quibus legitur Fratres à ſeraph. Patre Franciſco per mundũ miſſos,& ſignanter Fratrem Bernardum de Quintavalle,fuiſſe ab hominibus otioſis, quibus novitas, Et inſuetudo habitus erat ignota, per caputium ante, & retrò tractos; *Alij*, inquit Piſanus, Et concordat Author Floreti, *trahebant caputium eius retrò, alij ante* : ſi ergò alij trahebant caputium retrò, alij ante, Quis non videt caputium hujus Beati habuiſſe partem anteriorem, & poſteriorem? ergo erat mozettatum : Nam ſine mozetta, quale eſt caputium Capuccinorum, trahi quidem poteſt retrò, ſive à parte poſteriore,non à parte anteriore. Similia ſunt, quæ leguntur de S.Patre Franciſco,& ejus ſocio Fratre Leone: Nam oſtendere volens S.Pater huic ſuo diſcipulo, id eſt,Fratri Leoni,in quo vera Religioſi lætitia conſiſteret, poſt longum diſcurſum ita concludit. *Et exiens*,id eſt,Ianitor, *cum uno nodoſo fuſte capiens nos per caputium, &c.* Hic, ut reor, ſiſtit Author, & hoc modo diſcurrit ; Dum hiſtoria aſſerit. *Et capiens nos per caputium*, neceſſarium eſt affirmare, caputium partem panni habuiſſe,unde capi valeret ; hoc eſt certiſsimum; ſed non eſt veriſimile,ejuſmodi partem eam eſſe, quæ poſt terga pendebat; quia id eſſet notam debilitatis ſpiritus, & patientiæ eidem Seraphico Patri inurere, ut eo ipſo tempore, quo ſecum ipſe de tolerantia paſsionum diſcurreret,Et Fratrem Leonem ad eandem animaret,occaſione oblatâ, immemor propoſiti, percutienti terga verteret; quo pars illa panni, in qua caputium à Ianitore capi poterat, & debebat, erat pars anterior ; ergò mozettatum. Ridicula planè res eſt,nec dubito, quin pro tali à Lectore ſit habenda : Nunquid non potuiſset Ianitor egredi ianuam, & poſteriorem caputij partem capere, ipſo

S.Pa-

Sancto Patre Francisco terga non vertente ? Aut fortasse non poterat Ianitor, etiam in ipso januæ vestibulo persistens, caputium in summitate capitis capere , Et ipsum seraphico Patri profundare, Cùm præsertim seraph. Pater caputium in capite ad modestiam servandam tenere soleret : Imò hæc gravior iniuria, & durior fuisset offensa, si Ianitor caputio, quod seraphicus Pater ad caput obtegēdum deferebat in capite, manibus capto ad totam ejusdem faciem cooperiendam profundasset in capite. Pergamus ad alia : vult ergò ulterius comprobari mozettatum fuisse caputium , ex eo quod scribit Pisanus, sequutus Floretum de eodem Fratre Bernardo Quintavalle, illis verbis : *Alij verò caputia eorum à tergo trahentes, post dorsum suum sic suspensos portabant.* Si enim caputium sine aliqua parte anteriore ad pectus pendente, tunicæ consutum fuisset, ad quid particulam, *à tergo*, apponere ? Cùm satis, superque fuisset dicere, Alij verò caputia eorum trahentes post dorsum suum sic suspensos portabant: Nam caputium tunicæ consutum, non potest aliter capi, quàm post dorsum, ut is qui eo induitur, suspensus in dorso portetur. Libeat interim hîc per transennam exclamare. O quanta argumentorum vis ! Nunquid non quotidie geminantur verba synonima ad maiorem expressionem? Immò si ejusmodi verba , ut par est, penitus perpendantur, ostendunt caputium Fratris Bernardi fuisse oblongum, ac tunicæ consutum: Nam commodius potest portari homo suspensus in dorso à tergo, per caputium oblongum , ac tunicæ consutum , quàm per mozettatum, & à tunica dissutum. Addit deniq; caputium fuisse novum, & insolitum , atque ob eam causam illud deferentes malè fuisse tractatos : Ergo non erat piramidale. Nam

quomodo novum,&inſolitum,ſi ejuſmodi,cōmuniterpaſtores, & ruſtici regionis deferre cōſueverāt 5.° Ab authoritate:neque enim deſunt Authores, qui mozettati caputij, etiam pro tēpore ordinis antiquo,Et multò clariùs,quàm de piramidali mentionem faciant.Hi ſunt omnes,qui Minoritanum caputium ab exordio naſcentis Religionis, ab habitu ſive tunica diſſutum, & diſiunctum fuiſſe aſſeverant: hi enim conſequenter mozettatum fuiſſe concedunt. Siſtamus greſſum, Et huic illationi, quam libentiſſimè Authori concedimus,aliam nos à contrario ſenſu, juxta Regulas Iuris adiungamus: ubi caputium eſt tunicæ conſutum, non eſt opus ſcapulari, aut mozettâ, ac proindè valet hoc argumentum : caputium Fratrum Minorum ex Regula eſt tunicæ conſutum; Ergo non eſt mozettatum. Sicut valet,caputium non eſt tunicæ conſutum: Ergo eſt mozettatū. Quare ſuperiùs notavimus,in pręsēti propoſita difficultate,nō tam levis eſſe momenti illam ſtabilire concluſionem, caputiū ex Regula tunicæ conſutum eſſe debere, quia ex hoc antecedenti, Etiam ad hominem, talis infertur illatio; Ergo caputium Sancti Pàtris Franciſci mozettatum minimè erat. Hujus autem utriuſq; illationis ratio duplex poteſt afferri: Neceſſitatis prima. 2.ª Decentiæ.Ratio neceſſitatis eſt evidens:Nam deferre caputium omninò à tunica, & alia quacumque re diſſutum nullatenus fieri poteſt. Vnde & Novitijs,quibus caputium à tunica diſſutum ſolùm conceditur, Caparo inſuper à ſeraph. Patre aſſignatur, cui ipſum caputium conſuitur; Ergò eo ipſo, quo caputium Profeſſorum non eſt tunicæ conſutum,neceſſariū eſt ſcapulare,cui conſuatur; Et vice versâ. Vbi caputium tunicæ conſutum eſt,nulla ſupereſt mozettę,aut ſcapularis neceſ-

ſitas,

ſitas, cui ipſum caputium ſit conſuendum. Ratio quoque decentiæ non minùs eſt clara, & aperta; Nam ſi caputium diſſutum, collo abſque mozetta, & ſcapulari apponatur, ſcapulæ retrò, & pectus ante, ſaltem ex parte detecta apparebunt, quod nedum Religioſis perſonis, verùm etiam modeſtis, ac pudicis fœminis noſcitur eſſe indignum. Hac enim de cauſa caputium olim ipſæ fœminæ, non tam ad caput cooperiendum, quàm ad pectus, & ſcapulas obtegendas, deferebant, teſte Varrone apud Calepinum, verbo, *caputium*, his verbis. *Caputium, muliebre fuit tegumentum, non tam à capite dictum, ſiue deductum, quàm à capiendo, quod ſcilicet pectus & ſcapulas capiat.* Et utinam noſtris quoque temporibus, talis apud fœminas ſervaretur modeſtia, ut ſaltem caputio pectus, ſcapulaſque obtegerent. Hæc autem decentiæ ratio ceſſat omninò, ubi caputium tunicæ conſutum fertur: Ipſum enim caputium, caput, & reliqua ſufficienter obtegit. Hæc porrò caputij, Ethimologia, ut audio, modernum Catalanum non latuit: Inde enim contra Boverium inferre voluit, caputij nomen ſecundùm ſuam Ethimologiam, non tam de caputio abſque mozetta, quàm de mozettato poſſe intelligi. Vnde & in Bullis ſummorum Pontificum totum illud, quod Monachis, ac Religioſis omnibus, à Regula, aut ſtatutis ad obtegendum caput, pectus, & ſcapulas conceditur, caputij nomine cenſetur. Quid ergò prohibet, quod pariter Sanctus Pater Franciſcus caputij nomine in Regula, mozettatum accipiat? Reſponderet Boverius ipſam Regulam ob rationis diſparitatem talem in propoſito interpretationem excludere, cùm caputium, de quo eadem meminit, tunicæ conſutum eſſe velit. Quo ſuppoſito

nulla, ex hoc etiam Authore, ſive neceſſitatis, ſive decentiæ adijciendi mozettam ratio occurrit: Imò cùm nullus ſapiens quippiam ſine cauſa rationali ſtatuere præſumatur, ſequitur evidenter ſeraphicum Patrem ſuo caputio, utpote tunicæ conſuto, mozettam adiunctam minimè voluiſſe: ſicut è contra, cæteri mozettam adiecerunt: quia caputium à tunica diſſutum ſtatuerunt: Hoc eſt ergò primum argumentum, & planè fortiſſimum, ad probandum caputium Minoritanum nullatenùs mozettatum fuiſſe: quia nulla nimirum tale caputium præſcribendi in ordine ſeraphico, ratio exiſtit.

2.ᵐ Argumentum ſumitur ex paupertate, quam tanti in omnibus ſemper æſtimavit ſeraph. Pater noſter Sanctus Franciſcus. Vnde & S. Bonaventura in Speculo diſciplinæ, *Amplitudo*, inquit, *vel longitudo veſtimenti ſuperflua, ſive in manicis, ſive in caputio, ſive in colario caputij, eſt admodum fugienda*: ſuperfluitas enim expreſsè contrariatur paupertati, juxta illud Apoſtoli: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Et licet quod attinet ad paupertatem, iuxta communem expoſitorum ſententiam, non tam ſtricta, quàm moderata in his, quæ non ſunt in Regula expreſſa, præcipiatur, ſive commendetur: Certiſſimum tamen eſt, quantum fieri poteſt, omnem ſuperfluitatem fuiſſe Seraphico Patri inviſam: Ac ſubinde in omnibus cavendam. Argumentum autem à paupertate ductum, in hanc formam conſtrui poteſt. Caputium ſine ſcapulari, & mozetta, plus ſapit paupertatem, quàm cum ſcapulari, & mozetta: Ergò, caputium à Seraphico Patre præſcriptum, Et ab eodem, ac ſuis delatum, fuit abſque mozetta. Conſequentia eſt certa, nedum in ſe: verùm etiam apud Adverſarios, qui eâ ratione rotundum

po-

potiùs, quàm piramidale caputium à Sancto Patre Francisco præscriptum fuisse, probare intendunt: quia in rotundo magis, quàm in piramidali paupertas elucet. Tota itaque difficultas est in antecedente. Probatur ergò antecedens, tum absolutè, tum etiam comparatè. Absolutè, quia sine dubio, minore panni quantitate contentum est simplex caputium absque mozetta, quàm cum mozetta. Vnde & ijdem Patres Conventuales, ac Observantes non modicæ panni parcerent quantitati, si caputium rotundum absque mozetta haberent. Comparatè verò: quia adhuc caputium mozettatum, quale ijdem Patres deferunt, comparatum cum piramidali non mozettato, quale deferunt Capuccini, longè maiorem panni quantitatē exigit: Nā sola pars posterior per dorsū protensa. aut maior, aut saltem æqualis est toti Capuccinorum caputio, ut quilibet facilè intueri potest. Quare si res bene perpendatur, unum RR. PP. Conventualium mozettatum caputium, duo non mozettata Capuccinorum formaret. Itaque licet caputium rotundum non mozettatum, minorem exigat panni quantitatem, quàm piramidale item non mozettatum; rotundum tamen mozettatum, plus, quàm piramidale non mozettatum vendicat; Atque adeò à toto genere, non mozettatum Capuccinorum caputium longè magis, quàm mozettatum Patrum Conventualium, & Observantium præsefert paupertatem, &c.

Dices. Piramidale caputium saltem excedere in paupertate, si cum solo rotundo conferatur. Fateor. Verum, vt aliàs adverti, caputium ita debet esse consonum paupertati, vt deserviat necessitati, caputium autem rotundum non est aptum

ad arcendas aëris inclementias; quam ob causam S.P.Franciscus quadratum, non omninò rotundum esse voluit. Et quidem attentâ paupertate, multò magis consonum esset, ut RR. PP.mozettam à caputio deponerent , quàm quod Capuccini summitatē caputij abscinderent; Quod si iterū obijciant, mozettam ad scapulas, & pectus obtegenda, necessaria existere: Iā hæc pariter obiectio fuit exclusa: quia, vbi caputium est tunicæ consutum, nulla talis adest necessitas. Itaque concludamus, caputium, juxta mentem sancti Patris Francisci tria simul, habere debere. Primò, vt consulat paupertati. Secundò, vt provideat necessitati. Tertiò, & vltimò vt faveat honestati. Quæ omnia cùm complectatur caputium piramidale quadratum, non mozettatum tunicæ consutum, sequitur tale fuisse à seraphico Patre præscriptum.

3.um Argumentum sumitur ex his, quæ de caputio seraphici Patris, ex sententia omnium seraphicæ Religionis Scriptorum, superiùs attulimus, tale nimirùm fuisse, quale illius Regionis Pastores, & agrestes, ad aëris inclementias, & iniurias arcendas deferre consueverant. Quidquid enim sit de caputio rotundo, utrùm scilicet Pastores, & agrestes rotundum magis, quàm quadratum, & piramidale haberent in more, de quo satis suprà. Certissimum est, nullum masculum in toto mundo caputium cum scapulari, & mozetta habuisse, aut habere in vsu. Dixi masculum, ad excipiendas fœminas, quibus caputium ex Varrone, & alijs, quibus Catalanus consentit, fuisse in vsu, superiùs advertimus. Cumque exceptio firmet Regulam in contrarium, Inde clarissimè sequitur, masculos tale caputium mozettatum nusquam habuisse in vsu. Nec reor, quempiam,

piam, aut ex PP. Conventualibus, aut ex PP. Obſervantibus, viritim poſſe deponere, ſe aliquando homines cum tali caputio incedentes obvios habuiſſe.

4.^m Argumentum ſumitur ex eo, quod mutatio circa habitum ſeraphici Patris Franciſci, communi ferè omnium ſcriptorum voce, facta fuiſſe profertur: Suppoſitâ porrò aliquâ circa caputium immutatione factâ: hæc mutatio, aut de mozettato in non mozettatum: aut vice verſâ, de non mozettato in mozettatum: neceſſariò facta fuit; ſcio quidem, Catalanũ contendere, potiùs mozettatum caputiũ in non mozettatum fuiſſe mutatũ: Verùm cùm res hæc in lite poſita ſit, & controverſia, Contendentibus ex vna parte, aliquibus pro mutatione in non mozettatũ, Et ex alia, enitẽtibus alijs pro mutatione in mozettatum, nullaq; pars pro ſe certa, & indubitata adducere valeat documenta, Recurrendum eſt ad præſumptiones, & coniecturas. Eſt autem præſumptio, mutationem circa caputium, non à Capuccinis, ſed à PP. Conventualibus eſſe factã. Quod ſic clariſsimè demonſtro. Hi, quos conſtat evidenter aliquam circa habitũ induxiſſe mutationẽ; cætera omnia, de quibus nõ eſt tãta certitudo, Et ſuper quibus lis orta eſt, Et cõtroverſia, pariter immutaſſe præſumuntur: Sed certiſsimũ eſt R R. PP. Cõventuales (vt interim taceã Obſervantes) circa habitũ aliquã immutationem feciſſe: Ipſi enim ſupra caputiũ, pileum, calceamenta, & cætera, contra Regulæ præſcriptum addiderunt; quæq; propterea ſine dubio nunquãS. P. Frãciſcus, aut ejus ſocij detulerũt; Et vice verſâ, Capuccini nil prorsùs præter præſcripta à regula deferũt; Ergò præſumptio ſtat cõtra ipſos Patres Cõventuales, quod reliqua pariter de quibus lis orta eſt, & controverſia, immutârint.

Con-

Concluditur ergo tandem ex his omnibus argumentis, caputium à sancto Patre Francisco præscriptum, & delatum, nullatenùs mozettatum fuisse. Quod tamen adhuc clariùs constabit, satisfaciendo obiectionibus, quæ contra caputium non mozettatum, quadratum, ac tunicæ consutum, ab isto moderno Authore afferuntur.

Satisfit obiectionibus Catalani.

QVoniam, vt aliàs ex Aristotele advertimus, volens aliquam defendere propositionem, postquam validis ipsam communivit rationibus, Debet ulterius adversantium occurrere obiectionibus: Ideò ad nostræ disputationis complementum, superest vt adversantia Catalani argumenta convellamus.

Primò obijcit contra immutationis præsumptionem, hoc ferè modo. Præsumptio, quæ non est circumstantiata loco, tempore, &c. ex hoc ipso præcisè nullius esse momenti convincitur; Vnde & confessio ipsimet Confitenti non nocet, sed potiùs tamquam improbabilis reijcitur, nisi qualificata existat: Capuccini ergò, qui suam præsertim in præsumptione de caputij immutatione intentionem fundatam esse prętendunt, docere debent, quo tempore, quo loco, quâ occasione, à quibus tandem personis, ejusmodi mutatio fuerit facta: Quod cùm hactenùs concludentes minimè ostenderint, contra ipsos potiùs, quàm pro ipsis præsumptio erit: Quia enim PP. Conventuales priores sunt tempore; Ideò etiam potiores Iure. Itaque

que Capuccinis incumbit onus probandi, Et quidem concludenter, primam ab ipsis Patribus Conventualibus, aut alijs factam fuisse mutationem. Quod autem non probent concludenter, inde suadere studet. Primo, quia ipsimet Capuccinorum Authores non conveniunt de tempore: Alij enim tempore Sancti Bonaventuræ hanc factam fuisse mutationem asseveranter affirmant. Ita inter ipsos Author Arboris, nomine Vitalis Algezira, inquiens Sanctum Bonaventuram rotundum caputium ad Biretinorum cavendum abusum instituisse: At verò Boverius circa annum 1430. talem mutationem factam fuisse mordicùs defendit: Vnde & ex instituto opinionem aientium, factam fuisse tempore Sancti Bonaventuræ impugnat.

Ab utroque verò, id est, Boverio, & Algezira, adhuc discordat Coriolanus, tertius Capuccinorum scriptor, ratus, tempore Ioannis XXII. Immutationem caputij non mozettati, in mozettatum fuisse factam. Quemadmodum autem hi Authores invicem circa tempus immmutationis variant, ita necessariò circa locum, occasionem, & personas discordant. Algezira enim ab ipso Sancto Bonaventura, in capitulo Narbonensi, ad Beretinorum, ut dixi, abusum cōvellendum; Coriolanus verò, ab ipso Ioan. XXII. in Gallia, ad Michaëlis de Cesena schisma tollendum; Boverius denique ab alijs factam fuisse existimant.

Ex his ergò, Et similibus concludit Catalanus, hactenus Capuccinos ostendere minimè potuisse, ubi, quando, quâ occasione, & à quibus piramidale caputium, quod, secundùm ipsos, primùm, & antiquum fuit in ordine, defecerit: Ac ejus

loco rotundum, ac mozettatum fuerit introductum, & ſubinde ipſorũ præſumptionem inanem eſſe. Et ſiquidem Boverius, de caputio rotundo verba faciens, ad Conventuales, ac Obſervãtes converſus, eos ita alloquitur. Et vbi ergò ejuſmodi rotundũ inveniunt caputium? Certè quod ſibi ipſis fingunt, ſine Authore, aut alicujus antiqui, vel moderni Scriptoris authoritate: multò magis adversùs ipſos Capuccinos lubet exclamare, & vbi inveniunt ipſi ejuſmodi piramidale caputium, &c.

1 Si dicant Capuccini, communẽ de ejuſmodi immutatione n ordine facta extare famam, aut eſſe communem ordinis vocem, oſtendant, quæſo, vnde ejuſmodi fama, & à quibus originem traxerit, quorumnã ſit hæc vox communis? Certè hoc docere minimè poterunt, niſi fortaſsè ab ipſis Capuccinis ejuſmodi vocem, & famam ortam, auctam, & conſervatam affirment: Quod ad ipſorum opinionem probandã, nullam in propoſito vim obtinet; etenim obſtat illud: Tu, de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.

Dicent fortaſsè rurſum Capuccini, ipſos tam ſeraphicæ Religionis, quàm alios complures Authores hanc immutationem in ordine factam fuiſſe teſtari. Ita præ alijs P. Wadingus, referens inſuper Petrum Galeſinum, Raphaëlem Volateranũ, Alphonſum Iaconium, Hieronymũ Corteſem, & Ioan. Marquez. Sed hæc opinio, præterquam quod à Boverio impugnatur, etiã aliunde falſa eſſe convincitur. Quia nulla efficax hujuſce immutationis ratio afferri poteſt, aut hactenùs fuit adducta. Authoritates etiam quę communiter afferuntur, aut ad aliud tendunt, aut ex ſe ambiguæ ſunt, Decreta præterea, & Cõſtitutiones Narbonenſes nil de hoc certi continent. Dicere porrò, ut dice-

dicebat Algezira Capuccinus Sanctũ Bonaventurã ad abuſum Biretinorum tollendum, hanc immutationem introduxiſſe, videtur planè res ridicula: Nam ab ipſo Sancti Patris Franciſci tempore Ioannes Capella, vt legitur in Chronicis, abusũ deferendi biretas promovit: Si ergo hujuſce abuſus remedium neceſſariò à caputio rotundo penderet, vtiq; in ordine ante ſancti Bonaventuræ tempora introduci debuiſſet; præterquam quod faciliùs fuiſſet capitis neceſſitati conſulere, ſuperfluã, nimirùm priſtini caputij latitudinem reſtringendo. Cùm ergo nulla, aut ratio, aut authoritas firma, ad probandum caputiũ rotundum à Sancto Bonaventura fuiſſe inſtitutum, poſsit adduci, talis ſententia omninò abijcienda eſſe videtur, Cùm præcipuè inſtitui minimè potuerit, quod jam anteà, nimirum à Sancto P. Franciſco fuerat inſtitutum. Itaque tantùm abeſt, vt Sanctus Bonaventura rotundum, & mozettatum inſtituerit caputiũ, quod imò inſtituere minimè potuerit. Et licet Wadingus in hiſtoria Minoritana deſcribenda ſatis accuratus fuerit; Pace tamen ipſius in hoc particulari ſibi ipſi manifeſtè in ſuis dictis contradicere Catalanus prætendit: eò quia Pater Wadingus poſt S. Bonaventuræ. Conſtitutionem, plures originarię veſtes tenaciores acuminato adhuc ſemper inceſsiſſe caputio affirmat: Idque vlteriùs argumento Imaginum Lateranenſis, & S. Mariæ Maioris, probare geſtit: Nam, cũ ejuſmodi Imagines piramidali caputio effigiatæ exiſtant, ſequeretur, inquit Catalanus, piramidale caputium antiquam Franciſcanæ Religionis formam præſetuliſſe: Nam Imagines ſupradictæ piramidale caputium habent. Id autem adverſatur his, quæ habet idem Wadingus alio loco, vbi Sancti Franciſci caputia

quadratæ formæ fuiſſe aſſeverat. Adverſatur item his, quæ idem Wadingus alibi ſcribit, Fratrem ſcilicet Heliam, dum S. P. Franciſcus in Ægypto moraretur, oblongaſſe caputia. Præterea, dum hic ita expreſsè, & reſolutè, etiam poſt Sancti Bonaventurę Conſtitutionē, plures originariæ veſtis tenaciores, acuminato ſemper inceſſiſſe caputio aſſeverat, alibi in dubium vocare non debuit, utrùm Capuccinorum caputium magis accederet, vel excederet illud à ſeraph. Patre delatum. Cùm autem ſemel malus ſemper præſumatur malus in eodem genere mali, non dubitat Catalanus aſſerere, ut audio, Wadingum, eo ipſo, quo in uno falſus eſſe reperitur, in cæteris quoque falſa narraſſe (de quo tamen nos infrà.)

Tota ergò præſentis obiectionis vis in eo eſt conſtituta, ut nondum concludenter à Capuccinis probatum ſit, ubi, quando, aut quâ occaſione caputium rotundum, & mozettatum in locum piramidalis & non mozettati, fuerit introductum: ferè enim quot capita, tot ſenſus. Et quia res eſt maximi momenti, eandem ſæpiùs à Catalano inculcari intelligo. Vt ergò huic primæ occurramus obiectioni.

Recolendum eſt, ubicumque veritas clarè, & perſpicuè inveniri non poteſt, ad præſumptiones, ſive coniecturas habendum eſſe recurſum.

Adijciendum prætereà, prēſumptionem, ex facto certo ad incertum & dubium, validiſſimam ſumi, præſertim verò in facto malo: iuxta Regulam, ſemel malus, &c. Vnde qui convictus eſt de homicidio certo, eo ipſo etiam incertum commiſiſſe præſumitur.

Adijciendum etiam, Malum eſſe deferre calceamenta extra

tra necessitatem, utpote contra Regulam, aut pręter Regulam. Nec curo in pręsenti, utrùm sit malum formaliter, aut solùm materialiter; Quod addo ob Reverentiam ipsorum RR. PP. Conventualium, quos nullius culpę reos esse intendo, dum eos contra Regulę præscriptum calceamenta, & alia deferre obijcio: quia ex vi privilegiorum talia ab ipsis fieri posse concedo. Sufficit mihi, hanc vestium immutationem non esse à Regula præscriptam, imò prohibitam, Ac proindè malam materialiter.

Adijciendum denique, Capuccinos nil, pręter Regulam, habitui adiunctum deferre. Quod ipsos quoque adversarios concessuros existimo.

Ortâ jam ergo lite, aut controversiâ inter RR. PP. Conventuales ex una; Et inter Capuccinos ex altera, super habitus forma, ac ipsius immutatione, Cõtendentibus Capuccinis ex una, primam habitus Franciscani formam à PP. Conventualibus: Ex altera verò RR. PP. Conventualibus à Capuccinis fuisse mutatam. In hac, inquam controversia Iudices appello sapientes, pro quibus, aut contra quos stet præsumptio. Respondebunt utique præsumptionem stare contra eos, quos in alijs multis mutationem fecisse constat, Non autem contra illos, quos nil immutasse certum est, ob regulam prædictã; semmel malus, &c. Sed constat, Capuccinos nullam circa habitum à Seraphico Patre præscriptum, fecisse immutationem, & vice versâ, aliquam à PP. Conventualibus factam fuisse luce clariùs liquet; Ergò in re dubia præsumptio pro Capuccinis, contra PP. Conventuales subsistit. Cumque constet, usum pileorum, calceamentorum, &c. à PP. Conventualibus fuisse

introductum parum, aut nil refert, Etiamſi vbi, quando, cujus occaſione, & à quibus talis vſus fuerit introductus, doceri minimè valeat. Et hæc erit ſecunda præfatæ obiectionis reſponſio. Non enim valet: Non poteſt doceri de loco, aut tempore talis immutationis, aut abuſus: Ergò nulla prorsùs immutatio, aut abuſus, factus eſt. Aliter reſpondeat mihi Catalanus, & dicat, vbi, quando, cujus occaſione, & à quibus primò fuerit inter ipſos Patres Conventuales vſus pileorum, calceamentorum, &c. introductus. De antiquis enim vix ejuſmodi circunſtantiæ aſſignari poſſunt, Cùm præcipuè abuſus in communitate non de repente, & per Conſtitutiones, ſed pedetentim, per actus, ſicut & quælibet alia conſuetudo, ſive bona, ſive mala introduci ſoleat. Itaque obiectio Catalani verè nullius eſt momenti: Non poteſt ſpecificè demonſtrari, vbi, quando, &c. immutatio fuerit introducta, Ergò non eſt introducta. Nec etiam valet: Authores variant inter ſe de loco, tempore, &c. Ergò ipſorum aſſertio falſa eſt: Nam hæc eſt hiſtoriarum, maximè antiquarum natura, vt facta quidem pro certis habeantur, licet Doctores, quantum ad circunſtantias ſint inter ſe diſcordes.

Vt autem dicam ipſe quod ſentio. In primis exiſtimo tanquam indubitatum adhuc piramidale, ſive quadratum caputium à tempore Sancti Bonaventuræ in Franciſcana Religione fuiſſe in vſu: Ac proindè falſam eſſe opinionem R. Patris Wadingi, & cæterorum, aientium Sanctum Bonaventuram formam rotundi caputij introduxiſſe Moveor ex verbis ſancti Bonaventuræ ſuperiùs allatis, & declaratis: Ex quibus clariſſimè patet, tale caputium tempore Sancti Bonaventu-

ræ

ræ fuiſſe in vſu, vt ſi nimis in capite profundaretur indecenter faciem cooperiret. Vt quid enim Sanctus Bonaventura inſtrueret, qualiter Religioſi in publico, capite decenter operto, deberent incedere: Nec tamen caputium nimis in capite eſſe, profundandum, ſi caputium tale non eſſet, vt nimis in capite profundari valeret, &c. Nulla ſanè ratio dictat. Et quidquid in contrarium adducitur, hâc vnâ Sancti Bonaventuræ depoſitione eliditur.

Itaque, Aut fatendum eſt Sanctum Bonaventuram potiùs immutaſſe caputiū rotundum in piramidale, quod nullus hactenùs ſomniavit: Aut piramidale caputium à tempore Sancti Patris Franciſci, vſque ad S. Bonaventuram fuiſſe in vſu.

Exiſtimo prætereà poſt Sanctum Bonaventuram paulatim in ordine piramidale caputium deficere cepiſſe, & loco piramidalis, & non mozettati, rotundum, ac mozettatum fuiſſe introductum: Nam, vt dixi, hæc eſt omnis abuſus natura, vt paulatim in communitate introducatur: ſicut paulatim alij quoq; in Religione introducti fuerunt abuſus, vt pileorum, calceamentorum, &c. Ad quos abuſus tollendos, Deus tamquam huiuſce vineæ Pater familias, ſuis temporibus cultores, ſeu Reformatores deſtinare non deſtitit. Et qui alicujus vſus, ſive abuſus aliquod teſtimonium ex ſcripturis quærit, ſatis ex hoc ipſo ſuæ ignorantię, notam præbet: Differt enim Ius ſcriptum à non ſcripto, vt eſt tritum in Iure. Non eſt ergò, quod Catalanus, aut alius quicumque tantoperè inſiſtat, vt immutationis ſtatutum, conſtitutionem, aut decretum ſcripturæ traditum quærat.

Sin autem quæratur hujus immutationis ratio, ea ratio-

rationabiliter adduci poteſt, quæ ferè omni abuſui Communis exiſtit. Quia nimirum caputij quadrati piramidalis, tunicæ conſuti, &c. Delatio ſatis gravis deferenti eſt & moleſta, ut experientia docet: Dormire enim cum caputio tunicæ conſuto, &c. Et cum eodem ſemper; præſertim etiam tempore infirmitatis, perſiſtere, valdè durum, & moleſtum eſt: Sicut è contra ſatis commodum, caputium à tunica diſſutum deferre: quia non ſolùm infirmitatis, ſed etiam noctis, & quietis tempore poteſt amoveri, An autem RR. Patres Conventuales tali perfruantur commoditate, ipſi nôrunt. Motivum verò extrinſecum, exiſtimo fuiſſe cæterorum Religioſorum exemplum. Et per hæc ſatis ſuperque ſoluta manet prima obiectio, ſi præſertim memoriæ revocentur, quæ ſuperiùs ad probandum caputium ex Regula tunicæ conſutum eſſe debere, attulimus.

Obijcit 2.do Quadratum & piramidale caputium à ſeraphico Patre in Fratre Helia damnatum, Et à Fratre Michaële à Ceſena cum ſuis ſectatoribus profanatum. Et quod maius eſt à Ioan. XXII. ſub excommunicationis ſententia prohibitum fuiſſe. Ex quibus omnibus colligit, piramidale caputium fuiſſe ab ordine alienum, eidem ordini hoſtem, & inimicum: Ac demum Heliȩ, & cȩterorum illegitimorum inventum. Hȩc autem, ut audio, Catalanus noſter contra piramidale caputium, iterũ atque iterũ, ad animos legentium commovendos, verbis ſatis exaggerativis inculcat, & inculcatiuis exaggerat. Sicut è contra, innumeris ferè laudibus caputium ſuum rotundum, ac mozettatum uſque ad cœlum effert, tamquam à ſeraphico Patre Sancto Franciſco inſtitutum. Et in Divo Antonio, Cæteriſque primis diſcipulis, conſectatum, Atque in

Sancto

ſancto Bernardino Senenſi; Beato Ioan. Capiſtrano; Beato Iacobo de Marchia, & alijs ferè innumeris ſanctificatum. Vt huic obiectioni ſatisfaciamus, certa ab incertis ſunt ſecernenda.

Certum eſt ſanctum Bernardinum, Didacum, & alios complures in Religione ſanctitate fuiſſe conſpicuos, qui cum mozettato caputio inceſſerunt: Sicut pariter certum eſt, plures ſub piramidali caputio militantes, maxima in Eccleſia ſanctimoniæ exempla reliquiſſe: Non ſolùm in Reformatione Capuccinorum: verùm etiam ante refotmationem: Id enim oſtendunt caputia acuminata, quæ adhuc inter ipſos RR. PP. Conventuales inter Reliquias aſſervantur.

Certum ſimiliter eſt Fratrem Heliam, oblongum, ac piramidale caputium detuliſſe: In hoc enim omnes conſentimus.

Certum eſt prætereà, S. ipſum Patrem Franciſcum, caputium quadratum aliquãdo detuliſſe: Id enim teſtatur Legenda trium ſociorum ſeraphici Patris, vt interim alios Authores omittamus, illis verbis, *Caputium quoque quadratum detulit, tantæ quidem longitudinis, quod faciem operiret.* Dixi, *quadratum*, Et *aliquando*, vt interim certa àb incertis ſecernam. Vnde Catalanus ipſe, & reliqui omnes in hanc veritatem conſentiant neceſſum eſt.

Dubium ergo in eo eſt conſtitutum, An S. P. Franciſcus hanc formam quadrati caputij, quam aliquando ſervaſſe certum eſt, in aliam immutârit: Aut etiam modò vnam, modò alteram in caputio formam tenuerit. Et quod de ſancto Patre Franciſco aſſeritur, eâdem ratione de B. Patre Antonio, cæteriſque

terisque sancti Patris Francisci socijs vsque ad tempora sancti Bonaventuræ inclusivè intelligendum est. Catalanus porrò prætendit, seraphicum Patrem sanctum Franciscum, modò vnam, modò alteram caputij formam detulisse; quod etiam indicat Wadingus, vt aliàs retulimus. Movētur verò, quia seraph. Pater tale sibi adaptabat caputiū, quale à Devotis offerebatur. Videtur etiam, dicit ille, hoc ipsum posse deduci ex illis verbis Legendæ, *Caputium quoq; quadratū detulit*: Nam terminus ille *quoque* relativus est, nec potest referri, nisi ad aliud caputium, vt faciat hunc sensum: Detulit S. Pater caputium non quadratum, ac etiam quadratum, id est, modò vnum, modò alterum. Et quidem Catalanus contendit, quadratum in ipso Religionis exordio à sancto Patre fuisse delatum, non quadratum verò, sive rotundum, & mozettatum in fine: Nam, vt aliàs advertimus, duos, aut tres vitæ seraph. Patris status describit, in quibus varia caputiorum forma vsum fuisse prætendit.

His adijciendum, summos Pontifices, ac Generalia Concilia, vsum aliquorum terminorum prohibere consuevisse: Non quia termini in se aliquid mali, aut falsi contineant, sed quia eorum vsus ab Hęreticis in erroris occasionem pertrahitur: ex. gr. Quanto tēpore prohibita fuit vox illa, Christotochos, quæ hodie adeò est canonizata, vt ad extollēdas Virginis Marię laudes à S. Ecclesia decantetur *Mater Christi*. Quanto item tempore fuit ab Ecclesia in mysterio Trinitatis explicando prohibita vox altera, *substantia*, ob dictā rationē: Quoniā nimirùm in ejus vsu tunc temporis venenum latebat, vt per divū Hieronymū, *latet anguis in herba*. Ex quibus omnibus facillimum erit prædictæ, quo ad omnes, ac singulas partes satisfacere obiectioni.

Ad

Ad illud ergo, quod dicebat Catalanus, piramidale caputiũ fuiſſe ab ordine alienum, & à ſeraph. Patre in fratre Helia damnatum, vt reſpondeam; ſcirem libenter ab hoc Authore, de quonam caputio loquatur: Aut quodnam, & quale caputium intelligat, dum ait, caputium fuiſſe à ſeraphico Patre, in Fratre Helia damnatum: Aut enim intelligit de caputio quadrato, aut de caputio rotundo; De quadrato vtique non loqui certiſſimum eſſe exiſtimo: Nam quomodo aſſerere auderet, ejuſmodi caputium eſſe ordini alienum: Aut à ſeraphico Patre damnatum. Si ex Legenda trium ſociorum non ſolùm, ſed etiã ex reliquis ſeraphicæ Religionis Scriptoribus clariſſimè conſtat, ejuſmodi caputium quadratum à ſeraphico Patre fuiſſe delatum, &c. Aut quomodo potuiſſet ſeraph. Pater tam acriter reprehendere Fratrem Heliam, ex eo quod deferret caputium quadratum, quod ipſe ſeraph. Pater gerebat? Aut denique quomodo ſeraph. Pater habitum cum ejuſmodi caputio quadrato à ſe proijciendo, dicere potuiſſet, tali habitu induti incedunt ordinis ſpurij, ſive illegitimi, cùm ipſemet ſeraph. Pater eodem aliquando indutus incedere ſoleret? Cogitet quicumque ſanæ mentis exiſtit: Ergò neceſſariò fatendum eſt, ipſum de alio habere ſermonem, cumque ſeraphicus Pater quandoque quadrato, quandoque rotundo caputio vti ſoleret, vt Catalanus prætendit, ratus ex illis Legendæ verbis: *Detulit quoque quadratum caputium*, neceſſariò inferri: dicere liberè valeremus, caputiũ in Fr. Helia à S. Patre damnatũ fuiſſe rotundum: Nam tota lis, & controverſia ſuper duplici caputio, quo Minoritana Religio olim vſa eſt, ac hodie vtitur, eſt orta, id eſt, ſuper rotundo, & non rotundo; ſive quadrato, & piramidali.

Si ergo caputium in Fratre Helia damnatum, nullatenus ob attinctas nuper rationes, dici potest fuisse quadratum, & oblongum; à sufficienti partium enumeratione, sequitur necessariò fuisse rotundum. Videat ergò ipse, videant alij, vtrùm se, suo gladio confodiat, & an suismet argumentis habitum cum mozettato caputio illum esse ordini alienum, & illegitimorum magis, quàm legitimorum ad suiipsius damnationem, ostendat.

Cæterùm, quia nos absque vlla ambiguitate fatemur, habitum cum mozettato caputio ab exordio nascentis Religionis minimè fuisse in vsu, concedimusque Fratrem Heliam cum suis non alium, quàm quadratum & oblongum induisse caputium. Fatemur pariter, ac sine vlla contradictione concedimus, habitum à seraph. Patre proiectum, fuisse cum caputio quadrato, oblongo, & piramidali, tunicæ consuto absque scapulari, & mozetta, qualia sunt caputia, quibus hodie tota Capuccinorum Religio utitur: Sed quid inde? Sequitúrne, ergo ejusmodi caputium fuit Fratris Heliæ inventum, aut à Fratre Helia institutum, & in ordine primitùs introductum? Haudquaquam: Nam ejusmodi caputium quadratum, & oblongum, tunicæ consutum, ac piramidale, ipse S. Pater Franciscus verè detulit; & sicut verè detulit, ipse pariter verè instituit. Non ergò S. P. Franciscus damnare potuit in Fatre Helia, quod ipse, Deo Authore, instituit, & vsu comprobavit. Audio, Catalanum contendere, & in hoc puncto multùm insistere; quod nimirum longè diversa sint, quadratum, ac piramidale caputium: Verùm hoc jam superiùs satis exclusum est, ostendendo, omnes, non solùm exteros, verùm etiam ipsius

Reli-

Religionis Scriptores, cùm de quadrato caputio loquuntur, pro eodem in proposito accipere quadratum, & piramidale, quia forma ejusmodi quadrata, non potuit esse quadrata perfecta: Tum, quia caputium quadratum perfectum habens, nimirùm quatuor rectas, atque æquales lineas; sive angulos; nullum vsquam, aut in picturis, aut in Reliquiarijs apparuit: Tum, quia omnes ijdem scriptores satis explicant, cujus quadraturæ caputium existeret, dum addunt, caputium quadratū tantæ fuisse longitudinis, quod faciem operiret. Et S. Bonaventura præ alijs adhuc expressiùs significat, inquiens, tale caputium fuisse, vt nimis in capite profundari valeret: Itaque figura quadrata caputij, de qua Scriptores loquuntur, non potest esse quadrata perfecta, habens quatuor angulos æquales rectos; sed intelligitur de quadratura imperfecta, quæ trahit in longum. Quod verò Catalanus huic, vt audio, objicit interpretationi, nempè non esse necessarium, vt caputium ad faciem operiendam longum, aut piramidale existat: quia id quoque præstare potest rotundum; quippe cooperimentum faciei, juxta sancti Bonaventuræ doctrinam, moderatum esse debet; quod totum rotundum quoque commodè præstare valet, vt experientia patet in multis Religiosis; hoc, inquam, est omniquâque à veritate alienum.

Peto enim, vtrùm caputium rotundum, sit verè oblongum, an non? Si non, ergo non est caputium, de quo S. Bonaventura, ac alij Religionis scriptores loquuntur: omnes namque clarissimè testantur, non solùm fuisse longum, sed etiam tantæ longitudinis, quod faciem operiret. Si sic, contrà: Nam longum, sive longitudo est linea recta; rotundum verò, sive

rotunditas eſt linea omninò circularis, nullã habens longitudinem, prout longitudo accipitur in præſenti: Quod addo ad cavendã æquivocationem,& tergiverſationẽ: Cùm enim figura circularis plena, ſit verè quantitas, neceſſariò habet partẽ extra partem; Atq; adeò aliquâ conſtat longitudine, & latitudine, vt patet. Vnde ab vna parte circuli poteſt linea trahi ad alteram, quaſi per longum: Et ab altero ejuſdem circuli latere, poteſt alia linea ad alterum latus duci, quaſi per latum: Et rurſum à medio circuli puncto, æquales lineæ ad circuli circunferentiã trahi poſſunt, atque ſub hoc ſenſu conceditur, caputium rotundum ſuâ conſtare longitudine, ac latitudine. Quod autem iſtiuſmodi longitudo ea non ſit, de qua Religionis Scriptores, præſertim verò S. Bonaventura loquuntur; inde clariſſimè liquet, quod non de longitudine, ac latitudine, quâ caputiũ conſtat, vt caput operiat; ſed de alia longitudine, ad faciem ſimul cum capite cooperiendam, ſive ad profundandum caputium in capite neceſſariò requiſita, quæ longitudo addita rotunditati, trahit ipſam rotunditatem ad formam, ſive figuram, non ſimpliciter oblongam, cujuſmodi eſt longitudo lineæ: ſed ad longitudinem, & latitudinem, magis verò ad longitudinem; Atque ita tandem ad figuram quadratam, non perfectam, ſed ſemiquadratam, & imperfectam. Peto præterea, vtrùm rotundum caputium, non ſolùm ſit oblongum, ita vt caput, & faciẽ moderatè operiat; verùm etiam tantæ longitudinis, vt nimis in capite profundari ac proindè etiam immoderatè ipſam faciem obtegere queat, ſi non poteſt, ergo caputium rotundum eſt ordini alienum, nunquam ſeraphico Patri acceptum, ſed potiùs damnatum, &c. Si verò poteſt, ergò Catalanus dicendo, caputium

putium rotundum moderatè vt S. Bonaventura præſcribit, faciem operire valere ; Ac proinde piramidale ad id minimè neceſſarium exiſtere; non ſatisfacit ſancto Bonaventuræ aienti, caputium in publico abſque rationabili cauſa ad hypocriſis notam cavendã, non eſſe nimis profundandum in capite: poſſe tamẽ, tam in publico, quàm in ſecreto, ad deferentis libitũ profundari. Dicere ergo debuit, rotundum caputium, non ſolùm poſſe faciem moderatè obtegere, verùm etiam immoderatè: Id autem dicere non eſt auſus, aut certè artificiosè ſubticuit, quia nimis clarum eſſe perſpexit, rotundum caputium tale minimè eſſe, vt faciem immoderatè obtegere valeat: optimè ergò Authores aientes caputium à S. Patre Frãciſco delatũ fuiſſe ſimul quadratum, & longum; ita vt faciem cooperire valeret, pro eodem accipiunt quadratum, & piramidale: Ita expreſſiſſimè Wadingus, qui non eſt ſibi ipſi in hac parte, ut Catalanus prætendit, contrarius : Eſſet quidem ſibi contrarius, ſicut & cæteri omnes Scriptores, ſi quadratum acciperent pro quadrato perfecto: Imò eſſent falſarij: nullâ enim ratione probari poteſt S. P. Franciſcum quadratum perfectum detuliſſe caputium, quatuor ſcilicet angulos habens ęquales, & rectos. Cùm igitur clariſſimè pateat, caputium à ſeraph. Patre delatum fuiſſe quadratum, clariſſimè etiam pateat, ejuſmodi caputium non poſſe eſſe rotundum: quia rotundum, licet faciem decenter, & moderatè, vt S. Bonaventura in publico faciendum eſſe admonet, cooperire queat: Non tamen poteſt immoderatè, ſequitur evidentiſſimè, caputiũ, quod ab initio Religionis vſq; ad tempora S. Bonaventuræ in ordine cõmuniter deferebatur, piramidale, ſive quadratum imperfectum, nullatenùs verò rotundũ fuiſſe:

Veriſsi-

Verissimamque propterea esse Boverij, Coriolani, & aliorum sententiam, cui etiam Catalanus aliquando subscribit, S. Bonaventuram Authorem caputij rotundi minimè fuisse. Quod verò idem Catalanus adiecit, non potuisse S. Bonaventuram tale rotundum caputium instituere: quia jam à sancto Patre fuerat institutum, est omninò à veritate alienum: Nam tale S. Franciscus instituit, quale detulit: detulit verò quadratum modo exposito, vt est de mente omnium. Ergo, &c. Nos quidem viritim affirmare valemus, non potuisse S. Bonaventuram quadratum instituere caputium, quia jam fuerat institutum, & in ordine vsque ad sua tempora communiter delatum, quam institutionem idem S. Doctor ratam habens, sive approbans, & confirmans, docuit specialiter, qualiter ejusmodi caputium deferendum esset, inquiens, ita debere in publico aptari, vt caput, non faciem operiat, &c. Quare esto nulla ratio ex his, quas affert Boverius, hanc opinionem, nempè Sanctum Bonaventuram non immutasse piramidale caputium, certam, aut probabilem redderet, vt aliqui, in quibus ipse quoque Catalanus, prætendunt, hæc vna ex verbis ejusdem sancti Doctoris expressis certissimam facit. Vnde ad caput obiectionis redeundo; negatur absolutè, caputium piramidale esse illud à sancto Patre Francisco in Fratre Helia damnatum, &c. Quin potiùs esse ab ipso seraphico Patre institutum, divo Antonio, ac cæteris omnibus seraphici Patris legitimis filijs, ac sectatoribus, vsque ad tempora sancti Bonaventuræ inclusivè sanctificatum, & consecratum.

Dices, in primis negari non posse, quin Fr. Helias aliquam in ordine inducere voluerit scissuram: Nam vt habetur in firmamen-

mamento trium ordinum, Innocentius IV. ſciſſuræ ordinis per Fratrem Heliam ſuſcitatæ compatiens, iuſſit congregari Generale capitulum, in quo cognitâ Fratris Heliæ fraude, eundem non ſolùm privavit officio; verùm etiam præcepit, quod nullus de cætero eum ſequeretur. Item negari non poſſe, quin ejuſmodi ſciſſura hanc novi habitus formam in ordine, Fratre Heliâ agente, induxerit, Cùm Wadingus relato Mariano antiquo ordinis ſcriptore, apertè dicat, fratrē Heliam oblongi, ac piramidalis caputij fuiſſe Authorem, & Inſtitutorem, prout pariter aſſerunt Franciſcanum Martyrologium, & Speculum ſancti Franciſci ab eodem citatum. Denique negari minimè valere, quin frater Helias piramidale caputium induerit. Ergò ejuſdem caputij Inſtitutor, ac Inventor fuit.

Non eſt, quod Catalanus laboret, vt oſtendat, Fratrem Heliam piramidale caputium induiſſe, habitumq́ue illum cum contemptu à ſeraphico Patre abiectum piramidale caputium habuiſſe, &c. Hæc enim libenter, imò & libentiſſimè concedimus; ſed aliud eſt dicere habitum Fratris Heliæ, quantum ad formam caputij piramidalem, non mozettatum, & vt verbo dicam, Capuccinum fuiſſe, aliud, ejuſmodi caputium à Fratre Helia fuiſſe inſtitutum, ſive inventum. Quare conceſſo antecedente, nempè ejuſmodi habitum verè fuiſſe Capuccinum, negatur conſequentia, id eſt, Ergò à Fratre Helia fuit inſtitutus, & inventus: Non enim omnis, qui aliquem induit habitum, eundem inſtituit, & invenit: Nam & ſanctus Bonaventura tale caputium induit, quod poſſet ita profundari in capite, vt faciem operiret: Nec tamen illud inſtituit: Imò ex hoc validiſſimum ducitur argumentum; piramidale capu-

tium à seraph. Patre fuisse institutum: Atque adeò à fratre Helia, & cæteris omnibus indutum, ac delatum : Nam familiare est, Fundatores Religionum habitus formam instituere, quam subinde filij, ac sectatores deferunt, nec præsumitur immutatio, nisi probetur.

Dices, filios legitimos Patrem imitari: Sed fr. Helias præcisè ob habitum dissimilem, illegitimi notam à sancto Patre promeruit. Respondeo vere fuisse dissimilem, non in forma caputij piramidalis, tunicæ consuti, &c. sed in pretiositate, & cæteris, quæ militant contra Regulam: caputium enim piramidale, dato etiam quod fuisset à fratre Helia inventum, non faceret eum illegitimum: tum quia (loquor ad hominem) cùm nulla habitus forma à Seraphico Patre fuerit præscripta, sed superiorum iudicio, & arbitrio commissa. Quam culpam perpetrasset frater Helias, Vicarij Generalis officio fungens, hanc ordini (absente præsertim seraphico Patre) formam præscribens, ut propterea illegitimi nomine dignus haberetur: Tum, quia (esto seraph. Pater formam habitus præscripsisset) nulla, aut ut summum venialis culpa foret (loquor rursus ad hominem) formam præscriptam immutare: Nullus est autem, qui ignoret, Neminem ex sola culpa veniali, illegitimum ordinis posse censeri; non ergo S. P. Franciscus fratris Heliæ habitum, &c. propter piramidalem formam abiecit, in qua vix venialis culpa esse potuit, sed propter alias causas in Chronicis expressas, illis verbis, *Frate Helia si fece una tonica di panno fino, colle maniche longhe, è larghe, &c.* Hæ sunt expressæ abiectionis illius habitus causæ. Non ergò sanctus Pater Franciscus habitum illum abiecit, quia piramidale ca-

putium haberet, prout verè habuisse fatemur. Aliàs enim, si hæc illius abiectionis causa fuisset, debuerat utique hæc in Chronicis exprimi, dicendo. *Frate Helia si fece vn habito col caputio piramidato acuzzo, &c.* Quod cùm non modò non exprimatur, sed neque tacitè indicetur: Ex altera verò parte exprimatur panni pretiositas, dum dicitur. *Si fece frate Helia un habito di panno fino, &c.* Vix capio, quemadmodum vir prudens illius abiectionis causam in piramidale caputium referre audeat, nisi quia ejusmodi caputium est sibi invisum, & infestum. Nec refert, quod in ijsdem Chronicis adijciatur sanctum Patrē Franciscum, postquam illum Fratris Heliæ habitum induit, direxisse caputium, plicas fecisse in habitu, manicas reduplicasse, &c. Ex hoc enim S.P. Franciscus fastum, & vanitatem in habitu, & caputio aptando sugillare voluit, quemadmodum S. Bonaventura in nimia ejusdem caputij profundatione, singularitatem, & hypocrisim taxat.

Sed enim, cùm novæ habitus formæ inventio sit res facti, ac insuper quædam immutatio: Res autem facti, minùs immutatio præsumatur, nisi probetur. Videamus, quæso quibus Catalanus argumentis, hanc novam caputij formā (veterem à sancto Patre Francisco institutam immutando) fratrē Heliam invenisse, ac instituisse ostendat, præcipuum. ut audio, Mariani, & Wadingi authoritate nititur: Sed quid dicat Marianus & Wadingus, ex ipso Catalano audiamus: *Il VVadingo col Mariano, dice, che ritrovandosi S. Francisco in Egitto, Frate Helia allongasse il Capuccio del habito, piu de quello era stato introdotto nell' ordine, da san Francesco.* Hæc verba, si benè perpendantur, faciunt S. P. Franciscum institutorem formæ caputij oblongi in ordine:

fratrem verò Heliam non Institutorem, sive Inventorem, sed vt summum additionatorem: Nam clarissimè id sonant verba illa, *allongar il capuccio piu di quello era stato introdotto nell' ordine da S. Francesco.* Frater ergo Helias etiam ex testimonio Mariani, & Wadingi, non Author, aut inventor caputij oblongi, sed S. P. Franciscus: frater verò Helias, vt summum, additor fuit. Differunt autem vtique invenire, & addere, juxta illud, *facile est inventis addere.* Quod si Catalanus aliter alibi Mariani, & Wadingi, verba refert: Nec sibi ipsi constat, nec alijs fidem servat, vt legenti faciliùs patere poterit. Quare cautè legendus est, vbi ait, *Il VVadingo va dicendo col Mariano, che Fra Helia introducesse nell' ordine quadrato capuccio oblongo in tempo, che S. Francesco dimorò in Egitto.* Nam Marianus, non dicit, fratrem Heliam introduxisse caputium oblongum, sed oblongasse magis, quàm fuerat à sancto Francisco institutum, Nec aliud dicit, aut dicere potest Wadingus, Speculum S. Francisci; aut Martyrologium Franciscanum: qui omnes Marianum sequuntur. *Apparuit* (inquit Wadingus) *publicè Fr. Helias in habitu cultiori, & pretiosiori, longiorisque caputij, ampliarum manicarum, &c.* Sin verò quæras, quantum longitudinis addiderit Fr. Helias ad caputium oblongum à S. Patre Francisco institutum, nullus est, qui in specie significet, aut significare valeat. Et certè si caputium sancti Francisci tantæ erat longitudinis, quod profundatum faciem etiam indecenter operiret, vt signanter expressit sanctus Bonaventura, vtique modicum quid addere potuit: Cumque modicum pro nihilo in Iure habeatur, & magis, ac minùs, juxta tritam Philosophiam, speciem non variet, stat semper firmum, eandem caputij formam à tempore sancti

Fran-

Francisci vsque ad S. Bonaventuram, integram, & illibatam in substantia permansisse: Esto etiam aliqua in accidenti, extendendo tantisper caputium, à fr. Helia facta fuisset. Itaque primum Catalani argumentum à Mariani, & aliorum authoritate ductum ejusdem intentum minimè probat.

Secundum argumentũ erat, scissuras, & fraudes in fr. Helia à Pontifice cognitas, fuisse ad conservandum habitũ piramidalẽ, quem instituerat. cæterum id esse falsissimum, & proprio Marte excogitatum; Inde clarissimè suadetur: Nam propter modicam illam habitus scissuram vix venialiter culpabilem, summus Pontifex Fr. Heliam ab officio minimè deposuisset: Deposuit autem, vt est certissimum: Ergò non propter scissuram habitus, verùm propter scissuram observantiæ, quæ erat ordini pessima. Concluditur ergò eandem causam, ob quam S. Franciscus habitum Fr. Heliæ à se abiecit, non fuisse; imò nec esse potuisse piramidale caputium, sed panni pretiositatem, &c. In Chronicis, verbis illis expressa. *Si fece Frate Helia una tonica di panno fino, colle maniche longhe, è larghe. Il che sapendo il santo, &c.* Hic, vt apparet, ne verbum quidem de piramidali caputio habetur. Quomodo ergo verè à quopiam veritatis amatore affirmari potest, causam, ob quam S. P. Franciscus habitum illum abiecit, fuisse piramidale caputium & non magis panni pretiositatem, & alia ibidem expressa?

Hinc facilis ad reliquas obiectionis partes patere potest responsio: Quod enim dicitur in Fr. Michaële à Cesena, Fratricellis, & alijs à Ioan. XXII. piramidale caputiũ fuisse damnatũ, facilè eliditur: Neque enim habitus, sed personæ fuerunt damnatæ per se: habitus verò, vt summum, per accidens: Non quia in

habitu tali, aut ejus delatione malum esset: sed quia sub illa sancta habitus forma mali se contegebant. Est enim valde usitatum lupis, ad oves capiendas, ovinam pellem induere, juxta illud: *Cavete ab his, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces, &c.* Quia ergò frat. Michaël à Cesena, & ejus sectatores reipsâ, & fructibus, Franciscani gregis oves minimè erant, quin potiùs lupi, atque instar luporum sub ovina Franciscani habitus pelle, ad decipiendos homines, se cōtegere volebant: Idcircò jure merito, non solùm à Ioan. XXII. damnati fuêre: verùm etiam sub excommunicationis sententia ad illum habitum deponendum constricti. Patet hæc veritas expressè ex ipsis Ioannis XXII. verbis, quæ sic habent: *Et ut ipsorum error, veritas: & impietas, Religio putaretur: temeritate propriâ, quosdam habitus cum parvis caputijs, curtos, strictos, &c.* Neque hoc est novum in ejusmodi hominibus, imò satis commune, & usitatum: Arnaldus enim de Brixia, ut ex Othone Frigisensi scribit Coriolanus in compendio Conciliorum, veniens de Gallia, ad homines decipiendos, Religiosum habitum induebat. Quemadmodum autem, ut præclarè sanctus Augustinus admonet, oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant: Ita piramidale Sancti Patris Francisci caputium non debet reprobari, eò quia plures in Religione, non oves, sed lupi, illo se contexisse legantur. Vnde notandum est, summum Pontificem non prohibuisse ejusmodi delationem caputij, nisi his, qui erant, aut hæresi infecti, aut schismati obnoxij, aut Ecclesiæ, & Religioni infesti, & contumaces: Ac proinde lupi, non oves, taliquè propterea caputio, & habitu indigni. Et si quidem

quidem verum est quod ex Tossignano Catalanus commendat, sanctū Bonaventuram in Capitulo Narbonensi, instituisse habitum, & caputium, quo Patres Conventuales utuntur, qui posteà à Ioanne XXII. fuit approbatus, &c. Sequitur evidentissimè, Ioannem XXII. non ignorasse, imò scivisse aliam caputij formam jam anteà fuisse in usu: hæc autem utique fuit prima; & non alia, quàm piramidalis, sive quadrata, & oblonga. Vnde ipse hanc secundam à sancto Bonaventura introductam approbavit. Cæterùm nec ipse Catalanus in hac Tossignani, & aliorum plurimorum opinione, quam hic tantoperè commendat, sistit: Nam habitum, quo Patres Conventuales utuntur, non à sancto Bonaventura, sed à sancto Francisco institutum esse contendit. Sed quidquid sit de hoc, sufficit, Ioannem XXII. Non eâ ratione prohibuisse Fraticellis, & alijs piramidale caputium, quia esset ordini antiquo alienum: sed quia cùm illi essent lupi, ovinâ se veste obtegere volebant.

Obijcit 3.° magis ad propositum, caputium mozettatum, & rotundum, verè illud esse à seraphico Patre institutum: quia duo summi Pontifices, Sixtus IV. & V. ita testantur: quorum testimonium cæterorum omnium argumentorum vim, ac potestatem superat, & enervat.

Huic obiectioni ut occurramus, duo ab ipso Catalano sunt familiariter requirenda. Primum est, utrùm præfati summi Pontifices, habitu sancti Patris Francisci assumpto, ejusdem seraphici Patris pariter Regulam, ac institutum acceperint, An non? Respondebit utique affirmativè, Aliàs fuissent Franciscani solius habitus, non professionis, & instituti:

Atque

Atque adeò verè minimè Franciscani: solus enim habitus non facit Monachum. Secundũ ergo quod ab eodem exquiritur, est vtrùm institutum, ac Regulam, quam inter RR. PP. Conventuales, præfati summi Pontifices assumpserunt, Aut solemniter professi sunt, fuerit Regula ad litteram, prout à seraph. Patre, Deo dictante, fuit instituta. An iuxta summorum Pontificum privilegia modificata? Respondebit planè: Non esse regulam secundùm formam ab ipso seraphico Patre præscriptam, sed secundùm privilegia summorum Pontificum modificatam: hanc enim sic modificatam, olim professi sunt RR. PP. Conventuales, ac hodie pariter profitentur; ut ex ipsis Constitutionibus Vrbanis liquet. Hisce duobus solidissimis responsis, Catalani obiectio, quæ eidem maxima erat, funditus evertitur. Duo summi Pontifices, Seraphici Patris Regulam se professos esse testantur; Ergo Regula, quam professi sunt, est illamet ad litteram à Seraphico Patre instituta, nego consequentiam; Ergo est Regula in aliquibus, summorum Pontificum authoritate modificata, & immutata, concedo consequentiam. similiter duo summi Pontifices se habitum S. Patris Francisci asumpsisse testati sunt, & asumpserunt, concedo antecedens; Ergo habitus, quē præfati summi Pontifices asumpserunt, est illemet, in nullo immutatus à seraph. Patre institutus, nego omnino consequentiam. Vides clarissimè, quomodo argumentum non magis probet, habitum asumptum ab hisce summis Pontificibus esse illum à seraph. Patre institutum, quam Regulam ab eisdem acceptam; sed non probat, nisi ejusmodi Regulam esse regulam uno modo, id est, modificatã; Ergo pariter non probat, nisi habitum esse habitum fran-

ciſcanum modificatum,&eò magis,quo habitus RR.PP.Conventualium in multis alijs modificatus eſſe dignoſcitur. ubinam enim ſanctus Pater Franciſcus calceos, calceamenta, pileum ad induendos ſuos fratres inſtituiſſe reperitur? Ergò habitus,quem induerunt SS. Pontifices, eſt habitus ſancti Franciſci, modificatus, concedo conſequentiam: Nam quemadmodum Patres Conventuales ad præſcriptum privilegiorum, Regulam ſancti Franciſci profitentes, & obſervantes veri ſeraphicæ Regulæ Profeſſores ſunt. Ita juxta eorundem privilegiorum, aut legitimæ conſuetudinis præſcriptum, ſeraphicum habitum induentes; veri ſeraphici habitus delatores exiſtunt;& miror planè, cum incomparabiliter longè præſtantior ſit litteralis Regulæ obſervantia, litterali, ut ita dicam,habitu, quem exteriùs gerimus, quemadmodum RR. PP. Conventuales ſibi ad injuriam adſcribere valeant, quod aliquis habitum,quem ipſi hodie deferunt, nō eſſe illum ad litteram à ſeraphico Patre inſtitutum; Atqui ex rationabili cauſa modificatum,affirmet;quandoquidem nullatenùs ſibi ad ignominiā, dedecus, aut iniuriam tribuant,ſi quis regulam,quam ipſi profitentur, non eſſe litteraliter illam à ſeraphico Patre præſcriptam; atqui per privilegia modificatam obijciat; Nam non propterea deſinunt verum ſeraphicæ Religionis habitum induere, quia modificatum, Quemadmodum non deſinunt eſſe veri ſeraphicæ Regulæ profeſſores, quia eandem non litteralem, ſed modificatam profitentur. Hæc igitur eſt, non ſolùm ſolida propoſitę obiectionis reſponſio, ſed etiam clara totiùs controverſiæ reſolutio, & reſoluta dilucidatio: Nam ſicut duplex eſt Regulæ obſervantia, litteralis una

modificata altera: ita duplex ſeraphici habitus forma: una litteralis, altera modificata: Ac denique duplex Franciſcanorum Congregatio: una illorum, qui Regulam, & habitum, prout à Seraphico Patre fuere præſcripta, litteraliter ſervant: Altera eorum, qui eandem Regulam, & habitum modificatè cuſtodiunt. Vnde quidam ad rem noſtram ſcriptum perbellè reliquit. Seraphica Religio eſt illa fortis, ſapientis mulier; Domeſtici ipſius erunt Religioſi, qui in ejus gremio varijs nominibus, ac diverſis ſanctis inſtituti, tamquam in nido requieſcunt. Convenientiſſimum igitur erat, ut hæc mulier utraque habitus forma, mozettati nimirùm, & non mozettati; Rotundi, ac piramidalis, tamquam vario amictu induta à dextris ſummi Regis appareret, ut de illa etiam jure merito affirmari valeret: *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate*: Nam & domeſtici ejus mulieris veſtiti ſunt duplicibus: Ex hâc, inquam, diſtinctione omnis inter utramque Congregationem lis, & litis occaſio amputari poteſt, & debet: quia ſic ſalva utrique ſua ſunt jura: Nec Reverendi Patres Conventuales plus de vera ſeraphici habitus forma, quàm de vera ſeraphicæ Regulæ obſervantia prætendere poſſunt, vel debent: Aut ſaltem non eſt, quod ſibi injuriæ, ſive dedecori adſcribant, quod aliquis habitum, quem ipſi deferunt, eſſe quidem habitum Franciſcanum, modificatum tamen, quemadmodum & Regulam, quam profitentur aſſeveret: quippe nulla in propoſito maior eſt ratio de habitu, quàm de Regula: vnde & idem Sixtus V. in ſua Capella, quæ Sixti appellatur, in Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris de urbe, ipſius juſſu, ædificata, voluit appa-

rere

rere ſtatuam ſancti Patris Franciſci, habitu Capuccino, hoc eſt, caputio tunicæ conſuto, & non mozettato indutam; quo ſatis expreſſit, ſibi notiſſimum fuiſſe habitum, quem inter Reverendos Patres Conventuales aſſumpſit, ita eſſe habitum Franciſcanum, ut non ſit ille à ſancto Patre Franciſco ad litteram inſtitutus, ſed modificatus: Aliàs utique non permiſiſſet, ſtatuam ejuſdem ſeraphici Patris in illa celeberrima Capella repoſitam, alio habitu, quàm ipſe detulit, dum inter Reverendos Patres Conventuales Religioſam vitam egit, apparere indutam: Cenſuit ergò (ſicut verè ita eſt) utrumque habitum, Conventualem ſcilicet, & Capuccinum, eſſe Franciſcanum: hunc quidem litteralem, illum verò modificatum.

Dicent, non eſſe ita neceſſariò connexam, litteralem Regulæ obſervantiam, cum litterali habitus forma, ut una ſine altera, nequaquam eſſe valeat, Concedo: plerumque tamen, cum litterali Regulæ obſervantia, litteralis etiam habitus forma concurrit, ut certiſſimum eſt, pro tempore naſcentis Religionis: Atque in hunc ſenſum Bonitus Combaſſonius Capuccinos ſimul utramque Regulæ, & habitus formam ordini reſtituiſſe aſſeverat, de quo plura in conſequentibus.

Obijcit itaque 4.° Vix imaginabile eſſe, quomodo Deus permittere potuerit piramidale caputiū tāto tempore fuiſſe in ordine perditum; aut ab ordine exulaſſe: permiſiſſet autem; ſi piramidale caputium verè illud eſſet à Seraphico Patre inſtitutum: cùm præſertim Deus puram Regulæ obſervantiam,

(si quando in ordine defecisse visa est) diu iacere minimè permiserit, ut patet, tum ex Bulla Leonis X. tum ex promissione seraphico Patri super hac re specialiter facta, de qua satis superiùs. Cur ergò tanto tempore Deus primævam seraphici habitus formam in ordine perditam permittere debuit,& non potiùs cum ipsa pura Regulæ observantia, puram etiam habitus formam reformare? Sive enim dicamus defuisse à tempore sancti Bonaventuræ, sive à diebus Ioannis XXII. vel Vrbani VI. sive ab anno 1430. Cùm non fuerit restituta perfectè, & integrè, nisi ab anno 1525. quandò Capuccinorum Reformatio cœpit; Iam ut minimum per integrum centesimum, & amplius; forma prædicta ab ordine relegata fuisset. Deinde quæ maior ratio à Capuccinis afferri potest, ob quam à fratre Matthæo vera habitus forma, cum Regulæ Reformatione fuerit ordini restituta? Cur non potiùs, à sancto Bernardino Senensi, Ioanne de Capistrano,& alijs ejusmodi viris sanctissimis, perfectisque Regulę Reformatoribus? Denique si à fratre Matthęo divino consilio reassumpta,cur tandem ab eodem dimissa?

Vt huic obiectioni satisfaciamus, duo supponenda sunt. Primum est, seraph. Patri promissum quidem à Christo fuisse, nunquam puram Regulæ observantiam in ordine omninò defuturam, modo superiùs exposito: Nunquam verò, primævam habitus formam ab ordine minimè debere deficere; Ratio differentiæ ea potest afferri: quia non est tanti momenti habitus forma, ac Regulæ observantia. Secundum est habitum seraphicæ Religionis, non esse melioris conditionis, quàm ipsa Crucifixi IESU Crux extiterit; Est quidem

dem aliqua proportio inter habitum Franciſcanum, & Chriſti IESU Crucem: Nam Franciſcanus habitus inſtar Crucis eſt, ut ſuperiùs omnium ferè ſcriptorum teſtimonio comprobavimus. Vnde Religioſus Franciſcanus, Franciſcano habitu indutus, cruciformis, ſive Cruci affixus dicitur. Quid ergò mirum, ſi Deus per annos centum, & ampliùs habitum ab ordine perditum eſſe permiſit, qui ipſam benedictiſſimam IESV Chriſti filij ejus Crucem, ſemel ex Calvariæ Monte in Perſidem aſportari per centum circiter, & octoginta annos à populo Chriſtiano, & tota Dei Eccleſia abſconditam, & ſuo modo perditam eſſe voluit? O! quàm bene ſanctus Papa Greg. homil. 26. in Euangelio, Chriſtianos admonet, Redemptoris noſtri opera, quæ ex ſemetipſis comprehendi nequaquam poſſunt, ex alijs ejus operibus eſſe penſanda, ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora; Certè longè mirabilius eſt, veram, ac realem Chriſti Crucem tanto tempore à Chriſtianorum Regnis in Perſidem eſſe relegatam, ac poſt centum circiter, & octoginta annos à ſancta Helena fuiſſe inventam (ut ex feſto, & hiſtoria Inventionis ſanctæ Crucis clarè colligitur) quam Franciſcani habitus formam, quæ Crucem repræſentat, centum, & plus, annis à Franciſcana Religione fuiſſe alienam, ac poſt illud tempus à fratre Matthæo, licet aliàs fortaſsè inferioris notæ, inferioris virtutis, inferioris meriti, quàm fuerint ſanctus Bernardinus, Beatus Ioannes de Capiſtrano, & alij ejuſmodi; eidem ordini reſtitutam fuiſſe, cum tempore ſanctæ Helenæ, & antè, alij profectò ſanctiores fuerint, quibus tamen abſconditam Chriſti Crucem Deus re-

velare noluit. Cauſa verò, cur Deus ſanctæ Helenæ potiùs, quàm alijs revelare, & cur magis illi tempori, quàm alteri inventionem ſanctæ Crucis referre, ac reſervare voluerit; Ipſe ſolus novit. Ita planè, cur potiùs à Fratre Matthæo, quàm à ſancto Bernardino habitus formam reſtitui; ac demùm Capuccinorum tempori potiùs reſervari diſpenſârit; Ipſe ſolus novit. Non eſt ergò, aut inimaginabile, aut incredibile, primam Franciſcani habitus formam tanto tempore Deum abſconditam eſſe voluiſſe. Non eſt etiam aliquod inconveniens, prædictam caputij formam à fratre Matthæo, divino conſilio, fuiſſe inventam, & per aliquod tempus ab eodem delatam: poſteà verò ab eodem fuiſſe dimiſſam: quia non tam ſibi, quàm ordini, Deo operante, invenerat.

Obijcit 5.° contra teſtes, quam obiectionem, ut faciliùs percipiamus, ac ſolidiùs elidamus, noſſe decet ex communi Iuriſtarum doctrina, bifariè poſſe teſtium exceptionem intentari: Aut ſcilicet excipiendo contra perſonas, quod nimirum ſint inhabiles, &c. aut contra depoſitiones & dicta, quod ſcilicet falſa deponant; aut inveriſimilia; Aut parum credibilia: vel etiam, quia fortaſsè teſtes in ſuis depoſitionibus variant; ſibi invicē adverſantur; ſunt ſingulares; ambigui, &c.

Rurſum contra perſonas poteſt excipi, aut inhabilitas ipſius perſonæ deponentis, ut quod ſit inimicus, aut vice verſâ nimis amicus, &c. aut perſonæ conditio, & qualitas; ut ſi quis negaret perſonam teſtis eſse, talem qualem, pars, aut judex illam facit. Vt v. gr. Si pars, faciat Conventualem, &c. Et opponatur, quod non ſit Conventualis. his ſuppoſitis,

facilè

facilè, ut dixi, præſens obiectio elidetur.

In primis igitur obijcit, ut audio, contra perſonam Boniti Combaſſonij, quem Capuccini Conventualem faciunt, ſed quantum hęc oppoſitio ponderis habeat, jam ſuperius ſatis oſtenſum eſt; illud nihilominùs hoc loco ad magis enervandã hujus Authoris oppoſitionem, adijciendum cenſeo, ignorantiã quam Catalanus ſupponit, tam, quantum ad libri impreſſionem, quàm, quantum ad Authoris profeſſionem, eſſe omninò voluntariam: Nam ipſemet utique ad manum habuit librum, quem nuper admodum R. P. Lucas Wadingus de ſcriptoribus ſeraphicæ Religionis, in lucem edidit, in quo propterea cernere potuit, ſi voluit, cujus profeſſionis Bonitus Combaſſonius fuerit, quoſque libros in lucem ediderit, inter quos ſignanter liber, quem Boverius citat, à Patre Wadingo recenſetur. Cùm ergo conſtet ex teſtimonio Patris Wadingi, & librum ſæpiùs fuiſſe impreſſum, & Authorem eſſe ex ordine Reverendorum Patrum Conventualium, negari non poteſt, quin hoc teſtimonium, attentâ perſonæ profeſſione, ac dignitate: Eſt enim profeſſione, Conventualis; dignitate, Magiſter ſacræ Theologiæ, maximam ad hanc veritatem aſtruendam, & litem terminandam vim, habeat: præſertim attentâ etiam libri appobatione per quatuor R R. Patres Conventuales factâ: Ita ut non unus, ſed quinque ex ordine PP. Conventualium approbatiſſimi hujuſce veritatis teſtes in uno contextu habeantur. Cum ergò oppoſitio contra perſonã nullius planè momenti exiſtat, Videamus, quid contra ipſius depoſitionem adducatur. In primis, ut audio, hujus Authoris depoſitionem Capuccinis multum ſuffragari aſſeverat; Addit nihilo-

nihilominùs,sic ferè ad hominẽ,in toto infirmari valere. Aiunt Capuccini,suum fratrem Vitalem,non veritatem,imò expressum mendacium edicere,cùm nimirum affirmet S. Bonaventuram in capitulo Narbonensi immutasse caputium. Ita ergò PP. Conventuales de isto suo Authore dicere possunt, ipsum nempe in illa sua depositione esse mendacem. Præsertim cum depositio, alia contineat à veritate aliena, ut cum Capuccinos utramque formam, observantiæ nimirum, & habitus, jam multo tempore perditam, antiquo ordini restituisse asseverat: Quomodo enim dicere potest hic Author, aut alius quicumque, Capuccinos Religiosæ observantiæ formam Franciscano ordini restituisse, dum ordo nunquam eâ caruit? Nec est, quod contrarium sustinere quis velit: Nam clara sunt vaticinia sancti Patris Francisci; perspicua Authorum testimonia, aientium, Reformationes in ordine, ante Capuccinorum tempora extitisse; somniat ergò Bonitus, inquiens, Capuccinos ordini Franciscano religiosam observantiam restituisse. Cur, quæso, potiùs Capuccini, quàm alij Reformatores; & si cæteræ reformationes Capuccinam præcesserunt? quomodo viritim dici potest, observantiam ab ordine abeuntem, Capuccinorum tempore, & opera, ad ordinem reditum habuisse. Cum ergò Bonitus in alijs falsus existat, in hoc pariter falsus esse præsumitur.

Eodem ferè modo obijcit contra depositionem Patris Wadingi;nam cùm P. Wadingus in ea sententia persistat,mutationem habitus in ordine à S. Bonaventura factam fuisse,ista verò

Wadin-

Wadingi opinio tamquam falsa ab ipsis Capuccinis reprobetur; dato etiam, quod alibi ad favorem Capuccinorum deponeret, quomodo Capuccini prætendere possunt, veridicum esse Patrem Wadingum, dum falsarij notam, quantum ad tempus, & auctorem mutationis formæ eidem impingunt? Regula legalis eosdem coarguit: *Semel malus, semper præsumitur malus in eodem genere mali*: Sic ferè, ut audio, contra Wadingi depositionem, Catalanus discurrit. Sed, ut hic gressum tantisper sistam (non enim possum mentis impetũ cohibere,) & fierine potest, ut vir sapiens, & cordatus, talia argumenta confingat? ad quid, quæso, legalis Regula, semel malus, &c. Testis quidem in uno falsa deponens ex malitia, aut dolo, in cæteris quoque præsumitur falsa deponere, & semel malus, semper præsumitur malus, in eodem genere mali; sed quænam, quæso, malitia in historiographo, dato etiam, quod in aliquo historiali facto veritatem minimè attingat? Legales Regulæ, Iurisprudentiæ terminos, sive scholas non egrediuntur; ideò neque historiographos, neq; liberalium artium, ac scientiarum Magistros, & Professores, quantum ad historias texendas spectat, tenent; pauperes earundem artium ac scientiarum Professores, si ex eo, quod semel aliquam opinionem falsam protulerunt, inferre liceret, ergò semper falsa dicere præsumuntur: pauperes omnes historiographi, omnis enim historia falsa existeret, nihilq; veri in aliquo homine, aut humana esset historia; quia vix aliquẽ reperies, qui vel semel à veritate aberrans, in falsum non impegerit, juxtà illud: *Omnis homo mendax*: Quid plura? Pater Wadingus per te in eadem persistit opinione, nempe S. Bonav.^am^ in Narbonensi Capitulo antiquum Ordinis immutasse capu-

tium, peto nunc à te, Catalane; vtrùm Wadingus in hac ſua opinione veritatem dicat, an non? Reſpondebis utique negativè, nam tantum abeſt, ut S. Bon.[a] rotundum caputium inſtituerit, quod neq; per te inſtituere potuerit, ergò, per te Wadingus, in alijs quoque ſuis dictis, ſemper falſus eſſe præſumetur. Idem eodem modo de Toſsignano affirmo; Toſsignanus in ea perſiſtit opinione, te Catalane teſte, ſanctum, ſcilicet, Bonav.[am] in primo eius Capitulo, Narbonæ celebrato, habitū, & caputium, quo Patres Conventuales utuntur, inſtituiſſe; Ioan. verò XXII. approbaſſe, &c. Toſsignanus per te, in hoc non eſt veridicus, imò abſolutè falſus, ergò in alijs quoq; omnibus, falſus eſſe præſumitur: ergò ſubijcio ego, vanè, o Catalane Toſsignani & Wadingi teſtimoniū adducis; teſtimonium enim illorum per te in omnibus falſum eſſe præſumitur. Nec ignorantiæ beneficium potes prętendere; fateris enim Toſsignanum, & Wadingum ſemel falſos, ſive ut tu loqueris, malos, ac inſuper ſcis, & vis; ſemel malum, ſemper præſumi malum in eodem genere mali: Itaque objectio tota in Catalani caput convertitur; & ex hoc ipſo præciſè omne, & totum, quod in hoc ſuo libro, ſub prætextu certiorandi mundum de veritate, expoſuit, falſum eſſe præſumitur: non ſolùm, quia, quæ dicit, falſis, & à jure reprobatis, probat, aut probare nititur, teſtimonijs: verùm etiam, quia ipſe non ſemel, ſed pluries falſa expreſſa enarrat, ut ex dicendis conſtabit. Et hæc quidem ad totam hanc objectionem tollendam, ſufficerent.

Verùm, quia in rei veritate ubi de hiſtorijs texendis agitur, non valet argumentū: hiſtoriographus ſemel inventus eſt falſus, ergò, ſemper, & in tota hiſtoria pręſumitur falſus; quippe hiſto-

historiographus humano more, scribendo prout vidit, aut audivit, tenarrat; unde, si quando à vero aberrasse prætenditur, id, aut alijs probatis Auctoribus, aut probabilibus rationibus, debet ostendi: Quare respondetur in forma; Bonitus, & Wadingus in alijs falsum dixerunt, transeat antecedens: ergò, & in eo, quod aiunt, piramidale caputium fuisse à Seraphico Patre institutum; nego omninò consequentiam. Negari pariter potest, imò & debet antecedens, quantum ad illud, quod signanter de Bonito ait, ipsum nempe dicere falsa, in eo, quod Capuccinos, Franciscano Ordini formam Observantiæ restituisse asseverat; nam ita Capuccini restituerunt Observantiam Ordini, sicut restituerunt aliæ Reformationes; hæc quippè est natura Reformationis, ut scilicet formam deperditam reddat, ut ex ipso Reformationis nomine superiùs ostendimus; ubi etiam ad hoc propositum, præclarum Patris Gabriëlis Fabri, Ordinis RR. PP. Conventualium Procuratoris Generalis testimonium attulimus: si enim aliæ Reformationes, ut Catalanus concedit, restituerunt, cur non illa Capuccinorum? Cùm autem Bonitus Observantiæ formam per Capuccinos Ordini restitutam esse affirmat, non ita est intelligendus, prout Catalanus se intelligere ostendit (nam aliàs inepta esset, & à mente Boniti aliena talis interpretatio) quasi velit, Ordinem semel ab Observantia dilapsum, numquam ampliùs, nisi tempore, & operâ Capuccinorum ad primævam observantiam exurrexisse; cùm nemo ignoret, olim antè Capuccinos observantiæ formam Ordini restitutam fuisse à S. Bonav. Primum, deinde à S. Bernardino, & cæteris, ut patet ex Bulla Leonis: sed vult dicere, restitutam esse à

 Capuc-

Capuccinis reſpectivè, quod eſt veriſsimum; & quod ſubdit: *Gia molto tempo perduta*, non tam intelligitur de Obſervantiæ forma, quàm de forma habitus, quæ multis jam annis ab Ordine exulârat.

Objicit 2.° contrà teſtes, quod nimirum eorum major pars de quadrato, non de piramidali caputio deponant: Verùm hæc objectio ex dictis ſuperiùs in toto evanuit.

Objicit 3.° contrà illud, quod aliqui teſtes indicant, ex Regula nimirum deduci, caputium fuiſſe tunicæ conſutum, juxtà illud: *Habeant unicam tunicam cum caputio*, objicit, inquam contrà ejuſmodi interpretationem; quia terminus, *Cum*, non dicit neceſſariò ſuturam, &c. ſed & hæc objectio ſuperiùs clariſsimè fuit abacta.

Objicit 4.° contrà illud, quod ex D. Bonav. ipſius Conſtitutionibus, ac item Conſtitutionibus Farinerij, quæ omnes ferè eædem ſunt, ac ex alijs pluribus deponitur, caputium, ſcilicet tale eſſe, ut faciem operiat: Ait enim hoc non concludere, debere eſſe piramidale; quia etiam rotundum, faciem decenter, ut vult S. Bonav. operire poteſt; quæ etiam objectio convulſa eſt.

Objicit 5.° contrà omnes teſtes, alios teſtes validiores, ut ſunt, duo ſummi Pontifices, quorum auctoritas cæteris omnibus prævalere debet, atque adeò omnis præſumptio, ex alijs teſtibus reſultans, eliditur; eſt enim tritũ in Iure, præſumptionem validiorem, elidere invalidiorem; & hæc eſt ſumma omnium objectionum; unde loquens de ſcriptura Rev.mi Patris Felicis, quam tanti faciunt Capuccini; hæc ſcriptura, inquit, non habebit tantam firmitatem, ut contrà eam duorum ſummorum.

morum Pontificum testimonia prævalere non posint, & debeant; sed & hæc objectio jam superiùs fuit exclusa.

Reliqua quæ contrà hanc scripturam opponi sentio, ut, quod fuerit à Capuccinis per vim, & metũ extorta, quod non sit testium adminiculo munita, quod à Generali absque consensu Assistentium, contrà præscriptum Vrbanarum Constitutionum, ac insuper à Prælato, Iurium Ecclesiæ minimè domino, facta fuerit, atq; adeò, quod nullius ad præjudicium PP. Conventualium momenti existat, ut per jura vulgaria, verè nullius ponderis sunt: nam quilibet est dominus dicendæ veritatis, ex qua nulli præiudicium infertur, ut in casu nostro; cùm non agatur de aliquo Iure possessorio, aut petitorio, &c. in judicio ventilando; verùm tota quæstio super veritate facti, consistit. An, scilicet caputium à S. P. Francisco institutum fuerit rotundum, &c. Super qua integrum est cuilibet testimoniũ perhibere, prout in conscientia, & veritate sentit: Et quod de metu illato dicitur; quâ facilitate producitur, eâdem circumducitur, nisi probetur; est enim tritum in Iure, metum, præsertim in gravi persona, non præsumi: Nec etiam subsistit, quod tandem opponit, Generalem fuisse malè informatum, suamque non esse definitivam sententiam; sed purum arbitrium; ac demum eiusmodi arbitriũ, non auctoritati antiquæ Legendæ, sed imaginibus Lateranensis, & S. Francisci trans Tyberim innixum; unde non potest esse majoris auctoritatis, quàm sint illa, quibus innititur: Hæc, inquam, ex ipsis scripturæ verbis evanescunt: *Nos* (hæc sunt formalia verba) *rationibus, causis, honestisq. fundamentis adducti*, &c Quæ autẽ sint hæ rationes, indicat esse imperturbatã, diuturni temporis in Ordine pira-

 mida-

midalis caputij formam, ſolidumq; vetuſtiorum imaginum, & picturarum, non ſolùm Lateranenſis, & D. Franciſci trans Tyberim, ſed & S. Mariæ Majoris, & aliarum teſtimonium.

Obijcit denique aliquas depoſitiones ex Chronicis, ut caputium diſſutum, & mozettatum fuiſſe oſtendat; de quorum genuina intelligentia jam ſuperiùs ſatis: Et de obiectione contrà teſtes, hactenùs.

Obijcit 6.° contrà picturas, Imagines, & Reliquias; obijciens alias picturas, Imagines, & Reliquias; cui obiectioni uno verbo ſcriptis ſatisfaciendum duxi: Ad veritatem enim ſinceram eruendam, opus eſſet Capuccinis authenticis inſtrumentis, & documentis, in quibus caputiorum mentio habetur, ac oculari inſpectione omnium eorundē habituum, & caputiorum, quæ cùm ſint apud adverſarios, hodie, aut nullo modo à Capuccinis videri poſſunt, aut, non niſi cum maxima difficultate; licet olim ex eorundē benignitate liberè ea intueri permittebatur: Cùm autem hæc ſint cōmunia inſtrumenta, etiamſi ab adverſarijs retineantur, poſſet ex parte Capuccinorum, fieri inſtantia, ut communicentur, quia communia inſtrumenta, & documenta penes adverſariū exiſtentia, ortâ lite, ſunt parti cōmunicanda, ut toto tit. de edendo: Idem dicitur de antiquis Imaginibus, quæ in eorū Eccleſijs, ac Monaſterijs antiquitùs ad devotionem acuendam, & ad perpetuam rei memoriam conſervandam fuêre depictæ, quæ utrùm ſint integræ, & in nullo, præſertim quoad habitus formam, immutatæ; an potiùs ex ingenio, & artificiosè deformatæ, & in aliam formam traductæ; longiorem, & exactiorem expoſcerent indaginem; ideò hoc negotium alijs, ad quos ſpectat, maturiùs tractandum relin-

relinquamus: Interim aliquas expressas falsitates, in hoc Catalani libro insertas, si vera sunt, quæ circumferri audio, ob legentium oculos ponere, atque ita alio quoque modo eiusdem obiectiones diluere, optimè consultum censeo.

Satisfit alio modo objectionibus Catalani, nempe ad hominem, aliquas eiusdem expressas notando falsitates.

SEmel falsum, semper falsum præsumi indicavit evidenter Catalanus, ratus id posse probari ex regula legali, *semel malus*, quæ Regula, licet, ut superiùs etiam advertimus, aut nihil, aut parum ad rem faciat; valet tamen ad hominem contrà eundem Catalanum. Quare, cùm in præsenti, nostri sit instituti, non simpliciter solùm; verùm etiam ad hominem Catalani argumenta, & obiectiones diluere: optimè nobis consultum fore, & esse duximus, aliquas à Catalano in suo libro expressas ob oculos legentium ponere falsitates: Ex hac enim præcisè inferre licebit, ad hominem, quidquid in præfato suo libro ad certiorandum mundum de veritate proposuit, & exposuit falsum; nullaque propterea fide dignum esse presumi. Quamvis verò, iuxta communem Theologorum partitionem, triplex ad clariorem notitiam, falsitas constitui, & distingui valeret: Iocosa nimirum, officiosa, & pernitiosa: Quia tamen Catalanus indistinctè significavit Regulam illam, *semel malus*: In omni falsitate, etiam simplici historiali locum habere: Idcircò nos quoque, nullâ habitâ ratione, utrùm falsitates unius, aut alterius sint naturæ, & qualitatis; easdem, majori etiam quâ fieri poterit brevitate afferemus in medium.

Missa autem facimus in primis, quæ, ut contradicat Capucci-

puccinis aientibus, suum Fundatoré esse S. P. Franciscum, non Fratrem Matthæum, scribit, Capuccinos cautos debere esse, ne alicui errori detestabili, talia jactando, fomentum præbeant; cùm & hæretici dicant, Christũ esse caput Ecclesiæ: sed Christus est Caput invisibile: Ecclesia, corpus visibile; quibus verbis satis ostendit, se nescire distinguere inter Fundatoré, & Caput: Christus quidem fundavit, & ædificavit corpus Ecclesiæ super se ipso, tanquã angulari lapide, & super Petro, cæterisq; Apostolis respectivè, iuxtà illud: *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Ita S. Franciscus fundavit suam Religionem, cujus subinde Religionis etiam suo tempore, caput visibile extitit; eo verò moriente, alij Prælati Capitis visibilis, locum obtinuerunt: Fr. ergò Matthæus non fundavit Religionem aliquam: Ideò Capuccini optimè aiunt, suum Fundatorem esse S. Franciscum. Quod si Fr. Matthæus fundasset, nunquid non ipse suo tempore fuisset Caput visibile, sicut suo tempore fuit Seraphicus Pater? Vterque verò ubi jam mortuus, aut officio functus, non ampliùs Caput, aut visibile, aut invisibile: Christus verò, quia manet in æternum, semper est caput: In presenti tamen invisibile: At summus Pontifex pro tempore existens, visibile: Nullo auté modo Sum. Põtifex fundator Ecclesiæ. Nam Sum. Pontifex fundatas jam regit Ecclesias. Itaque Fundator unus est: Caput verò, non unum, sed multa sibi invicem succedentia. Vnde ineptè Catalanus significavit, Fr. Matthæum à Capuccinis debere pro fundatore admitti, ne alicui errori detestabili fomentum præbeant. Verùm, ut dixi, hęc missa facimus, quia de his tractare; alterius est scientię.

Missa

Missa item facio, quæ, ut inconstantiæ Capuccinos sugillet, ait, ipsos velle, & non velle, *Non veggono che vogliono, è disvogliono una cosa medesima, con notoria inosservanza delle Pontificie Constitutioni ottenute?* Nemo enim non videbit ingenium Catalani, & quomodo hoc non sit velle, & non velle rem eandem, &c. ut ipse affirmat: Nolle enim Franciscanos alios habitum Capuccinum deferre, & velle statuam reponendam in Ecclesia eorundem Franciscanorum apparere indutam, habitu Capuccino, non est velle, & nolle eandem rem, contrà obtentas Constitutiones: quia statua, non est homo, nisi æquivocè. Nec Capuccini institerunt apud Pontifices, ne statuæ quocumque loco reponendę, cum habitu Capuccino construantur.

Missa item facio quę, ut Capuccinos iterùm sugillet, asserit, Capuccinos nimirum, institisse apud Pontificem, ut Patres Reformati deponerent sandalia, quæ tanquam ex mera necessitate assumpserant: Quomodo enim ex mera necessitate, quando Patres Observantes, ab exordio Reformationis usque ad tempora Capuccinorum usi sunt passim, & indistinctè calepodijs. Supererat, ut etiam contenderet Catalanus calepodia, & non sandalia fuisse Fratribus Minoribus in exordio nascentis Religionis in usu: Quod verò addit, cognitâ necessitate, à Sum. Pontifice revocatā fuisse primam Bullam Capuccinis faventem; utrùm verum sit, an non ex ipsa Bulla facilè potest dignosci. Hæc, inquam, & alia eiusmodi omittentes, ad eas, quę magis ad rem faciunt, detegēdas falsitates accedamus.

Prima ergò falsitas, & quidem notabilis, ea est, in qua asserit, Fr. Heliam oblongum in Ordine instituisse, ac introduxisse caputium: ut enim ex ipsis Mariani verbis à Catalano allatis liquet, non Fr. Helias, sed ipse S.P. Franciscus ejusmodi

oblongum caputiũ in Ordine inſtituit; verba Mariani,ad majorem falſitatis evidentiã, hîc iterùm in mediũ afferre neceſſariũ,cenſeo: *Il VVadingo,col Mariano dice,che trovandoſi S.Franceſco in Egitto, Frate Elia allungaſſe il capuccio dell' habito,più di quello era ſtato introdotto nell' Ordine dà S.Franceſco.* Perpendantur,quæſo ultima verba, *più di quello era ſtato introdotto nell' Ordine dà S. Franceſco* En qui introduxit in Ordine caputium oblongũ,qui invenit, qui inſtituit,hic, Mariano teſte,eſt S.P.Franciſcus,hoc eſt certũ,& indubitatum,non ergò Fr.Helias;quod autẽ ibidem aſſeritur, Fratrẽ,ſcilicet Heliam,oblongaſſe caputium magis, &c. Idem oſtendit, & cõfirmat; cùm enim ſit verbũ comparativũ, ſupponit ſuum poſitivum,& facit hunc ſenſum clarum,& evidentem;illud oblongum caputium, quod à S. P.Franciſco in ordine fuerat inſtitutũ, magis à Fr. Helia oblongatũ fuit : falſum eſt ergò,quod toties repetit,&inculcat Catalanus,Fratrẽ, ſcilicet Heliam,oblongum in Ordine introduxiſſe caputiũ; & eo notabilior eſt hæc falſitas, quo ad eam authenticandã Mariani & Wadingi teſtimoniũ adducit; uterq; enim Auctorem, & Inſtitutorem oblongi caputij in Ordine, ipſum S.P.Franciſcum facit,aut potiùs, tanquã indubitatum ſupponit; uterq; verò, ſtatutam à B. Franciſco caputij menſuram, à Fr. Helia auctam fuiſſe,adjungit: verba Wadingi,ſic habent: *Alij,de quibus non ſemel conqueſtus eſt S.Pater, menſuram habitus ab ipſo S. Franciſco ſtatutam tranſilierunt, ut expreſsè etiam in caputio longiori feciſſe Heliã, ſcribit Marianus*: Itaq; Catalanus, & falſum in ſe dicit,dum Fr. Heliam caputij oblongi, auctorem facit; & falſum Mariano, &Wadingo impingit,dum addit; Marianũ,& Wadingum hoc ipſum aſſerere,cùm uterq; expreſsè S.Franciſcum Auctorem, & Inventorem faciat;Fratrẽ verò Heliam additorem, & addi-

io-

tionatorem: Qua in re quilibet pariter artem,& ingenium Catalani perſpicere poterit; inde enim prætendit, oblongũ,& piramidale caputiũ reprehendere, & laudare rotundum, Capuccinoſq; in oblongo, & piramidali caputio geſtando, non Seraphici Patris, ſed Fr. Heliæ imitatores, Lectores fallendo, efficere; ſed certè ſeipsũ potius, quã alios fallit; indubitatũ eſt enim, caputiũ oblongum à S. Franciſco in Ordine fuiſſe inſtitutum, ac ſubinde, deferentes caputiũ oblongum S. Franciſci imitatores exiſtere; ſicut eſt indubitatũ, non deferentes caputium oblongũ, in hac parte, à S. Franciſci imitatione longiùs abſcedere.

2. Falſitas, & non minùs priore notabilis, depræhenditur in eo, quod ait, S. P. Franciſcum, ideò Fr. Heliæ habitũ abieciſſe, dicendo altâ voce, *Coſi vanno veſtiti, i baſtardi dell' Ordine*, quia Fr. Helias piramidaſe caputium induerat; hæc, inquam, eſt falſitas, & quidem ad fallendũ: unde nomine proprio, apud Dialecticos, fallacia, ſecundũ non cauſam, ut cauſam cenſeri ſolet; verùm enim eſt S. P. Franciſcũ, non rotundũ, & mozettatum, ſed piramidalem, & non mozettatum habitũ abieciſſe; falſiſſimum tamen, ideò à Seraphico Patre projectũ, quia piramidalis erat; imò tantũ abeſt, ut hæc abiectionis illius habitus, & proteſtationis tam reſolutè à S. Patre factę cauſa fuerit; quod imò eſſe, nullatenùs potuit: dato enim, & non conceſſo, S. P. Franciſcum, rotundũ, & mozettatum caputium inſtituiſſe; & loco mozettati, ac rotundi; piramidale, & non mozettatum à Fr. Helia (eiuſdem Patris agente vices) ſubrogatum fuiſſe, cùm, ex Catalano, nulla fuerit à Seraph. Patre, in Regula habitus forma, ita præſcripta, quin integrum ſit ſuperioribus eandem immutare, aut in ea diſpenſare: nõ potuit culpę Fr. Heliæ aſcribi, pręſertim mortali, quod caputij formã immutârit; quomodo

ergò ob non culpam, aut, ut summũ, culpã venialem S. Franciscus tam acriter, præsertim in publico, verbis, & factis Fratrẽ Heliam reprehendere potuisset; ipsum ordinis spuriũ, & illegitimũ appellando? Nullus planè sensatus sibi hoc unquam persuasum habebit: Quantò magis ubi Fr. Helias formã non immutavit, sed ut summũ mensuram jam præscriptam auxit. Dicet fortassè Fr. Heliam ita oblongasse caputium, ut ad formam piramidalẽ reduxerit, ac pro tanto piramidalis caputij auctorẽ, & inventorẽ ab ipso censeri, & affirmari. Respondeo, magis allongare rem aliquam nil esse, quàm longitudinẽ addere longitudini, salvâ ipsius longitudinis formâ, & figurâ. Quare dicere Fr. Heliam ita magis oblongasse caputiũ, ut ad piramidalem formã reduxerit, nõ est simpliciter ipsum magis oblongasse, quàm fuerat à S. Patre institutum, ut loquuntur Marianus, Wadingus, & alij: sed est ulteriùs formã, sive figuram immutare; quod cùm neq; Marianus, neq; alij affirment, sequitur esse merum Catalani inventum. Itaq; cùm Fr. Helias re verâ piramidale caputium, licet fortassè magis oblongum, detulerit; sequitur evidentissimè in sententia Mariani, & aliorum, caputium à S. P. Francisco institutum, & à Fr. Helia magis allongatum, piramidale fuisse: Ita enim magis allongavit F. Helias, ut forma à S. Patre instituta salva persisteret: plus enim, & minùs longum, speciẽ minimè variant. Argumentum autẽ in forma sic breviter construi potest, caputiũ Fr. Heliæ fuit piramidale, hoc est certissimũ apud omnes; maximè verò apud Catalanum: ergò & caputiũ S. P. Francisci. Probatur sequela: Nam ex Mariano, Wadingo, & alijs, nihil plus habuit caputium Fr. Heliæ: nec minus habuit caputium S. P. Francisci: quàm illud esse magis, illud verò minùs longũ, quod Italicè in sensu claro

dice-

diceretur: *Il caputio di Fra Elia, è di S. Francesco era longho, è piramidale, in modo però, che la piramide del caputio de Fra Elia era più longha, è si stendeva più in giù per le spalle.* Vt etiam ſatis expreſsit P. Wadingus, inquiens, caputium S. P. Franciſci fuiſſe quidem piramidale, ſive acuminatum; non ita tamē oblongum, ſicut erat illud Fr. Heliæ, &c. Itaque falſum eſt, & dictum fallaciæ plenum, quod S. Franciſcus ideò Fr. Heliæ habitum abiecerit, ac eundem Ordinis illegitimum appellârit, quia piramidalis erat. Si quis verò ſincerè illius habitus abjectionis, & acris Fr. Heliæ repræhenſionis cauſas ſcire deſiderat, verba Chronicorum audiat, & intelligat: *Fra Elia si fece una tonica di panno fino, con le maniche longhe, è larghe, il che sapendo il santo, lo chiamò,* &c. Iſta fuit cauſa abjectionis illius habitus, &c. *L'esserſi fatto Fra Elia una tonica di panno fino, con le maniche longhe, è larghe;* quia hoc eſt peccatum mortale, contrà illud Regulæ præceptum: *Fratres omnes, vilibus se induant,* &c. Non quia magis allongaſſet caputium, in qua maiori allongatione vix culpa venialis eſſe potuit.

3ª. Falſitas in eo depræhēditur, quod ait, Capuccinos adulterino nomine, auctorē libri, qui ſub nomine Boniti Cōbaſſonij Conventualis à P. Boverio citatur, vitiaſſe; licet enim in hoc aſtruendo Catalanus dubiùs, ſeu potius opinativus videatur, ait enim: *Persone di gran grido, è di sapere trà PP. Convētuali sono venuti in parere, dal quale il mio non è troppo lontano, che se questo libro è veramente in luce, sarà stato dà qualche Capuccino composto con nome adulterino, aggiungēdovi sagacemēte che l'auttore fosse Conventuale per avvalorare maggioremēte il suo testimonio*: Nihilominùs etiā falſitas cōmittitur in aſtruenda re dubitativè, & opinativè, ubi res eſt certa, nullaque dubitādi, aut opinandi ratio adeſt, prout verè nulla eſſe potuit in Catalano, qui ſaltē apud P. Wadingū, in libro de Scriptori-

 bus

bus Ordinis,huiuſce rei veritatē clariſsimè potuit intueri; prę-ſertim cùm,ut audio,eundē Wadingi librū referat;loquēs enim de Auctoribus antiquæ Legendæ, eos, ex P. Wadingo,in præfato libro, Fr. Thomā de Celano, & Thomā de Ceperano eſſe ſcribit;ex quo clariſsimè liquet,Catalanum eundē, P. Wadingi de Scriptoribus Ordinis librum vidiſſe,in quo,ut dixi,cum cæteris Scriptoribus Ordinis, Bonitus Cōbaſſonius deſcribitur; idemq; & Cōventalis eſſe,& libri à Boverio citati,indubitanter Auctor eſſe aſtruitur : falſa eſt ergò eius ſententia, ubi Capuccinos adulterino nomine,auctorem libri ſuppoſuiſſe affirmat.

Huc quoque ſpectat,quòd falsò de vi,& metu per Capuccinos R^{mo}. P. Felici à Caſsia illato aſſeverat;quæ falſitas, ex eo præcisè præſumitur, quod à quibus in ſpecie , quo loco , quo tempore, &c. eiuſmodi vis , & metus fuerit illatus,non ſignat; ſed,nec ſignare poteſt;quia non entis nullæ ſunt qualitates, & circumſtātiæ. Et certè cùm ipſemet Catalanus in omnes Auctores,Capuccinorū pręſertim,graviùs invehatur,pro eo quod mutationis formæ habitus,quam in Ordine factam aſtruunt, circumſtantias Loci, temporis,perſonarū,&c. non adducunt, multò magis ſuo ſe iudicio condemnat , dum R^{mo}. P. Felici vim, & metum illatum fuiſſe iactat,& à quibus in ſpecie,quo loco, & tēpore fuerit illatus minimè deſignat: Audio quidem huiuſce rei teſtem vocare illius temporis Ordinis Secretarium; ſed neque, quo loco, quo tempore, quibus perſonis præſentibus tale Secretarius teſtimonium perhibuerit , aperit.

Quantum ad ſecundum genus; occurrit prima falſitas , ubi Capuccinos,multis ab hinc annis leges hoſpitalitatis erga Patres Cōventuales violaſſe,aſſeverat; licet enim ad excuſandam hanc vocem,aliquâ,ut audio,verborum moderatione uſus ſit, in-

inquiens: *Se bene i Padri Conventuali publicamente dicono essergli dà Capicini dà molti anni in quà violate le leggi amorevoli dell' hospitalità; io non voglio asseverantemente affermarlo:* Nihilominùs non potest caveri, quin manifesta etiã in ipso modo loquẽdi falsitas appareat; sive enim ille asseveranter hoc dicat, sive referat, alios publicè dicentes, cùm nõ doceat de loco, de tempore, à quibus in specie eiusmodi hospitalitatis leges fuerint violatæ, satis ex ipso modo loquendi indicat, hanc esse merã inventionẽ, & eo minùs inverisimilẽ, quo alia pariter, ad exaggerandum ingratitudinis Capuccinorũ erga Patres Conventuales vitiũ, falsa immiscet: Vt dum asserit, Capuccinos secretò coniurasse, & conspirasse, ad eripiendum pretiosiorẽ thesaurũ, quem ipsi Patres Cõventuales possident, sacrum scilicet Asisij Conventũ, in quo pretiosissimũ S. P. Francisci Corpus requiescit; ubi enim, quando, à quibus, apud quos eiusmodi res fuit intentata; nec docet, ut audio, nec unquã dubio procul docere poterit; tantum enim abest, ut Capuccini talem rem intentârint; ut si fortè ij, ad quos spectat, spontè, & ex motu proprio eiusmodi Conventũ offerrent, Capuccini nunquã utique recipere vellent; sicut sigillũ Religionis in Trident. Concilio à Patribus spontè oblatũ, recipere noluerunt: Multa alia ut audio, in toto primo discursu Catalanus corradit, ut ex una parte, prçclara à Patribus Conventualibus in Capuccinos, collata beneficia referat, & ex altera ingratũ Capuccinorũ animũ erga insignes benefactores repræsentet. Omne autẽ ingratitudinis summariũ, eò tandẽ per Catalanũ reducitur, quod Capuccini cum ipsis Patribus Cõventualibus super forma habitus, quâ induẽda erat statua B. Antonij Neapoli, in Thesauro illius magnificentissimæ Civitatis reponenda, litem intentarint; quod nõ solùm ingratitudinis vitio maxima cum exaggeratione Cata-

talanus, ut audio, in Capuccinis adſcribit,verùm etiã ad cumulandas falſitates, ſuoque ſe iudicio condemnandũ,à profeſſione Religioſorũ,qui ex uno Patre nati ſunt,alieniſſimũ eſſe,his ferè verbis deſcribit: Inter Religioſorũ Conventus interdum lites,& contẽtiones oriri poſſe non nego;has quidẽ inter eos Religioſos, qui diſtinctis hyerarchijs diverſa Religionũ Corpora cõſtituũt; non autẽ inter eos,qui iure naturalis ſympatiæ in unius Corporis conſtitutione,nati ſunt eſſe alter alterius membra,cuiuſmodi ſunt Patres Conventuales,Patres Obſervantes,& Capuccini; huius porrò naturalis ſympatiæ Capucini iura aſpernãtes, cùm deberent invicẽ ſervare unitatẽ ſpiritus in vinculo pacis, totum oppoſitum præſtiterunt; nõ ſolùm cõtra Patres Conventuales ſuper forma habitus, verùm etiã contra reliquos omnes Franciſcanos litẽ intentando,inſtantes apud diverſos ſummos Pontifices,ut nullus ex Franciſcanis habitũ ab ipſis deferri ſolitum, aut etiã conſimilẽ, geſtare valeret; vnde & varias ſuper hoc à diverſis Pontificibus Bullas obtinuerunt,quarũ Bullarũ idẽ Catalanus Catalogũ texit: Hæc & ſimilia, non ſolùm refert,ſed etiã ſæpiùs inculcat,& exaggerat,præſertim in præfatione,& in primo diſcurſu: Et ut magis hæc omnia comparere faciat,ſubſtantiã facti variè circumſtantiare geſtit; ut quod nulla eſſet neceſſitas,tales prohibitiones intentãdi, ita ſignanter loquitur quantũ ad prohibitionẽ factã Patribus Reformatis,deferendi ſandalia, his ferè verbis: *E che ſollievo hanno hauuto i Capuccini dalla prohibitione de ſandalj,e reaſſuntione de zoccoli de Patri Riformati Oſſervanti quali come per mera neceſsità li portavano,coſi queſta riconoſciuta dalla S. Sede, ottennero di nuovo la rivocatione della Bolla a Capuccini favorevole.* Quod inter alios Religioſos,ne dum eiuſdẽ,verùm etiã alterius Ordinis, eiuſmodi contentiones ſuper habitus forma ortæ minimè ſint.

Si

Si ergò inter diversa Religionū corpora tā benè servatur vinculum pacis, & charitatis; cur ipsi tandem cum membris ejusdem Seraphici corporis servare non student? imò semper sunt, ac fuêre inqueti, nec unquam satis se ab alijs Franciscani Ordinis Religiosis distinctos putârunt, Sanctam propterea sedem inquietantes ob duos piramidis palmos, quæ eorundem caput, & scapulas adumbrat; & hæc quidem eo tempore, quo neque ab Vrbano VIII. neque à Paulo V. neque à sacro Tridentino Concilio filij S. Francisci fuerant declarati: Si piramidale caputium est antiquum, & commune Ordinis Franciscani signum, ut ipsi prætendunt, quânā unquam ratione quispiam sanæ mentis percipere poterit, Capuccinos à summis Pontificibus impetrasse, neminem, præter ipsos, tale caputium deferre posse, aut debere, si commune est, quomodo sibi appropriant? Si S. P. Francisci hęreditas, quomodo cæteros filios ab illa excludendos, intentant? Imò cùm ipsi Capuccini eo tempore nōdū S. P. Francisci filij declarati fuissent, quomodo hanc sibi portionem arripere præsumebāt, si à Clem. VII. usq; ad Paulū III. nihil aliud Franciscani habuerunt, quàm quoddam adoptionis principium? Si ipsimet impetrarunt, ut nemo, qui non sit sub obedientia suorum Prælatorum, eiusmodi habitum induat; quare contendunt, ut statuæ, & Imagines in Ecclesijs totius Ordinis Minorum, qui utique Capuccinis subjecti non sunt, in forma eiusmodi pingantur & sculpantur? Nunquid hoc non est velle, & non velle eandem rem, cum notoria Constitutionum Pontificiarum inobservantia, ac proinde in pœnas excommunicationis incidere? Hæc & similia, ut audio, afferuntur à Catalano, in primo præsertim sui operis discursu,

quæ ut clariùs appareat, quàm longè ſint à veritate aliena, imò abſolutè falſa: in tria capita ſunt diſtinguenda. Primum eſt ubi Capuccinos ingratos. 2.^m ubi eoſdem inquietos & litigioſos contra jura, & leges charitatis. 3.^m ubi eoſdem iniuſtos hæreditatis alienæ raptores nominat.

Quantum ad primum caput; ſicut fortaſsè nullus eſt ex Capuccinis, qui neſciat præclara à Patribus Conventualibus in ipſos, in exordio præſertim naſcentis Reformationis, beneficia fuiſſe collata; ſic neminem exiſtimo reperiri, qui grati in eoſdem RR. PP. Conventuales animi ſigna, & argumenta pro viribus præſeferre non ſtudeat, memor illius S. Bernardi ſententiæ. *Ingratitudo eſt inimica animæ, meritorū exinanitio, diſperſio virtutum, beneficiorum perditio, &c.* porrò quæ de violata hoſpitalitatis lege, & intentata Conventus Aſſiſij ſurreptione Catalanus ponit, tamquam nullâ prorsùs ratione, vel authoritate comprobata omninò reijciuntur. Quæ verò de contentione, aut lite cum RR. PP. Conventualibus promota adiungit (quod ſummæ omnium ingratitudini aſcribit) unâ hâc obſervatione convellere contentus ero. Certè notæ ſunt urbi, & orbi contentiones, & lites inter ipſos RR. PP. Conventuales, & PP. Obſervantes, ſuper eleemoſynis, quæ in Eccleſia S. Mariæ Angelorum in feſto Portiunculæ, ex fidelium pietate, offeruntur. Notiſſima eſt pariter lis inter eoſdem ſuper præcedentia exorta, cujus litis teſtis eſt, inter alios P. Faber in libro, quem dum Procuratoris Generalis RR. PP. Conventualium officio fungeretur, compoſuit, tali titulo prænotato: *Confutatio reſponſionis, quam in lite præcedentiæ inter Conventuales, & Obſervantes exorta, &c.* Denique hiſce diebus immortales, ut ita dicam

cam

cam, inter Patrem Veglenſem, ex una, & Patres Maſtrium, & Bellutum ex altera; omnes Conventuales; contentiones exortas eſſe nemo eſt fortaſsè, qui ignoret. Cùm autem tot, taleſque lites ſubortæ fuerint, quæ Catalanum utique latere minimè potuerunt. Nullus tamen propterea ex Capuccinis (quod ipſe ſciam) auſus eſt in eoſdem RR. Patres ora laxare, ipſos litigioſos, contentioſos, aut inquietos appellando. Videant ergò ipſi, qui alios judicant, ne ſuo ſe judicio condemnent, ac proprio jaculo feriant.

Sed totalis, & finalis ſit utriuſque huius obiectionis reſponſio. Cùm Seraphica Religio fœminæ illi ſapientis forti conferatur; cuius domeſtici, veſtiti ſunt duplicibus, non ſibi, aut ſuæ Religioni in dedecus, & ignominiam adſcribere, minùs autem alijs ad ingratitudinis, odij, &c. notam tribuere deberent RR. PP. Conventuales, quod Capuccini habitum, quem ipſi deferunt unum eſſe, alterum verò, quem Capuccini geſtāt, proteſtari voluerint: ut ſic hæc mulier glorioſior, quàm unquā, hiſce temporibus in Eccleſię Theatro circumdata varietate appareat, hæc gemina veſtis extrinſecus mulierem adornans, geminæ Regulę obſervantiæ intus ſpecioſam reddenti reſpondet: litteralis eſt una, altera modificata, modo legentes rogo, decetne magis eſſe indutos veſte litterali domeſticos, qui modificatā regulę obſervantiā, an qui eandē ad litterā profitentur, ipſis iudicandū relinquo: ego planè exiſtimo dignius eſſe de cōgruo, ut qui Regulæ obſervantiam ad litterā profitentur, litterali quoq; veſte induti appareāt. Sicut enim Chriſtus Apoſtolos audiēdis ſuis præceptis corpore viciniores eſſe voluit, quia adimplendis ejus preceptis etiā animo erāt proximiores, ut indicavit S. Aug.

 tractans

tractans illud Matthæi: *Et cùm sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius.* Ita idem Christus voluit etiam habitu exteriore eos esse S.Francisco similiores, quos Regulæ litteraliter obseruandæ, promptiores effecit; non sibi ergò in iniuriam adscribant, quod Capuccini modificato eos habitu indutos adstruant, qui sine ulla querela, modificatâ Regulæ obseruantiâ gaudent.

Adhuc enim uno Frãciscanæ Religionis habitu cẽsentur induti. Et fortaſsè non vacat mysterio, quod de Sixto IV. ex Platina Catalanus in hæc ferè verba scriptum reliquit. *Parue alla Madre in sogno di partorir vn Fanciullo al quale S. Francesco, è S. Antonio vestiuano vn loro habito colla cocolla, E gli cingeuano vn lor cordone.* Quid enim aliud, si vim verborum, ut fas est, perpendere velimus: sibi vult phrasis ista loquendi, quam geminum esse Franciscanæ Religionis indumentum; litterale unum; modificatum alterum? dicendo ergò non simpliciter: *Vestiuano il loro habito, è cingeuano il lor cordone*: sed *vestiuano vn loro habito, è gli cingeuano vn loro cordone.* Apertiſſimè innuitur, puerùm altero è duobus, quibus domestici hujus mulieris vestiuntur, indutum fuisse habitu: Sin autem quæras, quisnam iste? satis exprimitur, dum dicitur, *Vestiuano vn loro habito colla cocolla*: Vnus ergo habitus Franciscanæ Religionis est cum Cuculla: Igitur alter erit sine cuculla; si demùm exquiras, quisnam ex his duobus sit litteralis, hoc est, juxta litteram Regulæ, institutus? facilè comperies, si Regulam ipsam consulas: Regula enim nil aliud præscribit, quàm duas tunicas, cingulum & mutandas: Et cingulum quidem, ac ipsas tunicas grossas, & viles. Certè funis, quo puer ille cingebatur, similis erat illis, quibus hodie, & tunc Patres Conventuales cingi solebant: hunc autem non esse illum, quo

sanctus

ſanctus P. Franciſcus, Divus Antonius, & cæteri ſancti Patris ſocij cingebantur, ſed longè diverſum, id eſt, modificatum: neminè puto ambigere poſſe. Ergo etiam ipſe habitus erat talis; cùm præſertim habitus R.R. Patrum Conventualiũ, præter tunicas, & cingulum, ſcarpas, ſive calceamenta, & alia, quæ non ſunt de litterali forma à ſancto Patre inſtituta complectatur.

Venio tandem ad illud, quod Catalanus in Capuccinos jactat: Ipſos nimirum cæteros Franciſcanos, quantum ad habitus delationem, apud Pontifices nunquam inquietare deſtitiſſe: Et cæteris omnibus omiſſis, hoc unum à Catalano ſcire volo. Vtrùm habitus Capuccinorum ſit verè ille à ſancto Patre inſtitutus, an non? ſi non; debent potiùs cæteri Franciſcani Capuccinis gratias agere, quod habitum prædictum ipſis, deferre inhiberi ſtuduerint: ac ſubinde in cauſa fuerint, ut primævum ordinis caputium geſtarent: ſin verò habitus Capuccinorum verè, eſt ille à S. Franciſco inſtitutus, cùm ferè omnes Franciſcani aliàs ejuſmodi habitum Capuccinorum impugnare non deſinant, non eſt æquum, ut ex delatione ipſius fructum aliquem conſequi debeant: clara eſt legalis regula. *Ex eo non debet quis conſequi fructum, quod niſus extitit impugnare*: aut ergò deſinant impugnare: Et nobiſcum fateantur habitum Capuccinum verè illum eſſe à ſancto Patre inſtitutum: aut deferre deſiſtant, quod impugnant: ſed verè dictu, ac cogitatu mirabile eſt, quod noſter Catalanus ferè ſemper ſuo ſe jaculo feriat, verum eſtne ergò, Capuccinos obtinuiſſe à ſummis Pontificibus, ne Patres Conventuales Reformati, Recollecti, & cæteri Capuccinum habitum deferrent? Dicet utique eſſe veriſſimum: Ergò, dico ego, jam ferè tota Franciſcanorum Religio, præſertim refor-

 mata,

mata, Conventualium, Tertiariorum, Observantium, Recolle-ctorum, &c. Capuccinum habitum indueret, nisi summorum Pontificum decreta obstitissent. Sibi ergò persuasum sensatus aliquis habebit, totam, vel ferè, Franciscanorum reformatam Religionem tantoperè ad ejus habitus delationē anhelare, quē seraph. Patri invisum ordini alienū in fr. Helia reprobatū, &c. Crederet, imò solū suspicaretur? Quid ergò est hoc! nisi efficacissimum argumentum, habitum Capuccinū esse illum à seraphi. Patre institutum, ac Religionis primævum, unaquæq; enim res, quasi naturali quodam instinctu, ad suum redit principium, quod in casu nostro cuilibet in Religionis annalibus, sive histo-rijs versato, patentissimum esse nō ambigo: Nam post tempora sancti Bonaventuræ ad quæ usque, imperturbata oblongi, & piramidalis forma caputij permansit, ut ex verbis ejusdem sancti Bonaventuræ satis superiùs ostendimus; Post hæc, inquam, tempora, quibus formam prædictam in ordine defecisse constat, adhuc fratres vix per Superiorum statuta, à piramidali, & oblongo caputio deferendo, contineri poterant. Patet hoc ex eo, quod orta fuit Congregatio dicta de caputio (& ut omittam eos, qui tempore Ioannis XXII. idem caputium assumpserant) Certissimum est, quamplures alios in ordine, pro temporum varietate, prædictum piramidale caputium gestare solitos fuisse: Indubitatum pariter tempore Ioannis Boni de Mantua, toti, aut ferè, Franciscanæ Religioni ejusmodi caputium fuisse in usu. Quid plura? Wadingus ratus, caputium rotundum fuisse in ordine à sancto Bonaventura introductum, addit nihilominus, plures etiam, post condita à sancto Bonaventura statuta, ori-

ginariæ veſtis tenaciores, acuminato ſemper inceſſiſſe caputio: Quia veriſſimum eſt omnia facilè ad ſuum redire principium. Quare quod hodie maior Franciſcanorum pars rotundum caputium deferat, nullam ſuper hac quæſtione fundat præſumptionem: Non enim tam conſiderandus eſt effectus, quàm affectus delationis; quem affectum ſequutus eſſet etiam magna ex parte effectus, niſi Pontificum Decreta obſtitiſſent.

Quantum ad tertium caput, ubi Catalanus Capuccinos tangit, quod, quo tempore nihil Franciſcani habebant, quàm quoddam, ut ipſe loquitur adoptionis initium, cùm nondum à Tridentina Synodo, &c. S. Franciſci filij forent declarati. Reliqua præteriens, ac Dei hominumque judicio relinquens, hoc unum pro veritate agnoſcenda, lectoris memoriæ, ac menti reducere contentus ero: Declarationē, ex certiſſimis omnium ſcientiarū principijs, non conſtituere, aut dare eſſe rei, ſed ſupponere. ſi ergò ex eo, quod Capuccini nondū à ſummis Pontificibus, & Patribus Tridentini, veri, ac legitimi ſancti Franciſci filij forent declarati; inferre prætendit non fuiſſe filios, niſi adoptione, ſeu adoptionis principio, ut ipſius verba ſonant; ex hoc ipſo ignarum ſe eſſe oſtendit. Erant planè Chriſti cultores, Chriſtiani, antequam Antiochiæ ſub ſancto Barnaba Chriſtiani appellarentur: ſic Capuccini S. Franciſci cultores, ejus verè filij, etiam ſi nondum à Patribus Tridentini dicti, & declarati. Deniq; quomodo nō filij, & legitimi, ſi ex S. Franciſco ſaltē, ut Iſmael ex Abrahā, Catalano ſæpiùs atteſtāte, generati? En alia manifeſta cōtradictio, & de falſitatibus hactenùs.

Lubet in calce quædam alia, & ſi fortaſsè non omninò falſa:

falſa: valde tamen improbabilia, & moribus adverſantia adjicere. Primum habetur in illis verbis: *E quando queſta* (id eſt, voluntas, ſive intentio) *è retta, è candida ne meno Iddio le noſtre male operationi ſcrive o aſcrive ad offeſa.* Quod quidem Deus actus noſtros indifferentes, aut etiam malos, quos malos inculpabiliter eſſe ignoramus, ſi aliàs bonâ intentione fiant: aut etiam non mala, culpæ non aſcribat, abſque erroris periculo, & inoffensâ conſcientiâ ſuſtineri poteſt: At quod Deus non imputet ad culpam actus noſtros malos, quos malos ſcimus, aut ſcire poſſumus, & debemus, eò quia rectâ fiant intentione, pugnare videtur, non ſolum contra communiſſimam Theologorum ſententiam: verùm etiam contra illud Pauli: *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*: Aliàs cur non eſſet immune à culpa coram Deo, ad hominis vitam ſalvandam, mendacium, tam in judicio, quàm extra iudicium proferre? quod hæreticum eſſe non deſunt, qui conſtantiſſimè aſſeverant.

Secundum habetur, ubi ait integrum eſſe ſuperioribus ordinis, in omnibus Regulæ diſpenſare præceptis, votis ſubſtantialibus exceptis: Ex quo principio dein inferre voluit, ſuperiores ordinis ex ordinaria, quæ ipſis ratione officij competit poteſtate, poſſe in toto variare, ſive immutare habitus formam, ſive Novitijs, ſive Profeſſis, ſub æquipollente præcepto, à ſerap. Patre præſcriptam: Quidquid enim ſit de illo principio, ſive antecedente, de quo non eſt præſentis loci diſputare, ſed in tractatu de diſpenſatione: illatio tamen eſt nulla, & non ſolùm à veritate, ſed etiam ab intentione Doctorum, quos citat, aliena: Diſpenſatio enim non tollit, aut immutat legem in toto, ſed in caſu particulari relaxat legem, aut potiùs legis obli-

obligationem, quo fit ut eximatur à culpa violans legis præscriptum, salvâ semper in reliquis lege, ac legis obligatione: variatio verò, sive immutatio tollit omninò legem, aut legis materiam, & ejus loco aliam præstituit. Exemplis ipsis à Catalano attinctis res fiet illustrior. Concedit Regula Ministris, expressam facultatem dispensandi cum Novitijs aliquando super Caparone, ibi: *Nisi eisdem Ministris aliud secundùm Deum aliquando videatur.* Quod declarans S. Bonaventura hæc satis ad rem habet: *Ab ista autem generali lege excipiens addit, nisi aliter, &c.* Itaque dispensatio est in primis exceptio à generali lege: Deinde est exceptio pro aliquo casu, ut satis indicat terminus ille, *aliquando*, quod optimè perpendens idem sanctus Bonaventura ait, paucissimis concedi debere istud Novitiatus insigne: sed exceptio firmat regulam in contrarium: ergo tantum abest, ex vi facultatis dispensandi, licere in toto legem variare, aut tollere, ut imò inde contrarium inferatur: non ergò valet, Prælati possunt dispensare cum subditis sive Novitijs, sive Professis super forma habitus à sancto Francisco præscripta: ergo eandem in toto possunt variare. Et ratio est, quia à disparatis non valet illatio. Idem dicendum est, de potestate tributa eisdem Ministris augendi numerum tunicarum, habitâ ratione circunstantiarũ temporis, loci, Regionis, &c. item de annuis provisionibus, sive cellarijs, & granarijs, super quibus data est potestas Ministris, non absoluta, sed limitata, prout nimirum sibi aliquando, secundùm Deum, & conscientiam necessarium esse videbitur. Ex quo nullatenùs inferre libet, posse Ministros indistinctè concedere, ut eiusmodi annuæ provisiones, sive cellaria, & granaria habeantur: Imò secluso casu necessitatis, in alijs

regulæ præceptum magis firmatur: quia illa concessio, est exceptio à Generali lege, & ea est exceptionis natura, ut magis firmet legem, ac Regulam in contrarium.

Tertium est; quod ait, sanctum Patrem Franciscum quantũ ad habitus, & caputij delationẽ, in triplici statu considerari valere. In quorũ primo, tãquam Eremita habitu eremitico induebatur. In secundo, tamquã Religiosus mundo datus, nõ ut solus sibi viveret, sed ut alijs proficeret; dimisso illo habitu eremitico, Regularẽ, & Religiosum cum caputio assumpsit, modò tamen unius, modò alterius figuræ, & formæ, atque ita modò magis, modò minùs oblongum, interdum magis, interdum minùs pretiosum, prout à devotis offerebatur. In tertio deniq; obtentâ jam Regulæ confirmatione, corporeque Religionis jam perfectè composito, statutam habitus formam, determinatumque caputium accepit: ac Religioni tamquam ultimâ voluntate, ac testamento firmatam, ordini quoque reliquit. Et hæc quidẽ forma, fuit tunica cum caputio mozettato, & rotundo. Hæc ferè Catalanus, quę an sint consona cæteris, quę tã ipse, quàm alij adversùs Boverium, cæterosq; Capuccinos firmiter asseverantes, formam habitus à seraph. Patre fuisse præscriptam, habent; alijs iudicandum relinquo. Hoc mihi videtur indubitatum, caputium professorum ex Regula tunicæ consutum esse debere: Cùm enim etiam Novitij tunicam, & aliquod caputium, quo caput operiant, necessariò habere debeant; jam Novitij, quemadmodum, & Professi, induerent tunicam cum caputio, nõ sine caputio: Ex quo etiam fit consequenter, ut caputium sine mozetta, & scapulari existat: Nam Catalanus ipse hanc tamquam necessariam comprobat consequentiã: *Il Francescano*

ciſcano Capuccio eſſere deve dalla tunica diſtaccato , è diſgionto. Capuccio diſtaccato dar non ſi può ſenza ſcapolare, è mozzetta: donque. Sic ille: nos verò à contrario, caputium Profeſſorum ex Regula debet eſſe tunicæ conſutum; ergo conſequenter ſine mozetta: quia nulla eſt mozettæ neceſſitas: caputium denique, licet ex regula præcisè non habeatur, quod ſit, aut rotundum, aut oblongum: Ex verbis tamen S. Bonaventuræ toties repetitis, clarè infertur, ita fuiſſe oblongū, ut profundari poſſet in capite, ſic, ut profundatū in publico ſine cauſa, hypocriſim, ac ſingularitatē ſapiat; quod utiq; præſtare nō poteſt caputiū à PP. Cōventualibus hodie delatū. ergo à primo ad ultimū, caputiū à S. Patre inſtitutū, oblongum eſt, non rotundum: ſine mozetta, nō cum mozetta.

Quartum eſt, quod ait de habitu S. Patris Franciſci, fuiſſe longum & latum, non ſtrictum, & curtum. Vnde reprehendit, aientes, habitum S. Patris fuiſſe curtum, ſtrictum, &c. & multò magis eſſe peccatum, ubi Franciſcanus longum, & latum habitū aſſumit: Cùm enim non cognoſcamus peccatū, niſi per legem: lex autem in propoſito, id eſt Regula, nihil circa habitus magnitudinē, longitudinem, &c. determinet; non poteſt imputari ad culpam, quod quis longum, latumve habitum deferat. Hæc & ſimilia; ideò notāda velim, ne incautis erroris occaſio exiſtāt.

Notandum ergo magnum, & parvū; longum, & curtū; ſtrictū, & latum eſſe relativa: atq; in propoſito ita accipienda, ut cōceſſa cenſeatur neceſſitas: luxus autē, & ſuperfluitas prohibita. Aliàs quomodo ſeraph. Pater tam acriter reprehendere potuiſſet Fr. Heliam, ex eo, quod ſibi aptaſſet habitum pretioſi panni, manicarum longarum, &c. ſi integrum foret ex Regula, habitū cujuſcumq; magnitudinis, latitudinis, pretioſitatis, &c. ſibi aptare? nullâ prorſus ratione.

 Po-

Poſtremum eſt; quod de piramidali caputio adverſus Boverium quaſi ad hominem diſputans, his ferè verbis jactat. *Eſe quella piramide alzata ſul' capo, moſtrava mondana alteriggia, è faſto, come poi poſſono ſenza vergogna dire, che S. Franceſco rariſsimo eſſempio d'humilta Euangelica, portaſſe il capuccio piramidato, che eſsi con le proprie labbra l'appellano contra ſegno di faſto, è di ſuperbia? Ah! che conforme per la finezza del panno, per la larghezza delle falde, è delle maniche amico della poverta, coſi per quella benedetta piramide del capuccio, eſſatiſsimo profeſſore della ſanta Humilta, rigettò da ſe quell' habito, è chiamollo de' baſtardi dell' ordine.* Vbi vides Catalanum in primis imponere Boverio, quod dixerit, caputium piramidale eſſe ſignum faſtus, & ſuperbiæ, id quod clariùs, repetit, ſic fatus: *L'habito piramidato à detto dell' iſteſſo Boverio, è habito di ſuperbia, è di faſto.* Cùm verè Boverius id minimè dicat de habitu, aut de caputio, ſed de modo aptandi caputium. Verba Boverij apud Catalanum ſic habent: *E ſi drizzo' in alto il capuccio, adunque haveva la ponta, come i quadrati, è non era rotondo, mà formato in modo, che ſi poteſſe alzare, è moſtrare qualche faſto, o ſuperbia.* Certè non video, ubi Boverius in his verbis dicat habitum piramidatum eſſe habitum faſtus, & ſuperbiæ, niſi eo modo, quo S. Bonaventura ait, caputium Fratrum Minorum eſſe ſignum ſingularitatis, & hypocriſis, quod non de ipſo caputio, ut ſic, ſed de modo aptandi ſibi caputium in capite, aſſeverat: *Caputium*, ait S Bonaventura, *non eſt nimis in capite profundandum, operta ſub caputio facies quandam hypocriſis notam infert, &c.* Certè ita profundatio caputij ex ſancto Bonaventura, hypocriſis, ſicut eiuſdem erectio, ex Boverio ſuperbiæ, ac faſtus, notam infert. Differunt ergò, dicere habitum, & caputium eſſe notam, aut hypocriſis, aut ſuperbiæ: ac dicere, modum

dum

dum aptandi sibi caputium in capite, pro varietate aut hypocrisis, aut superbiæ signum existere:& certè si modum loquendi Catalani attendamus , haud secùs liceret in hunc modum discurrere, *E se quel capuccio profundato in testa, mostra ipocrisia, come poi può alcuno senza vergogna dire, che S. Francesco nemicissimo dell' Ipocrisia, portasse quel capuccio, che S. Bonaventura con le proprie labbra appella contra segno dipocrisia.* Quis in hoc argumento fallaciam non attendit? Quemadmodum igitur absque pudore asserimus omnes, sanctum Patrem Franciscum detulisse caputium ; in cujus nimia profundatione potuit esse signum hypocrisis, ex sancto Bonaventura. Ita pariter absque verecundia affirmamus, detulisse piramidale caputium, in cujus indecenti erectione potuit ex Boverio esse nota superbiæ: itaque secundùm veritatem non in ipso habitu, aut caputio , sed in modo aptandi notatur, aut superbia, aut hypocrisis, aut singularitas; ut habetur sæpissimè apud D. Bonaventuram in illo nunquam satis commendato opusculo: *Speculum disciplinæ*, titulo prænotato. *Indecens est*, ait semel S. Doctor, *si coaptatio præter morem Religionis fuerit curiosa*: & rursum, *cavendum est circa portandi modum, ne quis persuat, ut si os, vel mentum sub caputio abscondat.* Hæc & similia habet S. Bonaventura. Quantum ad modum portandi caputium, in quo nota vitij, putà hypocrisis, curiositatis, superbiæ, &c. taxari potest: Quod verò aliquis inferre voluit ex verbis S. Bonaventuræ nuper allatis, caputium non esse piramidale, cujusmodi est caputium Capuccinorum : quia sub eo os vel mentũ abscondi nequit, est planè ab ipsa experientia reiectum, cum imò facillimè Capuccini sub caputio, dum præsertim est in capite positum, os & mentum abscondere valeant.

Hæc igitur tandẽ ſit firma hujuſce quæſtionis concluſio, tã RR.PP.Conventuales,& Obſervantes,quàm Capuccini, ſicut verè ſunt ſeraphicæ Regulæ profeſſores, veriq́ue, ac legitimi ſeraphici Patriarchæ filij. Ita verè omnes ſeraphicum habitum induunt: Alij quidem litteralem,alij verò modificatum: Vnde hujus Religionis domeſtici verè veſtiti ſunt duplicibus. Quod autem habitus,quem induuntCapuccini,ſit litteralis,ille nimirum à ſeraphico Patre inſtitutus, plus ſatis probatũ credimus; tum argumentis ad noſtram partem tuendam confectis, quæ utiq, plura & potiora ſunt: tum ad plenum ſolutis obiectionibus in contrariũ à Catalano adductis: quâ in re,in nullo præiudicatum eſſe intendimus RR.PP.Cõventualibus,quibus fortaſsè plus nocere potuit ipſeCatalanus,quã prodeſſe;ut ejus librum legenti,ac intelligenti,clariſſimum fieri poſſe, & debere non ambigo.

Non mireris autem lector,ſi in progreſſu queſtionis,interdũ ipſa Catalani verba vulgari idiomate referri invenias: ante quã enim ultimam quæſtioni manum apponerem,liber ad me pervenit. Vnde verba formalia excerpere libuit.

Brevis recapitulatio eorum, quæ contra Catalanum de vera, & litterali habitus forma,pleniore ſtylo digeſta ſunt.

AD clariorem,& faciliorem veritatis informationẽ,viſum eſt nobis,lectori fore iucundum,ſi quæ de forma habitus Minoritani, hactenùs cõtra Catalanum longiore oratione deſcripta ſunt,ad brevitatẽ redigantur. Quoniã autẽ ſuper tribus cõtrovertitur quæſtio,tribus aſſertionibus,totũ negotiũ abſolvemus. Prima

Prima assertio. Caputium S. P. Francisci, & cõsequenter FF. Minorum ab exordio nascentis Religionis; & deinceps usq; ad tempora S. Bonaventuræ inclusivè, fuit piramidale, non autem rotundum. Pro hac assertione, habemus plures Authores, non solùm exteros: verùm etiam ex ipso ordine RR. Patrum Observantium, & Conventualium id expressimè attestantes: Cùm vice versâ, ipsi neminem habeant, prȩsertim ex antiquis, aientem fuisse rotundum. Præterea nos habemus plures, etiam ex suis tacitè: id ipsum indicantes: omnes nimirum aientes fuisse oblongum, tantæ videlicet longitudinis, ut satis expressit sanctus Bonaventura, quod posset nimis profundari in capite ad faciem taliter obtegendam, ut si de facto profundaretur sine causa, singularitatem, & hypocrisim præseferret: quod utique præstare non potest caputium rotundum, quale hodie deferunt Patres Conventuales. Denique habemus testimonium ipsum Catalani, qui eo ipso, quo concedit, Fratrem Heliam caputium piramidale detulisse: Ac præterea caputium à sancto Patre Francisco pro ordine institutum, solummodò magis oblongasse (ita enim loquuntur citati ab eo Auctores) velit, nolit, fateri pariter compellitur, caputium à sancto Patre pro ordine institutum, piramidale fuisse: Nam Frater Helias, non mutavit formam, aut novam instituit, sed tantummodò à sancto Patre institutam magis oblongavit; quod in sensu clarissimo perinde est ac dicere, formam caputij à sancto Patre institutam fuisse quidem piramidalem, non tamen piramidem fuisse ita oblongam, sicut postea à Fratre Helia oblongata fuit. Quod nihil præiudicat assertæ conclusioni: Non enim disputamus

de

de maiore, aut minore, sive longiore, & breviore caputij piramide, sed de piramiditate, & rotunditate; utrùm scilicet caputium fuerit rotundum, an piramidale.

Secunda assertio. Caputium Fratrum Minorum, sive à sancto Francisco pro ordine institutum, fuit tunicæ consutum, nō dissutum: pro hac, præter Auctores, tam exteros, quàm ex ipso ordine RR. Patrum Observantium, & Conventualium id expresè attestantes, & consuetudinem, de qua item attestantur aliqui tam exteri, quàm intra ordinem: Adeò ut aliqui adijciant, non vacare culpa, saltem veniali, deferre caputium à tunica dissutum; habemus argumentum ex regula adeò efficax, ut nullo modo infringi queat, cùm vice versâ quæ ex Chronicis Catalanus adducit, nullam prorsùs vim faciant, obstantibus maximè ex nostra parte multo pluribus, ac validioribus argumentis.

Tertia assertio. Caputium à sancto Patre pro ordine institutum, & ab eodem suisque delatum, fuit absque mozetta. pro hac; item præter Auctores intra, & extra ordinem id expresè attestantes, habemus argumentum illativè ex Regula deductum: ubi enim caputium est tunicæ consutum, nulla extat vel apparens mozettæ necessitas. Vnde & Catalanus hoc eodem, à contrario tamen, utitur argumento; inferendo mozettæ necessitatem, ex eo quod caputium non est tunicæ consutum; quæ consequentia corruit, cum antecedens, nullâ, aut ratione, aut auctoritate firmâ, demonstret, cùm nos vice versâ, caputiū tunicæ consutum esse validissimis argumentis ostenderimus. Porrò illud argumentum quod omnium summam Catalanus esse existimavit: quod nimirum duo summi Pontifices testati sint,

ſint, habitum RR. PP. Conventualium, quem aſſumpſerunt, eſſe habitum ſancti Patris Franciſci. Non plus probat eſſe habitum, quàm Regulam ab ijſdem ſummis Pontificibus ſolemniter in ordine eorundem PP. Conventualium profeſſam, eſse Regulam S. Patris Franciſci, id eſt, modificatam.

Cùm itaque pro ea parte, pro qua plura & validiora ſunt argumenta, ſit ferenda ſententia; iudicet quicumque gnarus eſt, utrùm in hac ſuper vera habitus Minoritani forma, exortâ quæſtione, ſententia pro caputio piramidali tunicæ conſuto, & abſque mozetta, quale per omnia deferunt Capuccini; an pro rotundo, diſſuto, & mozettato, quale deferunt PP. Conventuales, coram Deo, & hominibus ſit pronuntianda.

QVÆSTIO. XV.

Vtrùm convenienter P. Generalis Obſervantium dicatur, & ſit Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, & quo iure.

LIcet aliqua ſuperiùs ad præſentem difficultatem attinentia tetigerimus, quæ fortaſsè ad plenam, & exactam illius reſolutionem ſatis, ſuperque eſſe valerent, niſi repetita Speculatoris argumenta graviorem, quàm re verâ eſt, indigitarent continere materiam: Ideò & nos neceſſarium duximus eandem difficultatem diſputationis trutinæ iteratò ſubijcere. Gloriatur ſanè Speculator ex una parte, Generalem RR. Patrum de Obſervantia, titulo Miniſtri Generalis totius ordinis Fratrum Minorum eſſe inſignitum, eundemque titulum, ſive nomen, ſimul cum ipſa re, iure hæreditario ſacræ Obſervantium

Religioni competere; utpotè quæ ab ipso Beatissimo P. Francisco per legitimam successionem, & lineam nunquam interruptam descendit, absque ulla unquam separatione à corpore ordinis, & obedientia Prælatorum ejus, verorum sancti Francisci successorum: Ex altera verò conqueritur de Boverio, quod sibi, suisque non tantùm titulum, & nomen ordinis Fratrum Minorum arrogare audeat; verùm etiam ab eodem, Patres Minores regularis observantiæ excludere præsumat; ut videre est in ipso Speculatore quæst. 1. & 2. Priorem partem (quod scilicet Patribus regularis Observantiæ ejusmodi titulus competat) probat primò ex duplici Bulla Leonis X. quas superiùs etiam ex eodem, ad idem ferè propositum, retulimus: Secundò, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, cujus item superiùs mentionem fecimus: Tertiò, ex ipsa natura hæreditariæ successionis; licet enim, attento præcisè nomine Observantium, prout à Conventualibus distinguuntur, aliquando successores in jure Prælationis extiterint Reverendos Patres Conventuales, non solùm antequam orta esset reformatio eorundem Reverendorum Patrum de Observantia, quæ fuit circa annum 1368. seu, ut alijs magis placet, circa annum 1414. Verùm etiam postquam prædicta reformatio jam orta fuerat: quia tamen unum fuit semper ex eisdem Reverendis Patribus Conventualibus, & Observantibus ordinis corpus (neque enim unquam inter eosdem facta fuit realis disiunctio, nisi à tempore Leonis X. ex Bulla unionis) ideò Generalis Minister pro toto illo tempore, sicut fuit unus tantùm, sic etiam fuit generalis, tam respectu Reverend.

Patrum

Patrum Conventualium, quàm Obſervantium: factâ verò ſeparatione eorundem, ad invicem adiudicatum fuit ſigillũ generali Miniſtro Reverendorũ Patrum Obſervantium tantùm, tamquam legitimo Beati Franciſci ſucceſſori; ut patet ex tenore prædictarum Bullarum Leonis X. poſteriorem verò partem, quod ſcilicet Boverius præripere voluerit eundem titulum Reverendis Patribus de Obſervantia, ſuęque Capuccinorum Congregationi arrogare, probat ex multis ſuperiùs allatis, quæ hoc loco reiterare ſuperfluum eſſet; ut tamen clariùs veritas eluceſcat, quam in ſuo Speculo, non tam clarè à Speculatore, ut adhuc maiore declaratione non egeat, repræſentatam fuiſſe, minimè ambigo. Supponenda ſunt in primis, quæ jam in quæſtione de vero Sancti Franciſci, ſive Fratrum Minorum ordine diffinita fuere. Quibus ſuppoſitis alia quædam adijcienda ſunt: Laconicè tamen, ne actum agere velle videamur. Quandoquidem Reverendiſsimus P. Gabriel Faber, dum Procuratoris generalis officio ordinis Minorum Conventualium fungeretur, adeò exquiſitè hanc quæſtionem, & exactè tractavit; ut nihil ferè poſteris adijciendum reliquerit. Paucis itaque totam quæſtionem dirimendam fore, & eſſe, exiſtimamus.

Antè omnia difficultatis punctus videtur neceſſariò ob oculos legentium proponendus: Tota ergò difficultas in hoc uno eſt conſtituta, quod nimirùm, ſicut unus eſt Fratrum Minorum, ſive ſancti Franciſci ordo, non plures; licet inſtar corporis organici pluribus conſtet membris: ita unus debet eſſe iſtius ordinis ſupremus Prælatus inſtar unius capitis; Nam Beatus Franciſcus, ad imitationem Chriſti

instituentis Ecclesiam, fundavit suum ordinem in modum cujusdam corporis hierarchici, in quo talis esset capitis, ac omnium membrorum inter se unio, ut non solùm Fratres unius Monasterij, suis Guardianis, sed insuper Guardiani Provincialibus; ac demùm ipsi quoque Provinciales, universique Fratres omnium Provinciarum Generali Ministro, veluti supremo totius ordinis capiti, subijcerentur. Ex hoc arguere libet hoc modo: Aut hic Generalis totius Ordinis, sive caput totius corporis Seraphici, est Generalis RR. Patrum de Observantia, aut nullus: Nullus dici non potest, ut per se patet: Si alius; aut Generalis RR. Patrum Conventualium, aut Capuccinorum; sed nullus unquam, etiam somniavit, Generalem Capuccinorum esse Generalem totius ordinis: & idem est de Generali RR. Patrum Conventualium; nam dubio procul neuter horum Generalium est superior alterius ordinis: minùs verò ordinis RR. Patrum Observantium: ergò necessariò concludendum videtur, Generalem Observantium ipsum esse Generalem totius ordinis Fratrum Minorum, cui proptereà adiudicatum fuit sigillum totius Ordinis à Leone X. atque subinde legitimè, & titulo, & sigillo cum inscriptione Ministri Generalis totius ordinis Fratrum Minorum usus fuit, ac inpræsentiarum utitur; ut patet ex Decreto sacræ Congregationis. Accedit præterea, quod is censendus est Generalis totius ordinis, qui est successor Seraphici P. Francisci; nam successori Seraphici Patris omnes Fratres obedire tenentur, ut patet ex Regula; successor autem unus est: Aut ergò successor Seraphici Patris est Generalis RR. Patrum de Observantia, aut RR. Patrum Conventualium, aut Capuccinorum, aut nullus: hoc dici nequit, supposito,

ordinem

ordinem nunquam defecisse; quia implicat, ordinem absque successore posse consistere. Quod verò, neque Generalis RR. Patrum Conventualium sit legitimus successor, neque Capuccinorum; Speculator partim supponit, nempe de Generali PP. Conventualium, quorum ordinem vix absque blasphemia ordinem S. Francisci censeri posse pronunciat: Partim probat, nempè de Generali Capuccinorum: Quia ex quo ordo Observantium in vero statu ordinis Fratrum Minorum persistit, implicat, Congregationem Capuccinorum per legitimam, & nunquam interruptam successionem à S. Francisco descendere: ergò restat tandem, ut necessariò fateamur, ordinem RR. Patrum de Observantia, & generalem ejusdem ordinis Ministrum, solùm esse legitimum ordinis Fratrum Minorum, ac Seraphici Patris successorem. Hæc præcipua sunt, quæ facessunt difficultatem: cui propterea, ut commodiùs occurrere valeamus.

Notandum inprimis duximus, aliud esse, loqui de materiali ordinis successione, quæ absque formali consistere quidem potest æquivocè, sive apud homines: non autem univocè, & apud Deum; nam corpus ordinis absque forma, quæ est puræ regulæ observantia, non est corpus, nisi æquivocè, sive corpus carens vitâ: Non est autem quæstio propriè de materiali, sed de formali: Aut certè non est multum curandum de sola materiali, sive externa successione absque formali. Si qua enim Congregatio haberet formalem successionem per observantiam: altera verò solùm materialem per antiquitatem; illa audacter huic respondere posset illud Iacobi: Ostende mihi successionem tuam absque observantia, & ego ostendam

tibi ex obſervantia ſucceſſionem meam.

Adijciendum itaque circa terminum, *totius*, cùm dicitur totius ordinis, aliud eſſe verum ordinem, aliud totum ordinem: ordo enim eſt veluti quoddam totum poteſtativum, aut etiam univerſale, quod verè prædicatur de ſuis partibus poteſtativis, aut ſubiectivis, non tamen ex toto: verbi gratiâ, Subdiaconatus eſt ordo, non tamen totus ordo: Item homo eſt animal, non autem omne, aut totum animal. Ita pariter, Provincia, v. g. eſt ordo, id eſt, pars ordinis, non autem totus ordo: quo ſenſu omnes Provinciales Prælati ordinis ſunt, & dicuntur; nullus autem eſt Prælatus totius ordinis: Ita Epiſcopi ſunt Prælati Eccleſiæ verè, ac veriſſimè, nullus tamen, excepto Epiſcopo, ac Pontifice Romano; eſt Prælatus totius Eccleſiæ. Hinc ergò patet, quid ſit eſſe Prælatum, ſive Miniſtrum generalem totius ordinis Fratrum Minorum: Eſt enim non eſſe Prælatum unius partis ordinis, ſive Religionis; ſed omnium omninò, nullâ exceptâ: qui enim totum dicit, nihil excludit.

Adijciendum denique, quemadmodum Regula præcipit, ut omnes Fratres unum habeant generalem Miniſtrum, totiuſque Fraternitatis ſervum, cui firmiter obedire teneantur; ita præcipere, ut moriente generali, eligatur ſucceſſor ab omnibus ordinis Provincialibus, & Cuſtodibus: Patet ex ipſius Regulæ textu, de cujus intelligentia, nulla prorsùs unquam inter Doctores extitit controverſia. His ſuppoſitis.

Familiariter potiùs, ac domeſticè colloquendo, quàm ſcho-

ſcholaſticè, ſive magiſtraliter arguendo; quærerem libenter à Speculatore, & à quovis alio Obſervantium Patre: Quidnam, quæſo, intelligant, cùm ſuum generalem totius ordinis Fratrum Minorum generalem iactant vel prædicant? Vtrumne intelligant eſſe generalem etiam Reverendorum Patrum Conventualium, ac etiam Capuccinorum: an non? utique non credo, illud ab ipſis fuiſſe, aut eſſe prætenſum; Nam, ut alia, quæ ſic prætendentes clarè à prætenſione excludunt, omittam; id ſolùm ſufficeret, ut Reverendiſsimum P. generalem Obſervantium Regulæ, ac Canonum prævaricatorem conſtitueret, quod nimirùm in Capitulo proximè celebrato, Provinciales Patrum Conventualium, & Capuccinorum ad electionem novi generalis, in eodem capitulo faciendam, minimè vocârit; cùm ex Regulæ, ac ſacrorum Canonum præcepto omnes, ac ſinguli, qui poſſunt, debent, & volunt, ad electiones vocandi ſint. Præterea, ſi eſt generalis Miniſter etiam Reverend. Patrum Conventualium, ac Capuccinorum; cur eoſdem non viſitat, non corrigit? prout ſtatuitur in Regula, c. 10. quare ſaltem aliquando, vel in ſignum ſupremæ ſuperioritatis in eoſdem; aliquam iuriſdictionem, vel poteſtatem non exercet? planè puto neminem eſſe, aut ex Reverendis Patribus Conventualibus, aut ex Capuccinis, qui ſe ad obediendum Reverenſsimo Patri Obſervantium generali obligatum ſentiat.

Vrgeo prætereà argumentum: Si generalis Obſervantium ex vi illius tituli, *totius ordinis*, foret generalis Capuccinorum (ut interim RR. Patres Conventuales omittam) jam Capuccinorum Congregatio eſſet vera pars totius ordinis:

ac

ac propterea falsissimum esset, Congregationem Capuccinorum esse corpus omninò distinctum; implicat enim, esse partem ordinis, totius ordinis generali subiectam, & esse ordinem numero omninò distinctum; ut patet ex ipso Speculatore eâ quæst. 1. Aut ergò nobis concedere debet, suum generalem, non esse nostrum generalem; aut nostram Congregationem non esse ordinem extra totum ordinem constitutum: implicat enim, quem esse generalem totius ordinis, includendo etiam Capuccinos, tamquam ordinis partem: & Capuccinos esse ordinem totalem ab ordine Observantium, absolutè numero distinctum. Sin verò intelligant, pro toto ordine, solos ipsos RR. Patres Observantes, quocumque nomine nuncupatos, excludendo RR. Patres Conventuales, & Capuccinos: In primis non est, quod tantoperè glorientur de hoc titulo, qui communis est omnium ordinum generalibus: Quilibet enim est generalis totius sui ordinis, non partis ipsius, ut ipsum nomen generalis sonat. Ita Pater generalis Conventualium, est generalis totius ordinis Conventualium, & generalis Capuccinorum totius ordinis Capuccinorum; sicut generalis PP. Carmelitarum &c. Deinde non erat, quod apud sacram Congregationem circa titulum totius ordinis quęstio institueretur, cùm certissimũ sit, Patrem generalem Observantium, esse generalem totius ordinis Observantium. Ex hoc familiari discursu, quilibet facilè dignoscere poterit, non esse rem tanti momenti ejusmodi titulum, nempe totius ordinis, ut à Speculatore prætenditur: Imò esse nudum, ac simplicem titulum, absque ulla re, sive vacuum omnis iuris, ac beneficij; quia reverà ejusmodi titulus nullam omninò Rev.^{mo} Patri Observantium generali in RR.

Patres

Patres Conventuales, & Capuccinos jurisdictionem confert.

Asserendum propterea, generalem Ministrum regularis observantiæ, in rei veritate, non esse Ministrum totius ordinis FF. Minorum: quia non est generalis Minister RR. Patrum Conventualium, quorum ordinem à quibusvis verum ordinem Minorum S. Francisci, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, appellari debere à sanctissimo Domino Papa Vrbano VIII sancitum est, in Constitutionibus Vrbanis, ad primum Regulæ caput, tit. 1. Neque etiam est generalis Capuccinorum, quos & ipsos esse verè Fratres Minores S. Francisci, declaratũ est in Concilio Tridentino, sess. 25. tit. de Regular. cap. 3. ibi: *Exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minores de Obseruantia vocantur.* Hoc argumentum tam solidum est, & manifestum, vt nullâ aliâ ratione ab ipso Speculatore ejusdem vim elidi, aut eludi posse, quàm distinguendo inter ordinem & ordinem, putatum fuerit: Ait enim, Capuccinos esse Fratres Minores, impropriè ordinis nomine accepto, nullâ autem ratione propriè loquendo; Atq; ita Pauli V. Vrbani VIII. imò ipsa Tridentini Concilij Decreta intelligenda esse contendit: Sed præterquam quod, ut aliàs advertimus, verba prędictorum Pontificum, ac Concilij contra omnes Iuris regulas, ut solùm ad suum sensum trahat, impropriat; obstant ipsa, præsertim Bullæ Vrbani verba, quæ sic habent: *Hâc nostrâ perpetuò valiturâ constitutione, declaramus Fratres Capuccinos præfatos, fuisse, & esse ex vera, & nunquam interrupta linea, ac veros, & indubitatos Fratres ordinis sancti Francisci.* Hactenùs verba Bullæ, quæ R. P. Bonitus de ordine PP. Conventualium, non ex Capuccinis, aut ex Obser-

vantibus, in sua explicatione præsentis status Seraphicæ Religionis fol. 14. ita ad rem nostram aptat, ut non impropriè, sed propriïssimè à Pontifice accepta, & prolata, & quidem jure meritò esse velit.

Non propterea tamen asserimus, aut asserere volumus, titulum, ac sigillũ cum inscriptione totius ordinis Patrum Minorũ Generali Patrum de Observantia irrationabiliter, ac absque iusta causa fuisse adiudicatum; solùm verò asserimus, nullam ex vi hujus Decreti in Patres Conventuales, aut Capuccinos rem, id est, iurisdictionem, aut potestatem esse quæsitam, quod est patentissimum.

TYPOGRAPHUS AD LECTOREM.

Ignoscat Lector, si hæc declaratio, suo loco posita non sit; cùm enim operi colophonem imponerem, hanc Auctor ad me transmisit.

Declaratur adhuc magis, quomodo in ordine Capuccinorum vera, ac legitima successio subsistat, in gratiam eorum, quæ scribit R. P. Matthias Hauzeur, ex ordine Patrum de Observantia, satisque fit eiusdem argumentis, adversùs hanc Capuccinorum successionem ab eodem productis.

TEtigerat de hoc successionis argumento aliqua R. P. Iacobus de Riddere in suo Speculo Apologetico, quibus nos pariter obiter magis satisfacere brevi responsione curavimus, ne respõsio foret extra propositionẽ: Dum autem noster adhuc sub prælo responsionis libellus detineretur, pervenit ad nostras manus opusculum R. P. Matthiæ Hauzeur *Apologia Analogica*, titulo præsignatũ, ubi Auctor ijsdem ferè verbis, quibus R. quoq; P. Iacobus præmittit, se in mandatis habuisse à R.mo P. Generali,

li,ex consensu etiã Generalis Diffinitorij,& Discretorij;ut Annales P. Boverij severâ animadversione percurreret,ut si quæ in illis manifestæ depræhenderentur imposturæ,contra honorem Religionis,prærogativam officij Ministri Generalis,&c. verâ,& modestâ censurâ retunderet. Quamobrẽ, ut in re tam gravi superioris mandato morẽ gereret, prout in præfatione protestatur;hanc ipse provinciam subijt,ut nimirum quæ de successione Capuccinorum in suis Annalibus P. Boverius scripta reliquit,non solùm à veritate aliena,sed etiam hæreticorum calũnijs faventia,esse ostẽderet;ut patet ex illis verbis,in calce præfationis positis. *Nos ea* (intellige quæ de successione , Boverius tradit)*potissimum analogicè reprobemus,quatenus favent calumnijs Hæreticorum contra Ecclesiam Catholicam , ad cuius imitationem S. noster P. Franciscus suum instituit ordinem.*

Ad sternẽdam itaq; viam toti discursui,præmittit hic Auctor tamquam rem indubitatam,omnibusq; confessam,ordinem à seraphico Patre institutum Ecclesiæ Christi ita esse conformẽ, ut sicut Ecclesia Christi habet unum supremũ Prælatũ,cui alij tanquã potestates sub potestate subordinantur;ita Religio seraphica unum totius fraternitatis Generalem agnoscat, qui sit S. Francisci successor,quemadmodum sum. Pontifex, Petri successor esse perhibetur. Adijcit prætereà, Christi Ecclesiam sua habere insignia, quibus non modò vera esse discernitur , verùm etiam ab Ecclesia , vel potiùs Synagoga hæreticorum facilè secernitur. Ejusmodi notæ sunt præcipuè , indefectibilitas, evidentia , unitas, sanctitas : sive quod Ecclesia sit una , sancta , Catholica , Apostolica ; evidens , sive visibilis , & indefectibilis : quæ singula prædictus P. Matthias

 pari-

pariter analogicè seraphicæ Religioni, utpote quæ ad Ecclesiæ Christi imitationem ordinata fuit, convenire, sigillatim probare, & declarare (eâ, ut reor, intentione) prosequitur; ut sacrã Observantium Congregationem, illum ordinem à seraphico Patre ad Ecclesiæ imitationem institutum, & nullam aliam, maximè verò Capuccinorum esse demonstret.

Auspicatur autem ab indefectibilitate, sive continua, ac successiva duratione, ostendens ordinem seraphicum nunquam defecisse, sed semper illibatam, ac nunquam interruptam in ipso ordine successionem continuasse, hancque indefectibilitatis prærogativã, existimat cum primis seraphico Patri à Christo fuisse promissam, ut nimirum sua Religio nunquam deficeret: Verùm quæ de promissione seraphico Patri facta dicenda forent, satis superiùs à nobis contra Patrem Iacobum disputantibus convulsa sunt: ubi nunquam à Christo tantum serap. Patri, quantum ab eodem, Petro promissum fuisse, nervosè, ut putamus, ostendimus. Imò hæreticum, ac blasphemum esset asserere, hoc ipsum, quod Petro promissum fuit, cæteris quoque fuisse traditum. Quemadmodum vice versâ foret hęreticũ, negare talem à Christo soli Petro, & Ecclesiæ Romanæ indefectibilitatis pręrogativam fuisse tributam. Quidquid sit ergo de re, utrùm scilicet aliqua alia particularis Ecclesia, pręter Romanam, nunquam à vera fide defecerit: Et an pariter seraphica Religio à pura defecerit obsevantia, nec ne: Certissimum tamen est soli Petro, & Ecclesiæ Romanę hanc à Christo prærogativam fuisse promissam, ut nunquam à vera fide deficeret. Quare asserere, sive credere id seraphico Patri esse promissum, ut ejus Religio nunquam à pura Regulę observantia recederet,

esset quodammodo existimare, Christum amplius seraphicam Religionem, quàm ipsam Ecclesiam sponsam sibi dilectã dilexisse, cui plus promisisset, ac iuxta promissum tribuisset: plus est enim non deficere à moribus, quàm non deficere à fide: Qui enim non deficit à fide, adhuc tamen à moribus deficere potest, & deficit: Qui autem non deficit à moribus, plerumque pariter non deficit à fide; quia etiam fides quodammodo spectat ad mores, & inter mores computatur, quemadmodum teste D. August. computatur etiam inter opera. Vnde Ecclesia Christi nunquam fide ita vitiata fuit, ut reparatione indiguerit; quemadmodum indiguit, reformatione morũ: quod indicavit idem Auctor pag. 10. inquiens S. Franciscum fuisse à Deo missum ad reparandam, sive reformandam Christi Ecclesiam, non fide, sed moribus vitiatam. Itaque nullatenùs ex illa Christi promissione facta seraphico Patri, inferre libet, puram Regulę observantiam nunquã in ordine deficere debuisse. Qualiter autem præfata promissio veritatem habeat, ac intelligi debeat, satis superiùs digestum est.

Iam quod attinet ad Bullam Leonis X. in qua pariformiter, tum alij, tum hic Auctor, maximè inniti hancce indeficientiæ prærogativam, opinantur, ut patet ex pag. 25. ubi sic ait: *Vt in Ecclesia Christi nunquã potest esse publica, ac communis, contraria fidei primitivæ professio; sic nec in ordine S. Francisci fuit, est, aut erit publica, & communis relaxatio sacræ Regulæ, eiusq; observantiæ adversa. Vnde verba Leonis nõ tantũ de præterito, & præsenti, sed etiam de futuro perpetuã prædicunt Regularem observantiam: Nec sunt tantum ex spe, sed ex aliqua certitudine illi Dei promissioni subnixa.* Hæc ferè ille, quę non solùm mihi mira accidunt, sed etiã cuilibet legenti, & quæ legit intel-

 ligenti

genti planè mira fore esse debere, non dubito:

Attendamus itaque quid in illamet unionis Bulla de ordine seraphico, sub parabola vineæ Euangelicæ S. Pontifex scripta reliquit; & clarè perspiciemus, utrùm seraphica Religio ita moribus fuerit vitiata, ut dici queat, missos fuisse S. Bernardinum aliosque ad eam reparandam, & reformandam, quemadmodũ hic Auctor ait, missum fuisse S. Franciscum ad reparandam, sive reformãdam Christi Ecclesiam: *Horâ nonâ*, hæc sunt formalia Bullæ verba, *succrescentibus in dies malis, & scandalosis huius vineæ agricolis, suscitavit Deus spiritum adolescentis, paucorum, scilicet fratrum, qui signifero nominis Iesu, B. Bernardino ductore, languẽtem, imo penè mortuũ, per orbem universum, ordinẽ vivificârunt.* Hîc, ut liquet, nõ est sermo de privatis personis, neq; de una ordinis parte, putà una Provincia, sed de toto ordine, sive ordine per universum orbẽ disperso; neq; de lãguore modico; sed gravi, & gravissimo ipsi ordini mortem minitante; ad quẽ propterea sanandũ, & vivificãdum, sive reparandũ, & reformandum S. Bernardinum, & socios à Deo missos fuisse, tam perspicuè Sum. Pontifex asseverat, ut nullus possit superesse dubitationi locus: nõ est ergo quod vanè quisquã cõferre valeat ordinẽ seraphicũ cum Christi Ecclesia; ut sicut hæc nunquã defecit, aut deficiet à pura fide, ita ille nunquã defecerit, aut defecturus sit à rectis moribus, sive pura Regulæ observantia: Minùs autem improbare, aut reprobare quispiam debet Boverium, aut hæreticorum calumnijs faventem ejusdẽ existimare propsitionẽ, qua nimirum asseruit, puram in ordine Regulæ observantiam, simulq; legitimã successionem defecisse; cùm ex ipsa unionis Bulla id verissimum esse luce clariùs appareat. Vnde ex hoc capite, ordo S. P. Francisci,

Chri-

Christi Ecclesiæ dissimilis potiùs, quã similis esse dignoscitur: hæc enim nunquam à vera fide defecit, cujus illud est irrefragabile argumentum, quod nunquam, quo ad fidem, reparatione, seu reformatione indiguit: Ille verò toties defecisse dignoscitur, quoties reformatione eguisse, tum alibi, tum præcipuè in illa unionis Bulla narratur. si qua ergo inter Christi Eccesiam, & ordinem seraphicum similitudo reperitur, ea utique quo ad mores potissimùm elucet: sicut enim Christi Ecclesia interdum moribus deformata apparuit, ad quam tamen reformandam Deus idoneos Ministros destinare non destitit; ita pariter, ordo S. Francisci, ut ex Bulla Leonis liquet.

Secunda Ecclesiæ Christi nota, est quod sit, non latens, & obscura; sed clara, lucida, sive visibilis, evidens, & conspicua. Vnde quidquid circa Eccesiam geritur, in quantum Ecclesia est; evidens, ac notorium existit. Eodem ergo modo Religio seraphica evidens esse debet: Atque ita promissio seraphico Patri facta, non de aliquibus secretis, & privatis suæ Religionis personis intelligitur; sed de ipso statu, ac Religione, quæ inter scandala, variosque defectus, & profectus, deformationes, & reformationes, non solùm salva semper consistere, verùm etiam proficere debuit; juxtà verba præfatæ promissionis fideliter à sancto Bonaventura allata: *Quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa Religio, salva semper meo munere, permanebit.* Quemadmodum Ecclesia Christi inter varia scandala, hæreses, & schismata magis elucescit. Quid porrò ex hac irrefragabili doctrina ad rem, quam præ manibus habemus, Auctor Apologiæ inferre voluerit; ut verum fatear, prorsùs ignoro, nisi fortè Congregationem

C puc-

Capuccinorum idcircò non esse verum seraphici Patris ordinem, quia de sola Regulæ observantia, quę res est potiùs secreta, gloriatur: quemadmodum congregatio hęreticorum non est vera Ecclesia, quia hæretici notâ visibilitatis neglectâ, in sola invisibili fide, & dilectione Ecclesiam Christi constituunt.

Cæterùm quod neque ipse Boverius id sibi unquam induxerit in animum, ut nimirum crederet, solam perfectam Regulæ observantiam sufficere, ut aliqua Congregatio verus seraphici Patris ordo haberi queat. Testatus est Pater Iacobus de Riddere in suo Speculo pag. 47. *Sciebat interim Boverius* (inquit Pater Iacobus) *Non sufficere perfectam Regulæ observantiam, ut sua Congregatio verus sancti Francisci ordo per legitimam, & nunquam interruptam successionem esse, & appellari possit.* Fatetur itaque Boverius, fatemur omnes, quamlibet Religionem, sive Congregationem, nō posse esse verum ordinem, nisi per publicam, visibilem, notoriã alicujus Regulæ professionem: quemadmodum enim nullus de Ecclesia Christi effici potest, nisi qui solemniter Catholicam fidem profitetur; ita nullus de seraphico ordine haberi, aut seraphico ordini incorporari potest, nisi qui publicè seraphicam Regulam profitetur: sed quid isthæc ad excludendam Capuccinorum Congregationem à vera seraphici Patris Religione? Neque enim Capuccini, quemadmodum hæretici, suam Congregationē in secreta cordis Regularis observantiæ professione constituunt: sed in professione extrinseca in manibus Prælatorum emissa: Addimus nihilominùs, solam ipsam professionem extrinsecam non sufficere ad constituendum de vero ordine simpliciter, nisi professioni publica, & cōmunis correspondeat obser-

obſervantia. Cùm ergo Boverius, & Capuccini aiunt, de ratione formali, ſeraph. Religionis, ac legitimæ ſucceſſionis eſſe puram Regulæ obſervantiam, non loquuntur de obſervantia ſecreta, ſed de publica, quæ Deo in profeſſione promittitur: Et iuxtà promiſſionem communiter in ordine obſervatur, per quam publicam profeſſionem neceſſariò quilibet veræ ſancti Franciſci Religioni incorporatur, & verus Franciſcanus efficitur, ſicut quicumque per publicam fidei profeſsionem, incorporatur veræ Chriſti Eccleſiæ; vereque Chriſtianus efficitur.

Tertia Eccleſiæ nota, unitas eſse aſseritur, quæ unitas in eo elucet, quod omnes, qui ſunt de Eccleſia, uni adhærent capiti ſummo Pontifici: Licet enim, præter Pontificem, Epiſcopi à Spiritu ſancto ad Eccleſiam regendam ſint poſiti, nihilominùs omnes Sum. Pontificem tanquam ſupremum totius Eccleſiæ Patrem recognoſcunt. Vnde Eccleſiæ regimen Monarchicum eſse perhibetur, quam unitatem æmulatus S. Franciſcus, ſtatuit pro ſua Religione regimen pariter Monarchicum; præcipiens Fratribus univerſis, ut unum habeât totius fraternitatis Generalem Miniſtrum, cui cæteri omnes, etiam Provinciales ad regendam Religionem inſtituti, tanquam ſupremo totius Religionis Patri adhærere, & obedire teneantur. Hanc unitatem, non modò à Capuccinis ſervatam, quin potiùs violatam toties conqueruntur Patres Obſervantini, è quibus hic Auctor pag. 44. Per omnia tamen P. Iacobo de Riddere, cæteriſque connivens, hæc habet. *Quam tamen unionem, & unitatem octo poſt annis Capuccini violare cœperunt, tum difformitate habitus, & nominis, tum ſubtractione ſuæ Congregationis ab obedientia unius, eiuſdemque Miniſtri Ge-*

 neralis

neralis totius ordinis; quam separationem paulò pòst ex proprio libitu absque ulla necessitate ac utilitate, imò etiam cum maximo præiudicio factam esse contendit, prout videre est in ipso Auctore, toto illo §. in quo de unitate Ecclesiæ Christi, ac seraphicæ Religionis, instar Ecclesię ordinatę, effatur: quæ quia, ut dixi, per omnia coincidunt cum his, quę habet P. Iacobus de Riddere; ex responsione nostra superiùs digesta, plus satis confutata esse credimus: Congregatio enim Capuccinorum nullatenùs ab ordine S. Francisci separata esse censeri potest; Esto à Congregatione RR. Patrum de Observantia separata esse diceretur.

Quarta Ecclesiæ nota, est sanctitas, quæ sanctitas pariter in seraphica Religione relucere debet, prout vere semper, divinâ favente gratiâ, reluxit. Hic porrò acriter contra Boverium insurgit Auctor, dolens quod suam Capuccinorum Congregationem in sanctitatis prærogativa cęteris omnibus præferre, & quod maius est, ex hac maiori sãctitate Religionis, primatum, ac legitimam successioné ab observantibus ad Capuccinos transferre voluerit; quasi à pura Regulæ observãtia ordinis primatus, & legitima successio pendeât. quę si vera essent, non minùs legitima in Ecclesia successio, ac primatus officiorum, & potestatis, à sanctitate subsisteret; quod nõ solùm falsũ esse, verùm etiam in modernis hęreticis damnatum Canones Tridentini ostendunt. Extendit se prætereà Auctor, ut ostendat Capuccinos potius esse Observantinis, quo ad puram Regulæ observantiã, longè inferiores tum, quia Capuccini faciunt contra Regulã in primo, & principali præcepto. Quippe eorũ Generalis non est successor S. Francisci. Ac proindè non habent in

Gene-

Generalē Ministrum eum, quem fraternitas habere debet: excusantur verò à culpa ex dispensatione, & privilegio: Tum, quia etiam in officio recitando deficiunt à Regulę intentione, in qua præcipitur, officicum 2.um ordinem sanctę Rom. Ecclesiæ esse faciendum: Tum, quia non est maior perfectio, ut aliqui existimant, vivere de mendicitate, sicut Capuccini; quàm de comparatis labore honesto, ac sacro verbi altaris, & sacramentorum ministerio, ut observantini: Nec etiam est maior perfectio in habitu resarcito, barba prolixa, caputio oblongo, & similibus, in quibus Capuccini gloriantur. Hæc ferè de notâ sanctitatis hic Auctor; quæ ultrò à nobis omittuntur: Tum, quia non est contendendum de sanctitate, verbis, sed factis, sive æmulâ melioris observantiæ affectione: Tum, quia præstat, ut alij iudicent, in quanam Congregatione purior Regulæ observantia vigeat: Tum denique, quia eadem prorsùs in suo Speculo tradidit P. Iacobus de Riddere, quibus supra competenter respondimus; presertim quantum ad observantiam duorum preceptorum, quibus cavetur, omnes fratres unum debere habere Generalem Ministrum S. Francisci successorem.

Quinta Ecclesiæ nota est, quod sit Catholica, nomine scilicet, & re. Ita ergo & ordo S. Francisci, erit autem universalis, si omnes, pro omni loco, & tēpore, Regulæ seraphicæ professores complectatur, prout complectitur Congregatio Observantiū, non autem Capuccinorum: Verùm quod attinet ad ordinē S. Francisci, nihil dicendū occurrit: satis est enim, ut sit universalis respectivè, cùm non sit æqua Regulæ observantia, sicut æqua est fidei professio. Ideò Ecclesia Christi omnes

æquè fideles complectitur. Non ſic Franciſcana Religio, quæ pro varia Regulę obſervantia varias admittit Congregationes. Vnde quod dicitur de fide, una Fides, unum Baptiſma; nullatenùs convenit Regulari obſervantiæ: Non enim una, ſed multiplex Regulæ obſervantia, jure meritò diſtinguitur, bona, melior, optima; ſicut alibi pleniore ſtylo à nobis digeſtum eſt.

Sexta Eccleſiæ nota eſt, quod ſit Apoſtolica: quia nimirum ab Apoſtolis propagata, & quodammodò etiam fundata eſſe perhibetur, & in tantum eſt vera Eccleſia, in quantum ab Apoſtolis originem duxit, & per ſucceſſores Apoſtolorum continuavit. Ad cujus imitationem ea erit Franciſcana Religio, quæ à ſancto Franciſco fuit fundata, & per legitimos ejuſdem ſucceſſores abſque interruptione continua permanſit, ut proptereà, ſicut Petrus in Eccleſia ſemper habuit legitimos ſucceſſores; v. gr. Linum, Cletum, Clementem, &c. Ita S. Franciſcus ſemper habuerit, & habiturus ſit legitimos ſucceſſores, quibus Fratres omnes obedire teneantur, juxtà illud: *Et alij fratres fratri Franciſco, & ſucceſſoribus eius obedire teneantur*: Quorum quidem omnium ſucceſſorum catalogum deſcribit hic Auctor, ſicut fieri ſolet in genealogia texenda, incipiendo ab ipſo ſeraphico Patre S. Franciſco uſq; ad fratrem Ioannem de Neapoli: in quo catalogo nullam mentionē facit, ſive de Generalibus PP. Conventualium, ſive fratrum Capuccinorum, atqui ſolùm Patrum de Obſervantia, eâ, reor, utiq; ratione: quia tam Generales Patrum Conventualiū, quàm Capuccinorum à recta ſucceſſionis linea excluſos, eandemque lineam poſt Bullam unionis in ſolis Generalibus ipſorum Patrum de Obſervantia continuatam eſſe prætendit. Propterea Boverium carpit: tum quia le-

legitimam in ordine successionem aliquando fuisse interruptam gestit; tum quia eandem cum Regulari observantia, per Capuccinos restitutam, sive reformatam esse asseverat. Quo verò clariùs, & efficaciùs Boverij dicta refellat; supponit, quemadmodum hæreticis veluti actoribus probare incumbit, ubi, quando, &c. Ecclesia à sua prima fide, legitimaque successione defecerit, cùm Catholici sint in legitima possessione: Ita onus esse Boverij, sive alterius cujuscumque prætendentis, Regularē in ordine observantiam communiter defecisse, ac proinde legitimam successionem interruptam fuisse, probare, cùm alias ipsi Patres de Observantia in legitima possessione versentur. Hoc supposito. *Adesto*, inquit hic Auctor, *Boveri, & proba à quo, sub quo, in quo, ubi, quando, quibus testibus fide dignis totus S. Francisci ordo à vero statu, sive professione sua Regulari defecerit.* Responderet utique Boverius, si superstes esset, hæc ad litteram patere ex Bulla unionis, ubi testatur summus Pontifex, ita ordinem per universum orbem à pura Regulæ observantia, sive sua Regulari professione defecisse, ut non solùm gravi languore pressus, verùm etiam morti proximus fuerit; ad quem tamen sanandum, & vivificandum; suâ Deus providentiâ S. Bernardinũ, & alios accurrere fecit, quemadmodum anteà alios miserat: atque hisce temporibus Capuccinos tanquam seraphicæ vineæ cultores destinavit. Cumque legitima successio, ut toties cum Boverio inculcat P. Iacobus de Riddere, absque pura Regulæ observantia in ordine salva esse non possit, sequitur evidentissimè, ita interruptam esse legitimam successionem, sicut ipsa quoque communis, & publica Regulæ professio, & observantia defecit. Neq; mirum esse debet, cùm etiam aliæ quædam par-

 ticulares

ticulares Ecclesiæ, sicut publicè à fide, sic à legitima pariter successione defecisse ferantur: soli enim Ecclesiæ Romanæ, quẽadmodum promissum est à Christo, ut nunquã à vera fide deficeret: Ita ipsi soli, ut in legitima successione iugiter permaneret; Parum ergo refert ad legitimam S. Francisci successionẽ, quod numerentur Generales unus post alium, quantum ad materialem generationem, & propagationem : sicut parum refert ad ordinis conservationem, quod semper fuerint Religiosi sub titulo, ac nomine S. Francisci, sive Franciscani dicti; eò quia exterius Regulam S. Francisci quomodolibet professi sunt, sicut etiam hodie profitentur Patres Conventuales; necessarium est enim ut profiteantur Regulam ad litteram, sive juxta fundatoris intentionem; quodque saltem communiter pura Regulæ observantia in ordine resplendeat, ut superiùs etiam declaratũ est. Nec Boverius, ut minùs Religiosè hic Auctor indicat; more hæreticorum, in sola vitæ interioris sanctitate, aut secreta, & privata Regulæ professione legitimam successionem constituit: sed in pura Regulæ observantia, & publica ejusdem Regulæ professione, per quam publicam professionem necessariò incorporantur sancto Francisco ejusque Religioni; efficiunturque verè, ac propriè Franciscani, ac filij S. Francisci per rectã, ac legitimam lineam, & successionem. Vnde Capuccini, & à Patribus Tridentini, & à Paulo V. & ab Vrbano VIII. fratres Minores, verique S. Francisci filij, per realem originem, & legitimam successionem, ac rectam, nunquamque interruptam lineam appellantur. Quare glossæ, sive interpretationes, quas hic Auctor cum alijs observantinis, prædictis decretis, & bullis, ad excludendos Capuccinos à vera filiatione, reali origine, legitima

gitima ſucceſsione,directa lineæ protractione,apponit:à veritate,& intentione ſummorum Pontificum alienæ ſunt. dicereq́; prædictas Bullas loqui de filiatione per imitationem; de propagatione laterali,non recta: ac proinde de aggregatione,& inſertione:eſt impropriare verbaBullæ contra omnes juris Regulas. Nec refert,quod Capuccini,ut Capuccini,non fuerint immediatè tempore S.Franciſci;quia ſucceſsio ejus eſt naturæ,ut poſtremi non immediate,ſed mediatè coniungantur primis. Et hoc modo veriſsimum eſt,quod ait Auctor pag. 132.Capuccinos, ut nunc ſunt, non immediatè , ſed remotè;eſſe ex vera,& recta Franciſcani ordinis linea: Imò etiam Obſervantini, qui nunc ſunt,non aliter,quàm remotè, & mediatè alijs præcedentibus in linea genealogiæ iunguntur; ſicut Eccleſia, & ſummus Pontifex, qui nunc regnat, non niſi remotè; & mediatè primitivæ Eccleſiæ ac primitivis Pontificibus coniungitur.

Et hæc ad laudem omnipotentis Dei, eiuſdemque glorioſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, Seraphici Patris noſtri Franciſci, & omnium ſanctorum; ad utilitatem S. Matris Eccleſiæ; cuius iudicio omnia ſubiecta eſſe Volo, intendo, ac ſubijcio.

FINIS.

Errata ſic corrige.

Paginâ 2. Linea 5. lege conſtiturum. Pag. 7 Lin. 26 L. interpretum. p. 10. l. 23. l. eis p. 12. l. 19. l. compoſitum. p. 13. l. 15. l. Chriſtum. p. 15. l. 26. l. aſſimiletur. p 16. l. 6. l neceſſarium. p. 17. l. 27. l. Chriſtus idem. p. 20. l. 18. l ſolicitè. p. 21. l 6. l. non ſuſtineri. l. 10. l. probandam. l. proferendo. p. 26 l. 18. l. abſciſſioni. p. 74. l. 27. l ſpeculatoris. p. 76. l. 6. l. in unc. p. 83. l. 21 l. explanarit. p. 90. l. 12. l. non extitiſſe. p. 108. l. 15. l. velit p. 116. l. 14. l. neceſſariò l. 26. l. ab anno p. 117. l. 8. l. paſſum p. 120. l. 22. l ſuoptè p. 150. l. 9. l. non interruptam. p. 157. l. 17. l. ab l. 18. l eſt & p. 158. l. 19. l. licet l. 28 l. enim p. 164. l. 21. l. reformatus p. 166. l. 26. l. qui p 186. l. 24. l. commiſiſſe p 199. l. 12. l. patrem p. 201. l. 24 l. ſane non p. 207. l. 5. l. 1517. p. 214. l. 16. Dele, non enim p. 221. l. 28. l. fecerint p. 281. l. 9. l. libitu. p. 362. l. 18 l. Reverendi.

ANTVERPIÆ,
Typis FRANCISCI FICKAERT, ſub Turri D. Virginis, ad Inſigne Angeli aurei. Anno 1653.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967